# DE SITU ORBIS POMPONIUS MELA. C. IULII SOLINI POLYHISTOR...

Pomponius Mela 1. sec. d.C.>, Johannes Camers, ...

Digitized by Google

6
15-D
29

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
29 B
6

6-15-D-9

Digitized by Google




R.A. Perſyn

D. PROB. ROM. S. J.

Digitized by Google

DE

# POMPONIO MELA

## ELIAS VINETVS.

POMPONIVM MELAM Geographum, inter Cæſaris Octaviani Auguſti & Veſpaſianorum imperia floruiſſe, argumento eſt, quod Caius Plinius, hiſtoriæ Naturalis ſcriptor, eum inter ſuos autores laudat: quam Tito Veſpaſiano dedicabat, annis poſt natum Chriſtum circiter octoginta. & quod ipſe Mela Cornelium Nepotem citat libro tertio: quem Cęſaris Octaviani principatu mortem obi-



BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

iſſe, ex eodē Plinio didicimus. Iolque, Africæ urbem, Cæſaream vocat libro primo: quam ſic in honorem Cæſaris Octaviani Iubam transſnominaſſe, Strabo & Eutropius nobis ſunt autores. Itaque nemini dubium eſſe debet, quem principum maximum Britanniam tam diu clauſam aperire dicit libro tertio, quin Claudius ſit accipiendus, Caii Caligulæ ſucceſſor: qui primus poſt Iulium Cæſarem, Cæſaris Octaviani patrem, Britanniam tentavit: uti Suetonius & Eutropius ſcripſerunt. ac ita ſub Tiberio, Caligula, & Claudio, Romanis principibus, vixerit Pomponius Mela: hæcque geographica, quæ in quibuſdam exempla-

Digitized by Google

emplaribus, De chorographia, in aliis De geographia, De ſitu orbis in aliis inſcribuntur, ſub Claudio Auguſtorum quarto conſcripſerit. Cæterum ubicunque vitam tranſegerit, ex Tingentera Hiſpaniæ civitate fuiſſe ſe tradit libro ſecundo. MELAS autem aliquot alios memorant Latinæ litteræ: ut, Melam equeſtris ordinis virum: quem hauſto porri ſucco ſub Tiberio Cæſare periiſſe ſcribit idem Plinius: Fabium Melam, juriſconſultum, qui citatur libro quadrageſimo-tertio Digeſtorum Iuſtiniani, capite de cloacis, & alibi. Luciùm Annæum Melam à Nerone interfectum, fratrem Senecæ Philoſophi, Lucanique



Digitized by Google

poëtæ patrem. Quos omnes ſuſpicor Hiſpanos genere fuiſſe.

HEN-

Digitized by Google

# HENRICI STEPHANI PROLEGOMENA IN MELAM ET SOLINUM.

D*Ionyſii poematio De ſitu orbis, Pomponii Melæ opuſculum non ejuſdem argumenti ſolum ſed etiam nominis, adjungendum cenſui. Ipſius autem Melæ libello non tam adjungendas quam inſerendas Petri Olivarii annotationes exiſtimavi, in quibus quid ſit diſcriminis inter vetera & recentia locorum nomina oſtendit. Hinc factum eſt ut mihi quas ſequutus ipſe eſſet editiones, eaſdem magna ex parte ſequi neceſſe fuerit, lubenter alioqui ab illis frequentius diſceſſuro. Neque enim ſolum aliter nomina quædam ſcripſiſſem (ut* Hadrumetum, *aut* Adrumetum, *non* Hadrumentum: Pityuſa, *non* Phitiuſa, *præſertim quum etymum ipſum illam ſcripturam, non hanc, probet, ſicut* Pteleon, *non* Phtheleon: *item* Heniochæ, *vel potius* Heniochi, *non* Eniochæ) *ſed etiam ex vocabulis quæ nihil minus quam in nominum propriorum ſunt numero, facere propria ne ipſe quidem alicubi fortaſſe dubitaſſem, præſertimque alicujus veteris exemplaris autoritate & velut præſidio munitus. Exemplum eſt pag. 91.* Tarraco urbs



Digitized by Google

eſt in his oris maritimarum opulentiſſima. Tulcis eam modicus amnis ſuper, ingens Iberus deorſum attingit. *Fortaſſis enim hic & ipſe* deorſum *in* Dertoſam *vertere auſus fuiſſem, hoc modo,* Tulcis eam modicus amnis, ſuper ingens Iberus Dertoſam attingit. *quum apud Strabonem quoque huic urbi,* ἐπ' αὐτῇ τῇ διαβάσει τοῦ Ἴβηρος, *id eſt, in ipſo Iberi trajectu, locum ſuum dari videamus. Et non multo poſt ab eo ſcribi,* ἐκ δὲ τοῦ Ταῤῥακῶνος, ἐπὶ τὸν πόρον τοῦ Ἴβηρος, καὶ Δερτῶσσαν πόλιν. *Exemplum aliud inſigne eſt pag.* 99, In Myrtoo Cythera, contra Maleam emiſſa, & Theganuſa contra Acritam. *quum enim hîc eodem metamorphωσεως genere* Oenuſſa *in* emiſſa *mutatum eſſe duo etiam vetera exemplaria clament, lubenter hanc metamorphoſin, ejuſque memoriam, quantum in me fuiſſet, aboleviſſem. Sic autem libri primi capite ſecundo, ubi ſcriptum eſt,* Inde proxima eſt Ariane, *quum locum* Indis *datum adverbium* inde *occuparit, illis velut poſtliminio in illum redire permiſiſſem. Sed raro tamen ad talem mutationem venire oportuiſſet: at vero ſcripturæ mutatio in iis vocabulis quæ in illis quoque editionibus nominum propriorum locum tenent, non infrequens fuiſſet. ut pag.* 66. Eſt Macidos, eſt Eleus, quæ finit Helleſpontum. *hîc enim* Macidos *in* Madytos *mutari debuiſſet. Et pag.* 99. Hyria *in* Aſteria *non minori cum ratione mutari potuiſſet. ſed inter hoſce duos errores eſt hoc diſcriminis,*

minis,

minis, quod Macidos nullius loci nomen eſſe exiſtimetur: (quamvis pag. 40. Natidos terminatione eadem, quædam colonia appellatur) at Hyria recte quidem ſcribatur, ſed non de inſula de qua ibi agit Mela, verum de aliis locis. Quod autem de Macidos: idem & de Caprullon dicendum fortaſſe fuerit, eadem illa pag. 67. neque enim dubito quin κάπρου λιμὴν à Mela ſcriptum ſit, & Caprullon non aliunde quam ex errore manarit. Atque hîc non omittam quendam paginæ 69, locum, Canaſtreo promontorio Scione proxima eſt. Merito enim aliquis hîc nomen Scione ſuſpectum habeat, quum jam præceſſerit, Mende Scioneque referendæ. atque adeo vet. in illo altero loco habet Sane, non Scione. Interim vero fateor multa in vet. libris inveniri nomina aliter quam hîc ſcripta, quæ non temere & ſine examine pro noſtris ſubſtitui debeant. Ex eorum numero eſt, in eadem pagina, Κωφὸς portus pro Copos: & paulo poſt, Icaris pro Derris. Et pag. 100. Marathuſa pro Manethuſa (niſi nomen illud duobus diverſis locis datum fuit) & Titana pro Trucones. In præcedentis certe pag. fine pro Thera eſt in uno veteri Thyatira, quum fortaſſe lectio illa, non hæc, aliorum geographorum teſtimoniis confirmari poſſit. Conſulendi autem hi fuerint & ubi quod de uno loco in typographicis editionibus dicitur in vet. de altero dictum invenitur. Exempli gratia, quum legatur pag. 66. Deinde promontorium Serrium, ex quo canentem Orphea ſecuta narrantur nemora: & Zo-

ne: *ſic in quodam vet. ſcriptum eſt*, Deinde promontorium Serrium &, quo canentem Orphea ſecuta narrantur etiam nemora, Zone. *Talis autem orationis ſtructura, interjectis inter particulam &, atque nomen loci, iis quæ de illo teſtatur, obvia eſt in plurimis hujus ſcriptoris locis. Neque vero minus quam geographi conſulendi erunt & alii hiſtorici de lectionibus etiam inter quas talis eſt differentia qualis inter duas de amni Mulucha, pag. 19. quum enim ibi ita legatur,* Mulucha ille quem diximus amnis eſt ingentium olim regnorum terminus, Bocchi Iugurthæque: *hanc lectionem illius loco quidam vetus liber exhibet,* Mulucha ille quem diximus, amnis eſt nunc gentium olim regnorum quoque terminus, Bocchi Iugurthæque. *Ac non multo poſt pro his verbis,* Cyrtha procul mari, nunc Sittianorum colonia, quondam regum domus, Iubæ & Siphacis, cum foret opulentiſſima: *iſta ibi inveniuntur,* Cirtha procul mari, nunc Sittianorum colonia, quondam regum domus: &, quum Siphacis foret, opulentiſſima. *In conſilium adhibendi erunt & ubi talis erit differentia inter duo vocabula (non tamen propria nomina) qualis in iſto pag. 138. loco.* Alit & flumen & minora quidem, ejuſdem tamen generis animalia gignens. *In vet. enim pro voce illa* flumen, *legimus* papyrum. *De hoc quoq; monendus es, quædam eſſe quæ in vet. quoq; diverſe diverſis*

*verſis in locis ſcribantur: ut* Bragada, *ſive* Bagrada *in eo loco qui hîc eſt p.*21 : *at* Magrada *in alio quem habet, pag.* 110. *Sed quid de quodam loco dicemus qui eſt in poſtrema* 108.*paginæ parte? de hoc inquam,* fluuntque per eos Avo Celandus, Nebis, Minius, & cui oblivionis cognomen eſt Limia. *quæ enim oblivionis ſignificatio appellationi iſti* Limia *ſubeſſe dici poteſt? & tamen in vet. quoque ita ſcriptum eſt: unde alioqui expectandum fuiſſet potius* Lethia. *Itidemque pag.* 81, *ubi ſcriptum eſt*, direptiſque populis immanibus uſque in Thraciam penetrant, *expectaſſem* diremptiſque, *ex vet. ut conjectura mea confirmaretur (de qua te facile mihi aſſenſurum puto) quum tamen & ibi* direptiſque *legatur. Hi autem aliique nonnulli loci faciunt ut præter illa vet. exemplaria unde petitæ ſunt eæ lectiones diverſæ quas paulo ante attuli, aliorum etiam auxilio nobis opus eſſe dicam, ut Melam aliquando tandem ſuæ dignitati plane reſtitutum habeamus. Mihi enim neſcio quam in hoc ſcriptore vel potius in hujus ſcriptis dignitatem & gravitatem (quanta quidem certe in tale argumentum cadere poteſt) animadvertere videor. Nec vero dubito quin ex optimis quibuſque & celeberrimis ſcriptoribus magnam eorum partem excerpſerit, quæ ejuſmodi erant ut fidem penes vetuſtatem eſſe, vel eorum teſtem eſſe vetuſtatem (ut ille dicit,* niſi ſit pro teſte vetuſtas) *oporteret. Sic in iis quæ de Hyperboreis ſcribit, non dubito quin Cal-*

*limachum ( qui in ſuis poematis quovis alio eſt ἱστορικώτερος) inter alios conſuluerit.* In Aſiatico littore(*inquit* primi Hyperborei ſuper aquilonem *&c. Paulo poſt.* Et diutius quam ulli mortalium & beatius vivunt. *Pauciſſimis verbis interjectis,* Sacris operati, maxime Apollinis : quorũ primitias Delon miſiſſe initio per virgines ſuas, deinde per populos, ſubinde tradentes ulterioribus : *&c. hæc enim omnia habet Callimachi in Delum hymnus. Libet autem obiter de quadam lectione hujus etiam paginæ, & quidem loci qui non procul hinc abeſt, te commonefacere. nam ubi habes de Hyperboreis,* Et ubi eos vivendi ſatietas magiſque tædium cepit, *ſcribendum potius ex vet. libro,* ſatietas magis quam tędium, *quod tam proprie tamque eleganter dictum eſt, ut nihil vel ad ſermonis proprietatem vel ad elegantiam addi poſſit. Cæterum (ut mea unde digreſſa erat revertatur oratio) in eo quod ſcribit paulo poſt,* Amazones ſed quas Sauromatidas appellant, *prudentiam ejus perſpicimus, qui, hæc addendo,* ſed quas Sauromatidas appellant, *ſibi caverit. nam de Amazonibus multa fabuloſe ſcripta eſſe, aut ſaltem ita ſcripta ut fabuloſa viderentur, quoſdam, ne fuiſſe quidem unquam Amazones, exiſtimaſſe, in mentem illi veniebat: at Sauromatidum à Platone quoque mentionem fieri in uno ex ſuis libris De legibus, tanquam earum de quibus inter omnes conſtaret. atque ex duobus ejus locis unus eſt p. 804. meæ edit. alter*

*pag.*

Digitized by Google

*pag.* 806. *Atqui (dicet quiſpiam) alibi Amazonum mentionem facit, non itidem adverſus lectorum reprehenſiones ſe muniens. Imo vero ſe munit quum addit* memorantur : *itidemque alibi,* traduntur. *In alio quidem ejuſdem libri loco, qui minimum à fine abeſt, non itidem ullo tali verbo utitur, ſed ibi quoque de Sauromatidibus eum loqui oſtendunt quæ proxime præcedunt. Simul vero, quam diligens fuerit in diſtinguendis iis quæ plerique confuderunt, vel ex hoc ipſo de Amazonibus ſermone cognoſcimus. nam quum nonnulli (ex quibus eſt etiam Euſtathius in Dionyſium) omnes Amazones alio nomine dictas Sauromatidas tradant, ex hoc (ſi attendere velimus) quomodo eas quæ Sauromatides cognominabantur, à cæteris diſtinguere oporteat, diſcemus. Quemadmodum autem ſuam hac in re aliiſque hujuſmodi diligentiam oſtendit, ita etiam prudentiam (ad eam enim redeo) vel in iis quæ ſæpe iterat verbis,* Si fidem res capit, Si credere libet, Si credatur, Vt ferunt. *neque enim magis caute quiſquam loqui poſſit. At multa narrat, quæ quum fidem non mereantur, tamen præfatiuncula tali ab eo non præmuniuntur. Ego vero reſpondeo, primum non dicenda eſſe fidem non mereri, quæcunque eam mereri non videntur, multumque inter hæc duo eſſe diſcriminis: deinde multa majoribus noſtris illum legentibus incredibilia videri potuiſſe, in iis, quæ de variis variarum gentium moribus ſcribit, de quibus quotidianæ hominum noſtræ ætatis navigationes dubi-*

Digitized by Google

*dubitare vix ſinunt. Atque hîc commodum in mentem mihi venit ejus quod aliquando apud doctiſſimum illum virum Ioach. Camerarium (cujus jam à triennio lugere mortem Muſæ utræque non deſinunt) Comment. in 5. Tuſcul. quæſt. Ciceronis, legi, illud de Indicis uxoribus, à navigatoribus nuperis eſſe confirmatum. Quum enim Cic. Tuſc. quæſt. lib. 5. ſcribat,* Mulieres vero in India, quum eſt cujuſque earum vir mortuus, in certamen judiciumque veniunt, quam plurimum ille dilexerit: (plures enim ſingulis ſolent eſſe nuptæ) quæ eſt victrix, ea læta, proſequentibus ſuis, una cum viro in rogum imponitur: illa victa, mœſta diſcedit. *in eum locum Camerarius, Herodotus, inquit, Terpſichore, de Thracicis mulieribus hoc tradidit, eorum qui ſupra Creſtonios loca incolerent. Et aliquanto poſt, Sed plerique alii omnes de Indicis mulieribus hanc hiſtoriam tradidere: & iſti navigatores nuperi idem narrant: noſque audivimus de quodam qui affirmaret vidiſſe hoc ſe oculis ſuis. Addit vero & Plutarchi hac de re locum, nec non Propertianos verſus, quorum primus eſt,* Felix Eois lex funeris una maritis: *his ſubjungit ex Diodoro hiſtoriam, de contentione orta inter duas Cetei cujuſdam, qui Eumeni militans occubuerat, uxores, utra hoc afficeretur honore, ut ſui mariti rogo impoſita, una cum eo cremaretur. Hæc autem quum ita ſint, & quum ad hæc teſtimonia alia multa accedant, miremurne Melam,*

*lam, hanc rem de Thracum uxoribus narrantem, illa quam dixi præfatiuncula non eſſe uſum? Alia vero ſunt apud Melam, ſicut & apud cæteros geographos atque hiſtoricos, in iis quæ ad gentium mores & inſtituta ſpectant, non adeo quidem mira, nonnulla etiam vix ulla admiratione digna, quæ tamen ideo fidem non impetrant quod hodie apud illas ipſas gentes non comperiantur. Atque, ut omittam non eſſe ferendum de iis quæ geographi cæterique hiſtorici ex moribus iis quibus noſtra ætate præditas eſſe illas gentes videmus, quod multæ illis occaſiones degenerandi à ſuis majoribus præbitæ fuerint (præſertimq; quod ad eas attinet quæ ab ethnica majorum ſuorum ſuperſtitione ad Chriſtianiſmum, aut ab illorum libertate ad ſervitutem, aut etiam ab utroque ſimul ad utrunque tranſierunt) conſiderandum certe eſt, quidpiam in aliqua gentis alicuius parte animadverti potuiſſe quod cum tota deinde gente communicatum fuerit. Horumque fortaſſis è numero eſt quod de Germanis Mela ſcriptum libro tertio reliquit,* Bella cum finititimis gerunt: cauſas eorum ex libidine accerſunt. *Sed quacunque hoc de cauſa dictum à Mela fuerit, eos cauſas bellorum ex libidine accerſere, abiit certe in Gallicum proverbium, aut ſaltem materiam Gallico proverbio, & quidem vetuſto, dedit: quo dicitur.* Vne querelle d'Allemagne, *de quæſita ex re levi diſſidii occaſione. Neq; tamen tale quicquam (quod ſciam) hodie in Germanorum natura perſpicitur, Verum*

*de*

*de his dicendi finem ſaciam, & ad hujus ſcriptoris ſtylum veniam : ſi hoc addidero, videndum eſſe ne diverſa nomina uni eidemque genti, ob diverſos populos, impoſita, in errorem te inducant. Qua etiam de re alicubi admonet. ut quum pag. 55, de Sauromatis loquens, ſcribit,* Vna gens, aliquot populi, & aliquot nomina, *Eodemque Dionyſius modo de Oceano,* Τόσσος ἐὼν, καὶ τόσσα μετ' ἀνδράσιν οὐνόμαθ' ἕλκων. *Quinetiam Danubium & Iſtrum quum diverſos eſſe fluvios credere quis poſſit, unum eundemque eſſe, ex ipſo Mela diſcimus.* At ille fluvius (*inquit*) qui Scythiæ populos à ſequentibus dirimit, apertis in Germania fontibus, alio quam deſinit nomine exoritur. Nam per immania magnarum gentium diu Danubius eſt, deinde aliter appellantibus accolis Iſter fit. *Sed jam eo quo dixi ſermonem convertam.*

*Ad ſtylum igitur hujus geographi veniens, ſive ad ejus dictionem, aut ſermonem, brevitatem ſimul & proprietatem in primis eum commendare dico. Cum alia autem brevitatis habet adminicula (ut docui in meo De ſermonis brevitate libello) tum hoc cum aliis etiam ſcriptoribus commune, quod una eademque voce bis eodem in loco, duobus tamen modis, utitur. Exempli gratia (ne ab eo cujus modo mentionem fecimus populo diſcedamus) de Germanis ſcribit,* Immanes ſunt animis atque corporibus. *Alibi de Sarmatis,* Immanes ſunt moribus : immanemque famam habent, ſolere pro victimis adve-

advenas cædere. *Nec vero quædam poetica loquendi genera uſurpare dubitat : alicubi Virgiliana imitans (ſive ex ipſo Virgilio, ſive aliunde ea ſumpſerit) veluti pag.* 16, Deinde late vacat regio. *Ita enim Virgil. Georg. libro* 3, & longe ſaltus lateque vacantes. *Alicubi quædam poetica quidem, ſed quæ à Græco ſermone ſunt oriunda : cujuſmodi eſt hoc, pag.* 59, *de Sarmatis,* Atque ob ſæva hyemis admodum aſſiduæ, demerſis in humum ſedibus, ſpecus aut ſuffoſſa habitant. *Sic autem paulo ante dixerat,* Per immania magnarum gentium diu Danubius eſt. *Nolim tamen te celare, in hoc poſteriore loco veterem quendam codicem illi adjectivo* immania *ſubſtantivum* ſpatia *addere : hoc modo,* Per immania magnarum gentium ſpatia diu Danubius eſt. *Quædam etiam ſunt apud eum audaces & tamen elegantes metaphoræ (quæ itidem dici poeticæ poſſint) quarum è numero eſt hæc, pag.* 73, Peloponneſi oram ſinus & promontoria lacerant. *quum antea dixiſſet,* Vocaturque Peloponneſos ob ſinus & promontoria, queis, ut fibris, littora ejus inciſa ſunt. *Eleganti feſtivaque metaphora dicitur ab eo iſtud quoque, pag.* 69, quâ terra dat gremium. *Itidemque pag.* 117, Acre mare quod gremio littorum accipitur. *ubi pro* acre. *in vet. eſt* hac re. *Non multo ante autem elegans eſt & hoc,* Ius in viribus habent. *nec minus fortaſſe ob elegantiam quam brevitatem laudandum. Sed*

*tu,*

*tu, lector, his paucis exemplis à me propoſitis, alia multa, ſi libebit, apponere poteris.*

DE SOLINI *autem opere nihil, de hac mea editione illius pauca dicam. lectorem enim monitum volo, quum ſequerentur operæ meæ exemplar unum ex iis quæ ad Martini Antonii Delrio emendationes, è veteribus libris ſumptas, edita non ita pridem fuerunt, multa etiam quæ mihi parum probarentur, inde petita eſſe, non ſolum quod ad novam orthographiam (quæ in quibuſdam etiam nominibus propriis ſpectatur, ut in Mithradates) ſed etiam quod ad novas quaſdam lectiones attinet: ut omittam, præter morem meum eſſe, conjecturas ullas in ipſum (ut vocant) contextum recipere. Alioqui multos vel potius plurimos locos ab eo ex vetuſtis libris feliciter eſſe reſtitutos, ne ipſe quidem negabis, ubi hanc editionem cum ſuperioribus contuleris. Si vero & ipſe locum meis conjecturis dare voluiſſem, aliquid in iis quæ reſtituenda ſuperſunt, præſtare poſſe mihi videbar. Exempli gratia, ut pag.* 226, *pro* Niſi habitùs pudicæ hauſerit, *pro* pudicæ *ſcribatur* pudicè *quod eſt adverbium. Et pag.* 359, *pro his de palma Ægyptia,* Proprie adipſos vocatur, ut dici oportuit: eaque guſtata arcet ſitim, *ſubſtituantur iſta, levi mutatione,* Proprie adipſos vocatur, ut dici oportuit eam quæ guſtata arcet ſitim. *Sunt & aliæ in alios locos conjecturæ meæ, ſed quarum non recordor. Inter illos autem qui pulchre reſtituti fuerunt locos; eſt quidam iis quæ*

*modo*

*modo attuli verbis proximus*, Ægyptium limitem, quâ ad Deltæ cacumen tendit. *in prioribus enim editionibus legebatur*, quâ ad Lacecaumenen cacumen tendit. *Ad ipſum autem libri titulum quod attinet, ubi Polyhiſtor cum aſpiratione ſcriptum eſt, aliorum more: ubi autem Polyiſtor abſque illa, modo meo ſcriptum eſſe ſcito, & quidem eo quem rationi conſentaneum eſſe puto. Cæterum hic quoque ſcriptor, poſt Melam, & Plinium, necnon Dionyſium, ad emendanda multa in* ÆTHICO *nomina adjuvare te poterit, aut certe ad ferendum de Ioſiæ Simleri emendationibus judicium: quum ea ille, alioqui diligentiſſimus, talia exhibenda cenſuerit, qualia in vet. exempl. inventa fuerunt.*

POM-

## *Hoc Volumine continentur.*

POMPONIVS MELA de ſitu Orbis,

Annotationes in eum IOHANNIS OLIVARII.

C. IVLII SOLINI Polyiſtor,

Emendationes in eum MART. ANT. DELRIO.

ÆTHICI COSMOGRAPHIA,

Scholia in eum IOSIÆ SIMLERI.

Singuli in ſingulos indices copioſiſſimi.

Prolegomena HENR. STEPHANI cum nonnullis obſervationibus in Melam.

POM-

Digitized by Google

# POMPONII MELÆ
## De
## SITV ORBIS.

### Lib. I.

#### Prooemium.

ORBIS ſitum a dicere aggredior, impeditum opus, & facundiæ minime capax (conſtat enim fere ex gentium locorumque nominibus, & eorum perplexo ſatis ordine: quem perſequi, longa eſt magis quam benigna b materia) verum aſpici tamen cognoſcique digniſſimum: & quod ſi non c ope ingenii d orantis, at ipſa ſui contemplatione pretium operæ attendentium abſolvat. Dicam autem alias plura & exactius: nunc autem ut quæque erunt clariſſima, & ſtrictim. Ac primo quidem quæ ſit e forma totius, quæ maximæ partes, quo ſingulæ modo ſint, utque habitentur, expediam. Deinde rurſus oras omnium & littora, ut f intra extraque ſunt, atque ut ea ſubit ac circumluit pelagus: g additis quæ in natura regionum incolarumque memoranda ſunt. Id quo facilius ſciri poſſit atque accipi, paulo altius ſumma repetetur.

# PETRI IOANNIS OLIVARII

## ANNOTATIONES.

PRæfatur operis pondus, varietatem, obſcuritatem, & perplexum argumentum: deinde quid in hoc libro & in aliis perſequetur.

a *Dicere*] Nam orator præfatur, dicunt enim oratores, ſed nove Dicere pro Deſcribere dixit.

b *Materia*] Oratorium eſt.

c *Ope*] Modeſtiam indicat.

d *Orantis*] Nimirum talis voluit haberi in procœmio.

e *Forma*] An videlicet ſphærica, rotunda, aut alterius figuræ.

f *Intra*] Ad ſinus refertur.

g *Additis quæ*] Πρὸς τὴν τοπογραφίαν ſpectat.

## CAP. I.

## MVNDI IN QVATVOR PARTES DIVISIO.

OMNE igitur hoc, quicquid id eſt, cui mundi cœlique nomen indidimus, unum eſt, & *a* uno ambitu ſe cunctaque amplectitur. Partibus differt, unde ſol oritur, *b* oriens nuncupatur, aut ortus: quo demergitur, *c* occidens, vel occa-

Digitized by Google

occaſus: quâ decurrit, *d* meridies: ab adverſa parte, *e* ſeptentrio. Hujus medio terra ſublimis cingitur undique mari: eademque in duo latera, quæ *f* hemiſphæria nominantur, ab oriente diviſa ad occaſum, zonis quinque diſtinguitur. *g* Mediam æſtus infeſtat, frigus ultimas: reliquæ habitabiles paria agunt anni tempora, verum *h* non pariter. *i* Antichthones alteram, nos alteram incolimus. *k* Illius ſitu ob ardorem intercedentis plagæ incognito, hujus dicendus eſt. Hæc ergo ab ortu porrecta ad occaſum, & quia ſic jacet, aliquanto quam ubi latiſſima eſt longior, *l* ambitur omnis Oceano: quatuorque ex eo maria recipit: *m* unum ab ſeptentrione, *n* à meridie duo, *o* quartum ab occaſu. ſuis locis illa referentur. *p* Hoc primum, anguſtum, nec amplius decem millibus paſſuum patens, terras aperit, atque intrat. Tum longe lateque diffuſum, abigit vaſte cedentia littora, iiſdemque ex diverſo prope coëuntibus, adeo in arctum agitur, ut minus mille paſſibus pateat. Inde ſe rurſus, ſed modice admodum laxat: rurſuſque etiam quam fuit arctius exit in ſpatium. Quo cum eſt acceptum, ingens iterum & magnum, & paludi (cæterum exiguo ore) conjungitur. Id omne quâ venit, quaque

 diſper-

Digitized by Google

# PETRI IOANNIS OLIVARII

## ANNOTATIONES.

PRæfatur operis pondus, varietatem, obſcuritatem, & perplexum argumentum: deinde quid in hoc libro & in aliis perſequetur.

a *Dicere*] Nam orator præfatur, dicunt enim oratores, ſed nove Dicere pro Deſcribere dixit.

b *Materia*] Oratorium eſt.

c *Ope*] Modeſtiam indicat.

d *Orantis*] Nimirum talis voluit haberi in procemio.

e *Forma*] An videlicet ſphærica, rotunda, aut alterius figuræ.

f *Intra*] Ad ſinus refertur.

g *Additis quæ*] Πρὸς τὴν τοπογραφίαν ſpectat.

## CAP. I.

## MVNDI IN QVATVOR PARTES DIVISIO.

OMNE igitur hoc, quicquid id eſt, cui mundi cœlique nomen indidimus, unum eſt, & *a* uno ambitu ſe cunctaque amplectitur. Partibus differt, unde ſol oritur, *b* oriens nuncupatur, aut ortus: quo demergitur, *c* occidens, vel occa-

occaſus : quâ decurrit, *d* meridies : ab adverſa parte, *e* ſeptentrio. Hujus medio terra ſublimis cingitur undique mari : eademque in duo latera, quæ *f* hemiſphæria nominantur, ab oriente diviſa ad occaſum, zonis quinque diſtinguitur. *g* Mediam æſtus infeſtat, frigus ultimas : reliquæ habitabiles paria agunt anni tempora, verum *h* non pariter. *i* Antichthones alteram, nos alteram incolimus. *k* Illius ſitu ob ardorem intercedentis plagæ incognito, hujus dicendus eſt. Hæc ergo ab ortu porrecta ad occaſum, & quia ſic jacet, aliquanto quam ubi latiſſima eſt longior, *l* ambitur omnis Oceano : quatuorque ex eo maria recipit : *m* unum ab ſeptentrione, *n* à meridie duo, *o* quartum ab occaſu. ſuis locis illa referentur. *p* Hoc primum, anguſtum, nec amplius decem millibus paſſuum patens, terras aperit, atque intrat. Tum longe lateque diffuſum, abigit vaſte cedentia littora, iiſdemque ex diverſo prope coëuntibus, adeo in arctum agitur, ut minus mille paſſibus pateat. Inde ſe rurſus, ſed modice admodum laxat : rurſuſque etiam quam fuit arctius exit in ſpatium. Quo cum eſt acceptum, ingens iterum & magnum, & paludi ( cæterum exiguo ore ) conjungitur. Id omne quâ venit, quaque



Digitized by Google

diſpergitur, uno vocabulo noſtrum mare dicitur. Anguſtias introitumque venientis, nos *q* fretum, Græci *r* πορθμὸν appellant. Quâ diffunditur, alia aliis locis cognomina acceptat. Vbi primum ſe coarctat, *ſ* Helleſpontus vocatur: Propontis, ubi expandit: ubi iterum preſſit, *t* Thracius Boſporus: ubi iterum effundit, pontus Euxinus: quâ paludi committitur, Cimmerius Boſporus: palus ipſa, Mæotis. Hoc mari & duobus inclytis amnibus, Tanai & Nilo, *v* in tres partes univerſum dividitur. Tanais à ſeptentrione ad meridiem vergens, in mediam ferè Mæotida defluit: & ex diverſo Nilus in pelagus. Quod terrarum jacet à freto ad ea flumina, ab altero latere Africam vocamus: ab altero, Europen: ad Nilum, Africam: ad Tanaim, Europen. Vltra quicquid eſt, Aſia eſt.

## IN CAP. I.

MUndum in primis, quatuor diſtinguit partibus: deinde terram quinque regionibus, quas zonas appellat. Mare vero in quinque diſtribuit maria, Oceanum, Mediterraneum, Caſpium, Perſicum, & Arabicum. Indicat poſtea tria freta, & duos ingentes amnes, quibus terra ipſa in tres diviſa eſt partes.



Digitized by Google

a *Vno ambitu ſe*] Igitur ſphæricum eſt. refertur ad ea verba procœmii, Quæ ſit forma totius.

b *Oriens*] Oriens dicitur omnis pars terræ in qua ſol oritur: hinc eſt quod punctum mobile vocatur. Græcis eſt ἀνατολή, Italis Levante, Germanis Oſt.

c *Occidens*] Occidens eſt ubicunque ſol occidit: punctum etiam mobile. Græcis eſt δύσις, Italis Ponente, Germanis Vueſt.

d *Meridies*] Duo ſunt puncta fictitia, Meridies & Septentrio, ſed immobilia. Meridies Græcis eſt μεσημβρία, Italis Mezo giorno, Germanis Zuyd.

e *Septentrio*] Græcis eſt βόρεας, Italis Tramontana, Germanis Norden.

f *Hemiſphæria*] Semiſphæria.

g *Mediam æſtus*] Quia diu ſol decurrit per eam.

h *Non pariter*] Quia quando nobis eſt hyems, habitantibus alterum hemiſphærium eſt æſtas: & quando nobis æſtas, illis hyems.

i *Antichthones*] Adverſam terram habitantes, Antipodes. χθὼν terra eſt, & ἀντὶ, adverſus, contra. Nec eſt dubium quin ſint Antichthones poſt apertas navigationes.

k *Illius ſitu ob ardorem*] Seculo Pomponii nemo auſus fuit mediterranea Africæ peragrare. exiſtimabant enim hanc plagam adeo fervere æſtibus, ut non poſſet habitari. Mela ſui ſeculi ſententiam refert. Dices, Sunt multi qui ibi agant. Fateor, ſed ſeculo Melæ nemo fuit qui hoc fateretur. Hallucinati ſunt (dices) quotquot fuêre illo tempore? Quaſi vero ignoratio, eſſet hallu-

hallucinatio. fateor plane eos ignoraſſe hemiſphærium Antichthonum: ſed nec propterea hallucinatos fuiſſe. Quid igitur erravit Mela, ſi cum ſuo ſeculo ignoraverit alterum hemiſphærium & navigationem per zonam torridam?

l *Ambitur omnis Oceano*] Homero & Ariſtoteli terra inſula eſt.

m *Unum ab ſeptentrione*] Nihil fabuloſius, & in quo magis hallucinata ſit antiquitas. Argumentum erroris fuit, quod à mari Caſpio uſque ad Oceanum ſeptentrionalem parvum terræ tractum veteres faciebant: hinc exiſtimabant mare Caſpium ex Oceano defluere.

n *A meridie duo*] Perſicum & Arabicum intelligit.

o *Quartum ab occaſu*] Mediterraneum, ſive noſtrum.

p *Hoc primum*] Mediterraneum.

q *Fretum*] Dictum à fervendo, autore Varrone. Vulgus hunc fervorem vocat Corrente. inde omnia freta navigantibus ſunt viſa.

r Πορθμὸν] Id eſt trajectum, de Græco verbo πορθμεύω, quod eſt trajicio. Primum fretum dicitur Gaditanum, vulgo Gibraltar, corrupto vocabulo. nam antea Gibel lingua Arabica dicebatur: quæ dictio ſonat montem.

ſ *Helleſpontus*] Nunc El far de Gallipoli.

t *Tracius Boſporus*] Nunc El far de Conſtantinopoli. Far ſignificat ſtrictum ſeu anguſtiam maris.

v *In tres partes*] Varro in duas, Aſiam & Europam: veteres apud Herodotum in qnatuor, Aſiam, Africam, Europam, & Ægyptum: recentiores in tres tantum. nam Ægyptum Aſiæ partem faciunt.

Sum-

Digitized by Google

## CAP. II.

# Summa Aſiæ deſcriptio.

TRibus hanc è partibus tangit Oceanus, ita nominibus ut locis differens. Eous ab oriente, à meridie Indicus, à ſeptentrione Scythicus. Ipſa ingenti ac *a* perpetua fronte verſa ad orientem, *b* tantum ibi ſe in latitudinem effundit, quantum Europa & Africa, & quod inter ambas pelagus immiſſum eſt. Inde *c* cum aliquatenus ſolida proceſſit, ex illo Oceano quem Indicum diximus, Arabicum mare & Perſicum, *d* ex Scythico Caſpium recipit: & ideo quâ recipit anguſtior. *e* Rurſus expanditur, & fit tam lata quam fuerat. deinde cum jam *f* in ſuum finem aliarumque terrarum confinia devenit, *g* media noſtris æquoribus excipitur: reliqua altero cornu pergit ad Nilum, altero ad Tanaim. Ora ejus cum alveo Nili amnis ripis deſcendit in pelagus, & diu, ſicut illud incedit, ita ſua littora porrigit: *h* deinde fit venienti obviam, & primum ſe ingenti ambitu incurvat, poſt ſe ingenti fronte ad Helleſponticum fretum extendit: ab eo iterum *k* obliquat ad Boſporum: *l* iterumque ad Ponticum latus cur-

va, *m* aditum Mæotidos *n* tranſverſo margine attingit. Inde eam gremio ad Tanaim uſque complexa, fit ripa, qua Tanais eſt. In ea primos hominum accepimus ab oriente, *o* Indos, *p* Seres & *q* Scythas. Seres media ferme Eoæ partis incolunt, Indi & Scythæ ultima: ambo late patentes, neque in hoc tantum pelagus effuſi. Spectant enim etiam meridiem Indi, oramque Indici maris ( niſi ubi æſtus inhabitabilem efficiunt ) diu continuis gentibus occupant. Spectant & ſeptentrionem Scythæ, ac littus Scythicum (niſi unde frigoribus arcentur ) uſque ad Caſpium ſinum poſſident. Inde proxima eſt Ariane, deinde Aria, & Gedroſis, & *r* Perſis ad ſinum Perſicum. Hunc populi Perſarum ambiunt, illum alterum Arabes. Ab his, *ſ* quod in Africam reſtat, Æthiopum eſt: illic Caſpiani Scythis proximi ſinum Caſpium cingunt. Vltra Amazones, ultraque eas *t* Hyperborei eſſe memorantur. Interiora terrarum multæ variæque gentes habitant, Candari & Paricani, Bactri & Suſiani, Pharmacotrophi, Bomarei, Coamani, Rophanes, Dahæ. Super Scythas, Scytharumque deſerta, ac ſuper Caſpium ſinum, Comari, Maſſagetæ, Cadufii, Hyrcani, Hiberi. Super Amazonas & Hyperboreos, Cimmerii, Scythæ, E-
nioch æ:

niochæ, Georgi, Moſchi, Corſitæ, Phoriſtæ, Riphaces: atque ubi in noſtra maria tractus excedit, Mardi, Antibarani: & notiora jam nomina, Medi, Armenii, Comageni, Murrani, Vegeti, Cappadoces, Gallogræci, Lycaones, Phryges, Piſidæ, Iſauri, Lydi, Syrocilices. Rurſus ex iis quæ meridiem ſpectant, eædem gentes interiora littora tenent uſque ad ſinum Perſicum. Super hunc ſunt *v* Parthi, & Aſſyrii: ſuper illum alterum Babylonii. & ſuper Æthiopas Ægyptii. Ripis Nili amnis & mari proxima iidem Ægyptii poſſident. Deinde Arabia anguſta fronte ſequentia littora attingit. Ab ea uſque ad flexum illum quem ſupra retulimus, Syria: & in ipſo flexu, Cilicia: extra autem, Lycia & Pamphylia, *x* Caria, Ionia, Æolis, Troas uſque ad Helleſpontum. Ab eo Bithyni ſunt ad Tracium Boſporum. Circa Pontum aliquot populi, alio alioque fine, omnes uno nomine Pontici dicuntur. Ad lacum, Mæotici: ad Tanaim, *y* Sauromatæ.

## IN CAP. II.

*a Perpetua fronte*] Non interrupta, ſed integra verſus orientem & ſeptentrionem.

b *Tantum ibi ſe in latitudinem*] Hæc referuntur ad ſecula Melæ, quibus nondum tota Africa innotuerat.

c *Cum aliquatenus ſolida*] Ex ignoratione illarum regionum hæc dixit Mela. non erant hæc littora maris Indici plene cognita Pomponii tempore. conſtat enim ex recentioribus navigationibus, non poſſe ſolidam eſſe ad meridiem, ob ſinum Arabicum, Perſicum, ſinumCaticolpicum, Gangeticum, & Magnum.

d *Ex Scythico Caſpium*] Diximus ignoraſſe antiquitatem diſtantiam ab Hyrcano mari uſque ad Oceanum ſeptentrionalem, & propterea incidiſſe in illum errorem.

e *Rurſus expanditur*]. In littore maris Rubri verſus Ægyptum.

f *In ſuum finem*] Hoc eſt, ad Caput bonæ ſpei: nunc Cabo de bona ſperanza, verſus meridiem, & Tanaim, verſus ſeptentrionem.

g *Media*] Hoc eſt, mediam circumluit noſtrum mare, ſive mediterraneum.

h *Deinde fit venienti obviam*] Ad flexum Syriacum.

i *Ingenti ambitu*] A Peluſio oſtio, & oppido nunc Damiata, uſque ad Cariam regionem Aſiæ minoris.

k *Obliquat*] Utcunque flectitur in Propontide.

l *Iterum curva*] Ad Pontum Euxinum.

m *Aditum*] Cimmerium Boſporum oſtendit.

n *Tranſverſo margine*] Hoc eſt, angulum faciente.

o *Indos*] Ab oriente & meridie retinent nomen. Diviſa eſt India in ſuperiorem & inferiorem: Inferior, in Indiam extra Gangem, & Indiam intra Gangem. Superioris ſunt regna præ-

cipua,

Digitized by Google

cipua, Cathai, Mulpha, Cyamba, Chairam, Thebet, Bocat, & regnum Murſuli, Moabor, Moabat, & regnum Var, nunc Synarum: Luſitani vocant Chinarum. India extra Gangem habet Lamay regnum, & prope Malaqua. India intra Gangem, Narſingam, regnum potentiſſimum, & prope caput Curiæ Callicut, regnum & civitatem, ubi & Canamor, Tormapatain, Pandarani, Biſnagar, Bartacala.

p *Seres*] Orientalis regio Sereca, & magis mediterranea quam Scythica & India ſuperior, inter Scythas & Indos ſita. hujus regionis ſunt provinciæ Camul & Chichitalis.

q *Scythas*] Quoquot ſunt à parte illa orientali quæ provincia Tangut vocatur uſque ad Rha fluvium, omnes uno nomine Scythæ dicuntur, & tota regio noſtro ſeculo Tartaria. principio ab oriente ſunt Scythæ: extra Imaum montem, ramentum Tauri, ſunt quidem Tartari, apud quos eſt Tangur, Cathaia & Halor, ſubjecta omnia Magno Cham, regi Tartarorum: in Scythia intra Imaum ſunt alii Tartari uſque ad Rha, ut diximus: Poſtea uſque ad Tanaim ſunt Sarmatici Aſiatici.

r *Perſis*] Retinet nomen, cujus dominus eſt Sophus.

ſ *Quod in Africam*] Intellige meridiem verſus. nam ſeptentrionem verſus Ægyptus eſt.

t *Hyperborei*] Scythæ ſunt & Tartari: ſunt tamen qui dicant eos Europæos eſſe.

v *Parthi*] Parthi & Aſſyrii ſub ditione Sophi regis.

x *Caria*] Ab ea uſque ad Bithyniam regio Aſia minor dicitur, nunc Anatolia & Turgiva.

y *Sauromatæ*] Sarmatæ Aſiatici, inter quos ſunt Magni Bulgari.



Digitized by Google

## CAP. III.

# Summa Europæ deſcriptio.

EVropa terminos habet, ab oriente *a* Taniam, & Mæotida, & Pontum: à meridie reliqua noſtri maris: ab occidente, Atlanticum: à ſeptentrione, Britannicum Oceanum. Ora ejus, forma littorum. à Tanai ad Helleſpontum, quâ ripa eſt dicti amnis, quâ flexum paludis ad Boſporum redigit, quâ Ponto, Propontidi & Helleſponto latere adjacet, contrariis littoribus Aſiæ non oppoſita modo, verumetiam ſimilis eſt. Inde ad fretum *b* nunc vaſte retracta, nunc *c* prominens, tres maximos ſinus efficit, totidemque in altum ſe magnis frontibus evehit. Extra fretum ad occidentem inæqualis admodum, *d* præcipue media, quâ procurrit ad ſeptentrionem: niſi *e* ubi ſemel *f* iterumque grandi receſſu *g* abducitur, pene ut *h* directo limite extenta eſt. Mare quod primo ſinu accipit *i* Ægæum dicitur: quod *k* ſequenti, in ore, Ionium: Adriaticum, interius: quod ultimo, nos Thuſcum, Graii Tyrrhenum perhibent. Gentium prima eſt *l* Scythia, alia quam dicta eſt: à Tanai media ferme Pontici latens, *m* hinc

hinc in Ægæi partem continens, Thraciæ ac Macedoniæ adjungitur. *n* Tum Græca prominet, Ægæumque ab Ionio mari dirimit. Adriatici latus *o* Illyris occpat. Inter ipſum Adriaticum & Thuſcum Italia procurrit. *p* In Thuſco intimo Gallia eſt, ultra Hiſpania eſt. Hæc in occidentem denique etiam ad ſeptentrionem *q* diverſis frontibus vergit. Deinde rurſus Gallia eſt longe, *r* & à noſtris littoribus huc uſque promiſſa. Ab ea Germani *ſ* ad Sarmatas porriguntur, illi ad Aſiam. Hæc de Europa.

## IN CAP. III.

a *Tanaim*] Nunc Tana dicitur.

b *Nunc vaſte retracta*] Ad ſinum Ægæum, Adriaticum, & ad Thuſcum refertur.

c *Prominens*] In Peloponneſo, & in promontorio Calabriæ.

d *Præcipue media*]. Verſus Pyrenæos, ad fontem Rabiam.

e *Vbi ſemel*] Apud fontem Rabiam.

f *Iterumque*] in Germaniam. Pomponius reliquit ſinum Danorum.

g *Abducitur*] Dictio familiaris Melæ. retrahitur.

h *Directo limite*] Directo margine & littore: id eſt, perpetua eſt, niſi in fine Pyrenæorum & in Germania. nam tres ſinus facit.

i *Ægæum*] Dictum autore Varrone ab hinnulis, quod in eo mari ſcopuli à ſimilitudine caprarum, αἶγες vocentur.

k *Se-*

k *Sequenti in ore*] Os appellat, & non ſinum Corinthiacum: quanquam revera ſinus eſt. Mare Ægæum protenditur ab Helleſponto uſque ad ſinum Megaricum, in Peloponneſo: à ſinu vero Megarico uſque ad os ſinus Adriatici, Ionium. Mare Ægæum nunc dicitur Archipelago: nam complectitur Syriacum, quod nunc eſt El mar de Suria: Mare Adriaticum ab Adria oppido dictum jam non extat. erat enim prope Venetias. nunc hoc mare dicitur La Canal de Venecia.

l *Scythia*] Duplicem indicat Scythiam, ſicut duplicem Sarmatiam. Scythiam Aſiaticam, quæ pars eſt Tartariæ: & Europæam, quæ Hunnos, Moſchobitas, Lituanos comprehendit.

m *Hinc*] Hoc eſt, à medio latere Ponti uſque ad Ægæi partem eſt Thracia: cujus metropolis eſt Conſtantinopolis, ubi mediterranei ſunt Bulgarii & Valachi.

n *Tum Græcia prominet*] Peloponneſum intelligit. nunc eſt La Morea.

o *Illyris*] Nunc Sclavonia.

p *In Tuſco intimo Gallia*]Ita eſt, ſi nomine Galliæ comprehenderis Ciſalpinam & Tranſalpinam.

q *Diverſis frontibus*] Primum Sacro promontorio, quod nunc dicitur Cabo de San Vincente. Deinde Nerio, quod nunc eſt finis terræ in Compoſtella. Tum Gobeo, in Britannia minore. nunc eſt Sanctus Matthæus. Poſtea Dacico, ubi ſunt liberæ civitates: quarum præcipua eſt Lubecum: dictæ nunc civitates Oſtrelingorum.

r *A noſtris littoribus*] Id eſt, à littoribus maris mediterranei.

ſ *Ad Sarmatas*] Nunc Polonos, id eſt, uſque ad Viſulam amnem, diſtinguentem Sarmatiam à Germania.

CAP.

Digitized by Google

## CAP. IV.

# Summa Africæ deſcriptio.

AFrica ab orientis parte Nilo terminatur, pelago à cæteris. Brevior eſt quidem quam Europa (*a* quia nec uſquam Aſiæ, & non totius hujus littoribus obtenditur) *b* longior tamen ipſa quam latior, & *c* quâ ad fluvium attingit, latiſſima. Vtque inde procedit, *d* ita media præcipue in juga exurgens, *e* pergit incurva ad occaſum, *f* faſtigiatque ſe molliter: *g* & ideo ex ſpatio paulatim *h* adductior. Vbi finitur, ibi maxime anguſta eſt. *i* Quantum incolitur, eximie fertilis. Verum quod pleraque ejus inculta, & aut arenis ſterilibus obducta, aut ob ſitim cœli terrarumque deſerta ſunt, aut infeſtantur multo ac malefico genere animalium, vaſta eſt magis quam frequens. Mare quo cingitur à ſeptentrione, Libycum: à meridie, Æthiopicum: ab occidente, Atlanticum dicimus. Ab ea parte quæ Libyco adjacet, proxima Nilo provincia, quam *k* Cyrenas vocant. Deinde, cui totius regionis vocabulo cognomen inditum eſt, *l* Africa. Cætera Numidæ & Mauri tenent. Sed *m* Mauri in Atlanticum pelagus

lagus expoſiti. Vltra *n* Nigritæ ſunt, & Pharuſii, uſque ad Æthiopas. Hi & reliqua hujus, & totum latus quod meridiem ſpectat, uſque in Aſiæ confinia poſſident. At ſuper ea quæ Libyco mari abluuntur, Libyes Ægyptii ſunt, & Leucoæthiopes: & natio frequens multiplexque, Gætuli. Deinde late vacat regio, perpetuo tractu inhabitabilis. Tum primos ab oriente Garamantas, poſt Augilas & Troglodytas, & ultimos ad occaſum Atlantas audimus. Intra (ſi credere libet) vix jam homines, magiſque ſemiferi, Ægipanes, & Blemmyæ, & Gamphaſantes, & Satyri, ſine tectis paſſim ac ſedibus, vagi habent potius terras quam habitent. Hæc ſumma noſtri orbis, hæ maximæ partes: hæ formæ genteſque partium. Nunc exactius oras ſituſque dicturo, inde eſt commodiſſimum incipere, *o* unde terras noſtrum pelagus ingreditur: & ab iis potiſſimum *p* quæ influenti dextra ſunt. Deinde ſtringere littora ordine quo jacent: peragratiſque omnibus quæ mare attingunt, legere etiam illa quæ cingit Oceanus: donec curſus incepti operis intra extraque circumvectus orbem, *q* illuc unde cœperit redeat.

IN

## IN CAP. IV.

a *Quia nec uſquam Aſiæ*] Nuſquam Aſiæ littoribus contra tenditur Africa.

b *Longior tamen ipſa quam latior*] Nil verius, ſi ad ſecula Pomponii referas, quibus Africæ uſque ad principium Æthiopiæ ſolum cognita erat.

c *Qua ad fluvium*] Nilum intellige.

d *Ita media præcipue in juga*] A Numidia, quæ ſita eſt in media Africa, incipiunt exurgere montes. quanquam à Catabathmo uſque ad fretum ſemper exurgit Africa, præcipue tamen in Numidia.

e *Pergit incurva*] Id eſt, nullos facit ſinus. niſi voles Syrtes appellare ſinus.

f *Faſtigiatque ſe molliter*] Id eſt, errigitur, & contrahitur, in cunei formam pedetentim.

g *Et ideo ex ſpatio paulatim adductior*] Ex ſpatio, quaſi vix ſcires cognoſcere diſcrimen contractionis, niſi in magno ſpatio.

h *Adductior*] Contractior.

i *Quantum incolitur*] Hoc eſt, Totus tractus marinus eximie fertilis, mediterraneus ſterilis.

k *Cyrenas*] Nunc dicta Corena.

l *Africa*] Minor, nunc dicta Barbaria.

m *Mauri*] A potentiſſima civitate dicti, quæ nunc eſt Marruecos, ubi agunt Alarabes.

n *Nigritæ & Pharuſii*] Dicam poſtea, mediterranei ſunt.

o *Vnde terras noſtrum pel.*] Id eſt, à freto Gaditano.

p *Quæ influenti dextra*] Ab Africa.

q *Illuc unde cœperit*] Id eſt, in idem fretum.

CAP.

## CAP. V.

# Particularis Africæ deſcriptio.

### MAVRITANIA.

Dictum eſt *a* Atlanticum eſſe Oceanum, qui terras ab occidente contingeret. Hinc in noſtrum mare pergentibus, læva Hiſpania, Mauritania dextra eſt. Primæ partes illæ Europæ, hæ Africæ. Ejus oræ finis, Mulucha: caput atque exordium eſt promontorium, quod Græci *b* Ampeluſiam, Afri aliter, ſed idem ſignificante vocabulo, appellant. In eo eſt ſpecus Herculi ſacer: & ultra ſpecum *c* Tingi oppidum pervetus, ab Antæo (ut ferunt) conditum. Extat rei ſignum, parma elephantino tergore execto ingens, & ob magnitudinem nulli nunc uſuro habilis: quam locorum accolæ ab illo geſtatam pro vero habent, traduntque, & inde eximiè colunt. Deinde eſt mons præaltus, ei quem ex adverſo Hiſpania attollit objectus. hunc, *d* Abylam, illum, *e* Calpen vocant, columnas Herculis utrunque. Addit fama nominis fabulam, Herculem ipſum junctos olim perpetuo jugo diremiſſe colles, atque ita, exclu-

excluſum antea mole montium Oceanum, ad quæ nunc inundat admiſſum. Hinc jam mare latius funditur, ſummotaſque vaſtius terras magno impetu inflectit. Cæterum regio ignobilis, & vix quicquam illuſtre ſortita, parvis oppidis habitatur, parva flumina emittit, ſolo quam viris melior, & ſegnitie gentis obſcura. Ex iis tamen quæ commemorare non piget, montes ſunt alti, qui continenter & quaſi de induſtria in ordinem expoſiti, ob numerum, ſeptem, ob ſimilitudinem fratres vocantur. *f* Tamuada fluvium, & *g* Ruſicada, & *h* Siga, parvæ urbes: & portus, cui Magno eſt cognomen ob ſpatium. Mulucha ille quem diximus amnis eſt ingentium olim regnorum terminus, Bocchi Iugurthæque.

## IN CAP. V.

a *Atlanticum*] Atlas mons major Africam dividit, nunc dicitur Majuſte: Atlas minor, Lante.

b *Ampeluſiam*] A vinetorum copia, promontorium eſt. nec hodie vocatur Cabo deſparto, ſed Cabo de Cantero.

c *Tingi*] Nunc Taniar, regis Luſitaniæ.

d *Abylam*] Nunc Aceuta: oppidum etiam Luſitanorum. hinc ſumit initium mons ille qui nunc dicitur La ſiera dalmarca. Siera Hiſpanice ſonat montem, plenus eſt hic ſimiis.

e *Calpen*] Nunc Gibraltar.

f *Ta-*

f *Tamuada* ] Nunc Bedie : rigat regionem Alarabum.

g *Ruſicada* ] Nunc Aſtora.

h *Siga* ] Nunc La guardia vulgo dicitur.

## CAP. VI.

## Numidia.

AB eo *a* Numidia ad ripas expoſita fluminis Ampſagæ, ſpatio quidem quam Mauritania anguſtior eſt, verum & culta magis & ditior. Vrbium quas habet, maximæ ſunt, *b* Cyrtha procul mari, nunc Sittianorum colonia, quondam regum domus Iubæ & Siphacis, cum foret opulentiſſima. *c* Iol ad mare, aliquando ignobilis, nunc, quia Iubæ regia fuit, & quod Cæſarea vocitatur, illuſtris. Citra hanc (nam in medio ferme littore ſita eſt) *d* Cartenna & *e* Arſenaria ſunt oppida, & Ampſa caſtellum, & Laturus ſinus, & Sardabale fluvius. Vltra, monumentum commune regiæ gentis. Deinde Icoſium & Vthiſia urbes, effluentes inter eas Ancus & Nabar, aliaque quæ taceri nullum rerum famæve diſpendium eſt. Interius, & longe ſatis à littore (ſi fidem res capit) mirum ad modum, ſpinæ piſcium, muricum oſtreorumque fragmenta, ſaxa attrita (uti ſolent) fluctibus, & non differentia marinis, infixæ cautibus anchoræ. Alia & hu-

Digitized by Google

& hujuſmodi ſigna atque veſtigia effuſi olim uſque ad ea loca pelagi, in campis nihil alentibus eſſe inveniríque narrantur.

### IN CAP. VI.

a *Numidia*] Pars Africæ minoris, teſte Ptolemæo.
b *Cyrtha*] Nunc Conſtana.
c *Iol*] Nunc Bugia.
d *Cartenna*] Nunc Sileſæ.
e *Arſenaria*] Nunc Arſen.

## CAP. VII.

## Africa minor.

REgio quæ ſequitur à promontorio *a* Metagonio ad *b* aras Philænorum, propriè nomen Africæ uſurpat. In ea ſunt oppida, *c* Hippo regius, & Ruſicade, & Tabraca. Deinde tria promontoria, Candidum, Apollinis, Mercurii, vaſte projecta in altum, duos grandes ſinus efficiunt. Hipponenſem vocant proximum ab Hippone Diarrhyto, quod littori ejus appoſitum eſt. In altero ſunt caſtra Lęlia, caſtra Cornelia, *d* flumen Bragada, *e* Vtica, & *f* Carthago: ambæ inclytæ, ambæ à Phœnicibus conditæ. Illa fato Catonis inſignis, hæc ſuo: nunc populi Romani colonia, olim imperii ejus pertinax æmu-

æmula : jam quidem iterum opulenta, etiam nunc tam priorum excidio rerum, quam ope præſentium clarior. Hadrumentum, Leptis, *g* Clupea, Abrotonum, Taphræ, *h* Neapolis, hinc ad *i* Syrtim adjacent, ut inter ignobilia celeberrimæ. Syrti ſinus eſt centum fere milia paſſuum, quâ mare accipit, patens : trecenta, quâ cingitut. Verum importuoſus atque atrox & ob vadorum frequentium brevia, magiſque etiam ob alterranos motus pelagi affluentis & refluentis infeſtus. Super hunc ingens palus, amnem Tritona recipit, ipſa Tritonis : unde & Minervæ cognomen inditum eſt, ut incolæ arbitrantur, ibi genitæ : faciuntque ei fabulæ aliquam fidem, quod quem natalem ejus putant, ludicris virginum inter ſe decertantium celebrant. Vltra eſt Oea oppidum, & Cinyphs fluvius per uberrima arva decidens. Tum Leptis altera, & Syrtis, nomine atque ingenio per priori : cæterum altero fere ſpatio quâ dehiſcit, quaque flexum agit, amplior. Ejus promontorium eſt Borion, ab eoque incipiens ora, quam *k* Lotophagi tenuiſſe dicuntur, uſque ad Phycunta (& id promontorium eſt) importuoſo littore pertinax. Aræ ipſæ nomen ex Philænis fratribus traxêre, qui contra Cyrenaicos miſſi Carthagine ad

diri-

dirimendum conditione bellum, diu jam de finibus, & cum magnis amborum cladibus geſtum, poſtquam in eo quod convenerat non manebatur, ut ubi legati concurrerent, certo tempore utrinque dimiſſi, ibi termini ſtatuerentur: pacti de integro, ut quicquid citra eſſet, popularibus cederet, mirum & memoria digniſſimum facinus, hîc ſe vivos obrui pertulerunt.

## IN CAP. VII.

a *Metagonia*] Nunc dicitur El Cabo de tres arcas.
b *Aras Philænorum*] Hodie ſunt Porto de Saba.
c *Hippo.*] Nunc bona.
d *Flumen*] *Bragada* Nomen retinet.
e *Vtica*] Nunc Biſartha.
f *Carthago*] Nomen retinet,
g *Culpea*] Quippia vulgo.
h *Neapolis*] Nunc Mahometa.
i *Syrtim*] Syrtes Luſitani vocant Baxos de Barberia, alii Banquos.
k *Lotophagi*] Nunc Los Chelbens.
l *Qui contra Cyrenaicos*] Locus iſte eſt mutilus, quædam enim deſiderantur, ut ſit integra Pomponii lectio. ubi enim eſt, pacti deintegro, deeſt Pomponio pactum. Neſcies ex lectione Pomponiana quid pacti fuerint, niſi ex Salluſtio addideris, Vt vel illi quo fines populo ſuo peterent, ibi vivi obruerentur, vel eadem conditione ſeſe quem in locum vellent proceſſuros. Philæni, conditione probata, (mirum & memoria digniſſimum facinus) hic ſe vivos obrui pertulerunt.

Cyre-

## CAP. VIII.

# Cyrenaica.

INde ad Catabathmon Cyrenaica provincia eſt, in eaque ſunt, *a* Ammonis oraculum, fidei inclytæ : & fons, quem Solis appellant : & rupes quædam Auſtro ſacra. Hæc cum hominum manu attingitur, ille immodicus exurgit, arenaſque quaſi maria agens, ſic ſævit, ut æquor fluctibus. Fons media nocte fervet, mox & paulatim tepeſcens, fit luce frigidus : tunc ut ſol ſurgit, ita frigidior ſubinde : per meridiem maxime riget. Sumit deinde tepores iterum, & prima nocte calidus, atque ut illa procedit, ita calidior : rurſus cum eſt media, perfervet. In littore promontoria ſunt Zephyrion & Nauſtathmos, portus Parætonius. Vrbes *b* Heſperia, *c* Apollonia, *d* Ptolemais, Arſinoë, atque (unde terris nomen eſt) ipſa *e* Cyrene. Catabathmos *f* vallis devexa in Ægyptum, finit Africam. Oræ ſic habitantur, ad noſtrum maxime ritum moratis cultoribus, niſi quod quidam linguis differunt, & cultu deorum, quos patrios ſervant, ac patrio more venerantur. Proximis nullæ quidem urbes ſtant, tamen domici-

micilia ſunt quæ mapalia appellantur. victus aſper, & munditiis carens. Primores ſagis velantur, vulgus beſtiarum pecudumque pellibus: humi quies epulæque capiuntur. Vaſa ligno fiunt aut cortice. Potus eſt lac, ſucculſque baccarum: cibus eſt caro, plurimum ferina. Nam gregibus (quia id ſolum optimum eſt) quoad poteſt parcitur. Interiores etiam incultius, ſequuntur vagi pecora: utque à pabulo ducta ſunt, ita ſe ac tuguria ſua promovent: atque ubi dies deficit, ibi noctem agunt. Quanquam in familias paſſim & ſine lege diſperſi, nihil in commune conſultant: tamen quod ſingulis aliquot ſimul conjuges, & plures ob id liberi agnatique ſunt, nuſquam pauci degunt. Ex his qui ultra deſerta eſſe memorantur, Atlantes ſolem execrantur, & dum oritur & dum occidit, ut ipſis agriſque peſtiferum. Nomina ſinguli non habent: non veſcuntur animalibus: neque illis in quiete qualia cæteris mortalibus viſere datur. Troglodytæ, nullarum opum domini, ſtrident magis quam loquuntur, ſpecus ſubeunt, aluntur que ſerpentibus. Apud Garamantes etiam armenta ſunt ea quæ obliqua cervice paſcuntur. nam pronis directa in humum cornua officiunt. Nulli certa uxor



Digitized by Google

eſt. ex his qui tam confuſo parentum coitu paſſim incertiſque naſcuntur, quos pro ſuis colant, formæ ſimilitudine agnoſcunt. Augilæ manes tantum deos putant: per eos dejerant, eos ut oracula conſulunt: precatique quæ volunt, ubi tumulis incubuêre, pro reſponſis ferunt ſomnia. Fœminis eorum ſolenne eſt, nocte qua nubunt, omnium ſtupro patêre, qui cum munere advenerint. & tum cum plurimis concubuiſſe, maximum decus: in reliquum pudicitia inſignis eſt. Nudi ſunt Gamphaſantes, armorumque omnium ignari: nec vitare ſciunt tela nec jacere: ideoque obvios fugiunt, neque aliorum quam quibus idem ingenii eſt, aut congreſſus, aut colloquia patiuntur. Blemmyis capita abſunt: vultus in pectore eſt. Satyris, præter effigiem, nihil humani. Ægipanum quæ celebratur, ea forma eſt. Hæc de Africa.

## IN CAP. VIII.

a *Ammonis oraculum*] Nunc El Cancarro de Mahoma. b *Heſperia*] Nunc Bernic. c *Appollonia*] Nunc Bonadria. d *Petolemais*] Tolomita nunc. e *Arſinöe*] Hodie Trochara f *Cyrene*] Corena vulgo.

g *Vallis deflexa in Ægyptum.*] Uſque ad Ægyptum, ita ut nihil contineat Ægypti. Nam ex ſententia Melæ Ægyptus Aſiæ pars eſt.

CAP.

Digitized by Google

## CAP. IX.

# Particularis Aſiæ deſcriptio.

## ÆGYPTUS.

ASiæ prima pars Ægyptus *a* inter Catabathmon & Arabas,ab hoc littore penitus immiſſa, donec Æthiopiam *b* dorſo contingat, ad meridiem refugit. Terra expers imbrium, mire tamen fertilis, & hominum aliorumque animalium perfœcunda generatrix. Nilus efficit, amnium in noſtrum mare permeantium maximus. Hic ex deſertis Africæ miſſus, nec ſtatim navigari facilis, nec ſtatim Nilus eſt: & cum diu ſimplex ſævuſque deſcendit, *c* circa Meroën late patentem inſulam, in Æthiopiam diffunditur, alteraque ex parte Aſtaboras, altera Aſtapus dictus eſt. *d* Vbi rurſus coit,ibi nomen hoc capit. Inde partim aſper,partim navigia patiens, in immanem lacum devenit:ex quo præcipiti impetu egreſſus, & Tachempſo alteram inſulam amplexus,uſque ad Elephantidem urbem Ægyptiam atrox adhuc fervenſque decurrit. Tum demum placidior, & jam pene navigabilis, primum juxta Cercaſorum oppidum triplex eſſe incipit.

Deinde ſemel iterumque diviſus, ad Delta & ad Metilim it per omnem Ægyptum vagus atque diſperſus: ſeptemque in ora ſe ſcindens, ſingulis tamen grandis, evolvitur. Non pererrat autem tantum eam, ſed æſtivo ſydere exundans etiam irrigat, adeo efficacibus aquis ad generandum alendumque, ut præter id quod ſcatet piſcibus, quod Hippopotamos Crocodiloſque, vaſtas belluas, gignit, glebis etjam infundat animas, ex ipſaque humo vitalia effingat. Hoc eo manifeſtum eſt, quod ubi ſedavit diluvia, ac ſe ſibi reddidit, per humentes campos quædam nondum perfecta animalia, ſed tum primum accipientia ſpiritum, & ex parte jam formata, ex parte adhuc terrea, viſuntur. Creſcit porro, ſive quod ſolutæ magnis æſtibus nives, ex immanibus Æthiopiæ jugis, largius quam ripis accipi queant, defluunt: ſive quod e ſol hyeme terris propior, & ob id fontem ejus minuens, in æſtate tunc altius abit, ſinitque integrum, & ut eſt pleniſſimus, ſurgere: ſive quod per ea tempora flantes Eteſiæ, aut actas à ſeptentrione in meridiem nubes ſuper principia ejus imbre præcipitant, aut venienti obviæ adverſo ſpiritu, curſum deſcendentis impediunt: aut arenis quas cum fluctibus littori applicant, oſtia obducunt: fit-

ſitque major, vel quod nihil ex ſemet amittit, vel quod plus quam ſolet accipit: vel quod minus quam debet emittit. Quod ſi eſt alter orbis, ſuntque oppoſiti nobis à meridie Antichthones, ne illud quidem à vero nimium abſceſſerit, in illis terris ortum amnem, ubi ſubter maria cæco alveo penetraverit, in noſtris rurſus emergere, & hac re ſolſtitio accreſcere, quod tum hyems ſit unde oritur. Alia quoque in his terris mira ſunt. In quodam lacu Chemnis inſula lucos ſylvaſque & Apollinis grande ſuſtinens templum, natat, & quocunque venti agunt, pellitur. Pyramides tricenûm pedum lapidibus extructæ: quarum maxima (tres namque ſunt) quatuor fere ſoli jugera ſua ſede occupat: totidem in altitudinem erigitur. Mœris, aliquando campus, nunc lacus, viginti millia paſſuum in circuitu patens, altior quam ad navigandum magnis onuſtiſque navibus ſatis eſt. Pſammetichi opus Labyrinthus, domos mille & regias duodecim perpetuo parietis ambitu amplexus, marmore extructus ac tectus, unum in ſe deſcenſum habet, intus pene innumerabiles vias, multis ambagibus huc & illuc remeantibus, ſed *ſ* continuo anfractu, & ſæpe revocatis porticibus

 anci-

ancipites : quibus ſubinde alium ſuper alios orbem agentibus, & ſubinde tantum redeunte flexu quantum proceſſerat, magno & inexplicabili tamen errore perplexus eſt. Cultores regionum multo aliter à cæteris agunt. Mortuos fimo obliti plangunt. Nec cremare aut fodere fas putant : verum arte medicatos intra penetralia collocant. *f* Suis *g* literis perveſe utuntur. Lutum inter manus, farinam calcibus ſubigunt. Forum ac negotia, fœminæ, viri penſa ac domos curant : onera illæ humeris, hi capitibus accipunt. Parentes cum egent, illis neceſſe, his liberum eſt alere. Cibos palam & extra ſua tecta capiunt : obſcœna intimis ædium reddunt. Colunt effigies multorum animalium, atque ipſa magis animalia : ſed alij alia : adeo ut quædam eorum, etiam per imprudentiam, interemiſſe, capitale ſit : & ubi morbo aut ſorte extincta ſint, ſepelire ac lugere ſolenne ſit. Apis populorum omnium numen eſt : bos niger, certis maculis inſignis, & cauda linguaque diſimilis aliorum. Raro naſcitur, nec coitu pecoris (ut ajunt) ſed divinitus & cœleſti igne conceptus. dieſque quo gignitur, genti maxime feſtus eſt. Ipſi vetuſtiſſimi (ut prædicant) hominum *h* trecenos & triginta reges ante Amaſim, & ſupra trede-

tredecim millium annorum ætatates, certis annalibus referunt : mandatumque literis ſervant, dum Ægyptii ſunt, *i* quater curſus ſuos vertiſſe ſydera, ac ſolem bis jam occidiſſe unde nunc oritur. Viginti millia urbium Amaſi regnante habitarunt,& nunc multas habitant. Earum clariſſimæ procul à mari, Sais, *k* Memphis, Syene, Bubaſtis, Elephantis, & Thebæ, utique (ut *l* Homero dictum eſt) centum portas, ſive (ut alii ajunt) centum aulas habent,totidem olim principum domos : ſolitaſque ſingulas, ubi negotium exegerat, *m* dena armatorum millia effundere. In littore, *n* Alexandria Africæ contermina. *o* Pulſium Arabiæ ipſas oras ſecat. Canopicum, Bolbiticum, Sebenniticum, Mendeſium, Pathmiticum, Tanicum, Peluſiacum, Nili oſtia.

IN CAP. IX.

a *Inter Catabathmon & Arabas*] Hoc eſt, inter finem Catabathmi & Arabas. nam eſt magnus tractus à principio Catabathmi uſque ad finem verſus Ægyptum.

b *Dorſo*]Propterea vocatur Æthiopia ſub Ægypto.

c *Circa Meroën*] Dividitur.

d *Vbi rurſus coit*] Poſt Meroën inſulam : tunc vocatur Nilus.

e *Sol hyeme terris proprior*]Terris videlicet, ubi Nilus oritur. nam quando Ægyptiis eſt hyems, illis terris eſt æſtas. propterea ſol eſt propior illis terris.



Digitized by Google

f *Continuo anfractu*] Flexu, ex Varrone.

g *Suis literis perverſe utuntur*] Scribunt enim à dextra ad ſiniſtram. h *Trecenos & triginta reges*] Hæc ſunt Herodoti.

i *Quater curſus ſuos vertiſſe ſydera, ac ſolem bis jam occidiſſe unde nunc oritur*] Hic locus torſit multos viros doctiſſimos, & adhuc torquet. Sunt qui confugiant ad neſcio quæ ænigmata aſtronomiæ: alii ad annos triginta dierum. Nos vero in gratiam geographorum & hiſtoricorum locum exponemus. Nemini dubium eſt, Ægyptios pro certo habuiſſe, cœlum nunquam habuiſſe initium. nam ex hoc fonte Plato mundum nunquam incepiſſe dixit. Deinde Ægyptios tanta ſuperſtitione vetuſtatis laboraſſe, ut planè crediderint ſydera circulos motu proprio ab occidente in orientem quater abſolviſſe: ſed cum octava ſphæra ſpatio centum annorum unum gradum peragat, erit unus curſus proprius, triginta ſex millum annorum: quæ quater addita ſummam conficient centum & quadraginta quatuor millium annorum. hi erunt anni vetuſtatis Ægyptiorum. Sed quod ſol bis occiderit unde nunc oritur, difficile erit exponere: quod tamen nos faciemus, ſummo noſtri honoris periculo ſubituri hanc aleam: ob præjudicatam nonnullorum autoritatem, quæ in hoc loco non obſtabit quo minus libere ſentiamus. Notum eſt, ſphæras cœleſtes duos habere motus, alterum diurnum, quo omnes ſphæræ raptu firmamenti ab oriente in occidentem rapiuntur, hoc quidem quatuor & viginti horarum ſpatio: & alterum proprium, quo unaquæque ab occidente ad orientem movetur ſupra alios polos. Octava ſphæra ſpatio triginta ſex millium annorum abſolvit circulum, ſol uno anno. Quod cum ita ſit, & ſol

& ſol ex ſententia Ægyptiorum in fine curſus ſui non ſolum redeat ad eundem gradum, ſed tranſeat ad alium ſequentem, fit ut cum octava ſphæra attigerit punctum orientis, hoc eſt ſemicirculi, ſol ipſe confectas habebit decem & octo mille revolutiones. Cum vero eadem octava ſphæra abſolvet alterum ſemicirculum uſque ad occidentem, ſol peractas habebit totidem. Hoc modo ſupputando in duabus revolutionibus octavæ ſphæræ, ſol erit in fine ſemicirculi, qui eſt ab occidente in orientem. hoc eſt, in oriente ubi occidit, & in aliis duabus in eodem fine, ubi etiam occidit. Hæc plana ſunt, ſi quis ſciverit ſupputare, & adhibuerit ſphæram materialem.

k *Memphis*] Nunc eſt Meſſer.

l *Vt Homero dictum eſt*] Nono Iliados,

Οὐδ' ὅσ' ἐς Ὀρχομενὸν ποτινίσεται, οὐδ' ὅσα
  Θήβας
Αἰγυπτίας, ὅθι πλεῖστα δόμοις ἐν κτήματα κεῖται,
Αἵ θ' ἑκατόμπυλοί εἰσι, διηκόσιοι δ' ἀν' ἑκάστην
Ἀνέρες ἐξοιχνεῦσι σὺν ἵπποισι καὶ ὄχεσφιν.

m *Dena armatorum millia effundere*] Hunc locum corruptiſſimum poſt Hermolaum & Vadianum nos ex Homero reſtituimus: & miror Hermolaum non vidiſſe dictionem illam διηκόσιοι ſignificare ducentos. Quare ita legendum eſt, Ducenos armatos milites effundere.

n *Alexandria*] Nota eſt: retinet enim nomen.

o *Peluſium*] Nomen oſtii, & oppidi, nunc dicti Damiata.

## CAP. X.

## ARABIA.

ARABIA hinc ad Rubrum mare pertinet, ſed illic magis læta & ditior, thure atque odoribus abundat: hîc, niſi quâ Caſio monte attollitur, plana & ſterilis, portum *a* admittit Azotum ſuarum mercium emporium: quâ in altum abit, adeo edita ut ex ſummo vertice *b* à quarta vigilia ortum ſolis oſtendat.

### IN CAP. X.

a *Admittit*] Recte admittit, quia Azotus non eſt Arabiæ, ſed potius Idumææ.

b *A quarta vigilia*] Duas horas poſt mediam noctem, unde quarta vigilia incipit.

## CAP. XI.

## SYRIA.

*a* SYRIA late littora tenet, terraſque etiam latius introrſus, aliis aliiſque nuncupata nominibus. Nam & *b* Cœle dicitur, & *c* Meſopotamia, & *d* Damaſcene, & *e* Adiabene, & *f* Babylonia, & Iudæa, & Sophene. Hinc *g* Palæſtina eſt, quâ *h* tangit Arabas cum *i* Phœnice: & *k* ubi ſe Ciliciæ committit, Antiochia *l* olim,

*l* olim, ac diu potens: ſed cum eam regno Semiramis tenuit, longe potentiſſima. Ex operibus certe ejus, inſignia multa ſunt: duo maxime excellunt: conſtituta urbs miræ magnitudinis Babylon, ac *m* ficcis olim regionibus Euphrates & Tigris immiſſi. Cæterum in Palæſtina eſt ingens & munita admodum *n* Gaza: (ſic Perſæ ærarium vocant) & inde nomen eſt, quod cum Cambyſes armis Ægyptum peteret, huc belli & opes & pecuniam intulerat. Eſt non minor *o* Aſcalon. Eſt *p* Ioppe, ante diluvium (ut ferunt) condita: ubi Cephea regnaſſe eo ſigno accolæ affirmant, quod titulum ejus, fratriſque Phinei, veteres quædam aræ cum religione plurima retinent: quinetiam rei celebratæ carminibus ac fabulis, ſervatæque à Perſeo Andromedæ, clarum veſtigium, belluæ marinæ oſſa immania oſtentant.

IN CAP. XI.

a *Syria*] Nunc Suria.

b *Cœle*] Id eſt, cava. hoc enim ſonat κοίλη.

c *Meſopotamia*] Id eſt, regio ſita inter duos amnes: ποταμὸς enim fluvius eſt. eſt autem inter Euphratem & Tigrim. nunc dicitur Halapia.

d *Damaſcene*] Nunc Terra de Damaſco.

e *Adiabene*] Regio juxta Euphratem.

f *Babylonia*] Chaldæorum.

g *Palaſtina*] Olim dicta Phileſtina, quod ibi ædificatæ eſſent quinque civitates Philiſtinorum.

Nunc tota Palæſtina diviſa eſt in quinque regiones, Idumæam, Judæam, Samariam, Galilæam, & regionem trans Jordanem.

h *Tangit Arabas*] Arabiam Petræam ab occidente, & Deſertam ab oriente.

i *Phœnice*] Nam poſt Palæſtinam ſequitur Phœnicia verſus ſeptentrionem.

k *Ubi ſe Cilicia committit*] Id eſt, prope Ciliciam.

l *Olim ac diu potens*] Hæc verba non referuntur ad Antiochiam, ſed ad Syriam.

m *Siccis olim*] Euphrates & Tigris olim non Chaldæam irrigabant. erat enim regio ſicca, niſi cura Semiramidis adjectis foſſis ambo fluvii immiſſi fuiſſent.

n *Gaza*] Nomen eſt oppidi in Idumæa.

o *Aſcalon*] Oppidum Idumææ.

p Joppe] Nunc Jaffa, portus peregrinorum Hieroſolymitanorum.

## CAP. XII.

## PHOENICIA.

PHOENICEM illuſtravêre Phoenices, ſolers hominum genus, & ad belli paciſque munia eximium. Literas & literarum operas, aliaſque etiam artes, maria navibus adire, claſſe confligere, imperitare gentibus, regnum præliumque commenti. In ea eſt *a* Tyros, aliquando inſula, nunc annexa terris defecit, quando ab impugnante quondam Alexandro jacta ſunt opera. Vici tenent ulteriora: & adhuc

adhuc opulenta *b* Sidon, antequam à Perſis caperetur, maritimarum urbium maxima. Ab ea ad promontorium Euproſopon duo ſunt oppida, *c* Byblos & Botrys. Vltra tria fuerunt ſingulis inter ſe ſtadiis diſtantia. locus ex numero *d* Tripolis dicitur. Tum Simyra caſtellum, & urbs non obſcura *e* Marathos. Inde jam non obliqua pelago ſed adverſa adjacens, à terra grandem ſinum inflexo tractu littoris accipit. Populi dites circunſident. ſitus efficit: quia regio fertilis, crebris & navigabilibus alveis fluminum pervia, diverſas opes maris atque terrarum facili commercio permutat ac miſcet. In eo prima eſt reliqua pars Syriæ, cui Antiochiæ cognomen additur. Et in ora ejus urbes, *f* Seleucia, *g* Paltos, *h* Berytos, *i* Laodicea, Arados. amneſque inter eas eunt Lichos, & Hypatos, & *k* Orontes. tum *l* mons Amanus, & ab eo ſtatim, Myriandros & Cilices.

## IN CAP. XII.

a *Tyros*] Nunc Sur, erat civitas Chriſtianorum, ſed Turcæ deleverunt eam, & ſervant portum qui vocatur El porto de Sur.

b *Sidon*] Nunc eſt Sidoni.

c *Byblos*] Gaeta nunc.

d *Tripolis*] Nunc Tripol de la Suria.

e *Marathos*] Nunc Margath.

f *Seleucia*] Hodie Solda.

h *Pal-*

Digitized by Google

g *Paltos*] Hodie Gibel.
h *Berytos*] Nunc eſt Baruth, portus Damaſci.
i *Laodicea*] Liche hodie.
k *Orontes*] Fluvius nunc Tarſaro.
l *Mons Amanus*] In fine Syriæ.

## CAP. XIII.

# CILICIA.

AT in receſſu intimo locus eſt magni aliquando diſcriminis, fuſorum ab Alexandro Perſarum fugientiſque Darii ſpectator ac teſtis. Nunc ne minima quidem, tunc ingenti urbe celebris: *a* Iſſos fuit, & hac re ſinus Iſſicus dicitur. Procul inde Amanoides promontorium inter Pyramum Cydnumque fluvios jacet. *b* Pyramus Iſſo prior *c* Mallon præterfluit. Cydnus ultra per *d* Tarſum exit. Deinde urbs eſt olim à Rhodiis Argiviſque, poſt piratis Pompeio aſſignante poſſeſſa: nunc Pompeiopolis, tunc Soloë. Iuxta in parvo tumulo Arati poëtæ monumentum, ideo referendum, quia ignotum, quam ob cauſam jacta in id ſaxa diſſiliunt. Non longe hinc Coricos oppidum, portu ſaloque incingitur, anguſto tergore continenti adnexum. Supra ſpecus eſt, nomine Corycius, ſingulari ingenio, ac ſupra quam ut deſcribi facile poſſit eximius. Grandi

nan-

Digitized by Google

namque hiatu patens, montem littore appoſitum, & decem ſtadiorum e clivo ſatis arduum, ex ſummo ſtatim vertice aperit. Tunc alte demiſſus, & quantum demittitur amplior, viret *f* lucis pubentibus undique, & totum ſe nemoroſo laterum orbe complectitur: adeo mirificus ac pulcher, ut mentes accedentium primo aſpectu conſternat: ubi *g* contemplati duravêre, non ſatiet. Vnus in eum deſcenſus eſt, anguſtus, aſper, quingentorum & mille paſſuum, per amœnas umbras & opaca ſylvæ quiddam agreſte reſonantis, rivis hinc atque illinc fluitantibus. Vbi ad ima perventum eſt, rurſus ſpecus alter reperitur ob alia dicendus. Terret ingredientes ſonitu *h* cymbalorum divinitus & magno fragore crepitantium. Deinde aliquamdiu perſpicuus, mox & quo magis ſubitur obſcurior, *i* ducit auſos penitius, alteque quaſi cuniculo admittit. Ibi ingens amnis ingenti fronte ſe extollens, tantummodo ſe oſtendit, & ubi magnum impetum brevi alveo traxit, iterum demerſus abſconditur. Intra ſpatium eſt, magis quam ut progredi quiſpiam auſit horribile, & ideo incognitum. Totus autem auguſtus & vere ſacer, habitarique à diis & dignus & creditus. Nihil non venerabile & quaſi cum aliquo numine ſe oſtentat. Alius ultra

tra eſt, quem Typhoneum vocant, ore anguſto, & multum (ut experti tradidêre) preſſus, & ob id aſſidua nocte ſuffuſus: neque unquam perſpici facilis, ſed quia aliquando cubile *k* Typhonis fuit, & quia nunc demiſſa in ſe confeſtim exanimat, natura fabulaque memorandus. Duo deinde promontoria ſunt, Sarpedon, finis aliquando regni Sarpedonis: & quod Ciliciam à Pamphylia diſtinguit, Anemurium. Interque ea Celendris & Natidos, Samiorum coloniæ. ſed Celendris Sarpedoni propior.

## IN CAP. XIII.

a *Iſſos*] Nunc Laiaſſa.

b *Pyramus Iſſo prior*] Si procedas verſus ortum.

c *Mallon*] Nunc Malo.

d *Tarſum*] Nunc Tarſo.

e *Clivo*] Clivus, deſcenſus eſt.

f *Lucis pubentibus*] Lucos habet pubentes, id eſt, virentes.

g *Contemplati duravère*] Id eſt, depoſuerunt metum quem contrahunt primo aſpectu.

h *Cymbalorum*] Κύμβαλον (inquit Heſychius) eſt εἶδος ὀργάνου μουσικοῦ, ſpecies organi muſici.

i *Ducit auſos penitus*] Hic locus à nobis quoque reſtitutus eſt. legendum enim, penitius.

k *Typhonis*] Hic fuit gigas, cujus aſpectu verſi ſunt dii in varia animalia.

## CAP. XIV.

## PAMPHYLIA.

IN PAMPHYLIA eſt Melas, navigabilis fluvius: oppidum Sida, & alter fluvius Eurymedon. Magna apud eum Cimonis Athenienſium ducis adverſus Phœnicas & Perſas navalis pugna atque victoria fuit. Mare quo pugnatum eſt, ex edito admodum colle proſpectat Aſpendos: quam Argivi condiderant, poſſedêre finitimi. Deinde alii duo validiſſimi fluvii, Oeſtros & Cataractes. Oeſtros navigari facilis: hîc quia ſe præcipitat, ita dictus. Inter eos Perga eſt oppidum, & Dianæ quam ab oppido Pergæam vocant, templum. Trans eoſdem mons Sardemiſos, & Phaſelis à Mopſo condita, finis Pamphyliæ.

Decimumquartum caput nihil habet quod egeat ſudoribus noſtris: propterea prætermiſimus.

## CAP. XV.

## LYCIA.

LYCIA continuo, cognominata à Lyco rege, Pandionis filio, atque (ut ferunt) infeſtata olim a Chimæræ ignibus:

Sidæ

Sidæ portu, & Tauri promontorio grandem ſinum claudit. Taurus ipſe ab Eois littoribus exurgens, vaſte ſatis attollitur. Deinde *b* dextro latere ad ſeptentrionem, *c* ſiniſtro ad meridiem verſus, it in occidentem rectus & perpetuo jugo: *d* magnarumque gentium, quâ dorſum agit, terminus. Vbi terras dirimit, exit in pelagus. Idem autem & totus, ut dictus eſt, dicitur, etiam *e* quâ ſpectat orientem. Deinde *f* Hæmodes, & *g* Caucaſus, & *h* Paropamiſus. Tum *i* Caſpiæ pylæ, *k* Niphates, & *l* Armeniæ pylæ: *m* & ubi jam noſtra maria contingit, Taurus iterum. *n* Poſt ejus promontorium flumen eſt Lymira, & eodem nomine civitas: atque ut multa oppida, ſic præter *o* Pataram non illuſtiæ. Illam nobilem facit delubrum Appollinis, quondam opibus & oraculi fide, Delphico ſimile. Vltra Xanthus flumen, & Xanthos oppidum, mons Gragus, & quæ Lyciam finit urbs Telmiſos.

## IN CAP. XV.

a *Chimæræ*] Chimæra ramentum Tauri montis.

b *Dextro latere*] Ad Imaum montem refertur.

c *Siniſtro ad meridiem*] Ad Damaſium montem, Tauri ramentum.

d *Magnarum gentium*] Sericæ regionis Gymnoſophiſtarum, Caſpiciæ, Sachæ, Bactrianorum, Sogdianorum, Ariæ, Drangianæ, Gedroſiæ, Arachoſiæ,

Digitized by Google

ſiæ, Margianæ, Hyrcaniæ, Carmaniæ,Parthiæ,Mediæ, Perſidis, Aſſyriæ,Suſianæ,Meſopotamiæ,Armeniæ majoris & minoris, Ciliciæ, Pamphyliæ, & Lyciæ, ubi exit in pelagus.

c *Quâ ſpectat ad orientem*] Dicitur Taurus ſemper verſus orientem.

f *Hæmodes*]Vbi incipit ramentum Imai montis.

g *Caucaſus*] Prope Albaniam & Iberiam, inter Hyrcanum mare & Pontum Euxinum.

h *Paropamiſus*] E regione Bactrianæ & Ariæ.

i *Caſpiæ pylæ*]Ad mare Hyrcanum ſive Caſpium.

k *Niphates*] Ad mediam Parthiam, & Hyrcaniam.

l *Armeniæ pylæ*] Ad Armeniam majorem.

m *Et ubi jam noſtra maria attingit*] In Lycia.

n *Poſt ejus promontorium*] Ejus Tauri. nam in Lycia ubi exit in mare, Taurus ſicut in principio vocatur.

o *Pataram*] Patera nunc. Ab hac regione uſque ad Bithyniam eſt Aſia minor, quæ nunc dicitur Anatolia ſive Turchia.

## CAP. XVI.

## CARIA.

CARIA ſequitur. Habitator incertæ originis. alii indigenas, ſunt qui Pelaſgos, quidam Cretas exiſtimant. gens uſque eo quondam armorum pugnæque amans, ut aliena etiam bella mercede agerent. Hîc caſtella aliquot ſunt, deinde promontoria duo, Pedalion & Crya: & ſecundum Calbin amnem Caunus oppidum,

dum, *b* valetudine habitantium infame. Inde ad Halicarnaſſon hæc adjacent, *c* Rhodiorum aliquot coloniæ, portus duo, Gelos, & cui ex urbe quam amplectitur, Thiſſamiſſa cognomen eſt. Inter eos oppidum Larumna, & Pandion collis in mare emiſſus. Tum tres ex ordine ſinus, Thymnias, Schenus, Bubeſſus. Thymniæ promontorium Aphrodiſium eſt: Schenus ambit Hilam, Bubeſſus Cynotum: *d* Gnidus in cornu peninſulæ. Interque eam & Ceramicum ſinum in receſſu poſita Euthane. Halicarnaſſos Argivorum colonia eſt: & cur memoranda ſit, præter conditores, Mauſolæum efficit, regis Mauſoli monumentum, unum de miraculis ſeptem, Artemiſiæ opus. Trans Halicarnaſſon illa ſunt, littus Leuca: urbes, Mindus, Aryanda, Neapolis, ſinus Iaſius & Baſilicus. Iaſio eſt Bargylos.

## In Cap. XVI.

a *Caria*] Pars Aſiæ minoris prima.

b *Valetudine habitantium*] Pallent omnes ibi.

c *Rhodiorum aliquot coloniæ*] Eſt enim Rhodus inſula è regione Cariæ.

d *Gnidus*] Promontorium eſt, nunc Cabo de Chio.

CAP.

Digitized by Google

## CAP. XVII.

## IONIA.

POſt Baſilicum Ionia aliquot ſe ambagibus ſinuat: & primum à Poſſideo promontorio inflexum inchoans, cingit oraculum Apollinis, dictum olim Branchidæ, nunc Didymi: Miletum, urbem quondam *a* Ioniæ totius belli paciſque artibus principem, patriam Thaletis aſtrologi, & Timothei muſici, & Anaximandri phyſici, aliorumque civium inclytis ingeniis merito inclytam, *b* utcunque Ioniam vocant: urbem Hyppin, amnis Mæandri exitum: Latmum montem, Endymionis à Luna (ut ferunt) adamati fabula nobilem. Deinde rurſus inflexa cingit urbem Prienen, & Geſſi fluminis oſtium: moxque ut majore circuitu, ita plura complectitur. Ibi eſt Panionium ſacra regio, & ob id eo nomine appellata quod eam communiter Iones colunt. Ibi à fugitivis (ut ajunt) condita (nomen famæ annuit) Phygela. Ibi Epheſus, & Dianæ clariſſimum templum, quod *c* Amazones Aſia potitæ conſecraſſe traduntur. Ibi Cayſtros amnis: ibi Lebedos, Clariique Apollinis fanum, quod Manto, Tireſiæ filia, fugiens victores Thebanorum Epi-

Epigonos : & Colophon, quam Mopſus ejuſdem Mantûs filius ſtatuit, ad promontorium quo ſinus clauditur, quod altera parte alium, quem Smyrnæum vocant, efficit, anguſtiſque cervicibus reliqua extendit. Inde latius abit in peninſulæ faciem, ſuper anguſtias, hinc Teos, illinc Clazomena : & quia terga jungunt confinio adnexa maris, diverſis frontibus diverſa maria proſpectant. *d* In ipſa peninſula eſt Coryna. in ſinu Smyrnæo eſt Thermodon amnis, & urbs Leuca. Extra eum, Phocis Ioniæ ultima.

### IN CAP. XVII.

a *Ionia*] Aſiæ minoris pars, nunc dicta Queis cum provincia Turcæ.

b *Vtcunque Ioniam vocant*] Ad Miletum refertur : nunc Melaſa.

c *Amazones*] Inter Iberos & Hyperboreos.

d *In ipſa peninſula*] inter Teos & Smyrnam, quæ nunc Lamires.

## CAP. XVIII.

## ÆOLIS.

PRoxima regio, ex quo ab Æoliis incoli cœpit, *a* Æolis facta, ante Myſia, & quâ Helleſpontum attingit Troianis poſſidentibus Troas fuit. Primam urbem à Myrino conditore *b* Myrinam vocant : *c* ſe-

*c* ſequentem Pelops ſtatuit, victo Oenomão reverſus ex Græcia. Cymen nominavit, pulſis qui habitarant, dux Amazonum Cyme. Supra, Caicus inter Eleam decurrit, & Pitanen illam quæ Arceſilam tulit, nihil affirmantis *d* Academiæ clariſſimum antiſtitem. Tum in promontorio eſt Canna oppidum: quod prætervectos, ſinus excipit, non parvus, ſed longe ac molliter flexus, retrahenſq; paulatim oras uſque ad ima montis Idæ. Iſthmos parvis urbibus aſperſus eſt, quarum clariſſima eſt Ciſtena. Gremio interiore campus Thebe nomine, Adramyttion, Aſtyram, Eteſſam, oppida, eodem quo dicta ſunt ordine adjacentia, continet. In altero latere, Antandrum. Duplex cauſa nominis jactatur. alii Aſcanium Æneæ filium, cum ibi regnaret, captum, à Pelaſgis, ea ſe redemiſſe commemorant: alii ab iis putant conditam, quos ex Andro inſula vis & ſeditio exegerat. Hi Antandrum, quaſi pro Andro, illi quaſi pro viro accipi volunt. Sequens tractus tangit Gargara, & Aſſon, Ætolorum colonias. Tum ſinus alter, *e* Ἀχαιῶν λιμὴν, non longe ab Ilio littora incurvat, urbe bello excidioque clariſſima. Hîc *f* Sigeum fuit oppidum: hic Achivorum fuit bellantium ſtatio. huc ab Idæo monte demiſſus Scamander exit, &
Simois,

Simois, ſama quam natura majora flumina. Ipſe mons vetere divarum certamine, & judicio Paridis memoratus, orientem ſolem aliter quam in aliis terris ſolet aſpici, oſtentat. Nanque ex ſummo vertice ejus ſpeculantibus, pene à media nocte ſparſi ignes paſſim micare, &, ut lux appropinquat, ita coire ac ſe conjungere videntur, donec magis magiſque collecti, pauciores ſubinde & una ad poſtremum flamma ardeant. Ea cum diu clara & incendio ſimilis effulſit, cogit ſe ac rotundat, & fit ingens globus. Diu is quoque grandis, & terris adnexus apparet: deinde paulatim decreſcens, & quanto decreſcit, eo clarior fugat noviſſime noctem, & cum die jam ſol factus, attollitur. Extra ſinum ſunt Rhœtea littora, Rhœteo & Dardania claris urbibus: Aiacis tamen ſepulchro maxime illuſtria. Ab his fit arctius mare, nec jam abluit terras, ſed rurſus dividens anguſto g Helleſponti freto, littus obvium findit: facitque ut iterum terræ, quâ fluit, latera ſint.

## IN CAP. XVIII.

a *Æolis*] Pars Aſiæ minoris

b *Myrinam*] Sebaſtopolis nunc dicta.

c *Sequentem Pelops ſtatuit, victo OEnomao reverſus ex Græcia. Cymen nominavit, pulſis qui habitarant, dux Amazonum Cyme*] Hæc verba ſenſum ali-

aliquem habent, ſi ubi eſt Statuit, ibi periodum feceris.

d *Academia*] Novæ. nam veteris princeps fuit Plato.

e Ἀχαιῶν λιμὴν] Græcorum portus.

f *Sigeum*] Oppidum & promontorium: nunc Caput ſanctæ Mariæ.

g *Helleſponti*] Turcæ ex parte Aſiæ Helleſpontum vocant Brachium ſancti Georgii.

## CAP. XIX.

## BITHYNIA.

INterius *a* BITHYNI ſunt, & Mariandynei. In ora, Graiæ urbes, Abydos & *b* Lampſacum, *c* Parion & Priapos. Abydos magni quondam amoris commercio inſignis eſt. Lampſacum Phocæis appellantibus nomen ex eo traxit, quod conſulentibus in quaſnam terras potiſſimum tenderent, reſponſum erat, ubi primum fulſiſſet, ibi ſedem capeſſerent. Tum rurſus fit apertius mare Propontis. In id Granicus effunditur, pugna quæ primum inter Perſas & Alexandrum fuit, nobilis. Trans amnem ſedet in cervice peninſulæ *d* Cyzicum. nomen Cyzicus indidit, quem à Minyis imprudentibus, cum Colchos peterent, fuſum acie cæſumque accepimus. Poſt, Placia & Scylace, parvæ Pelaſgorum co-

 loniæ.

loniæ, quibus à tergo imminet mons Olympus: ut incolæ vocant, Myſius. is flumen Rhyndacum in ea quæ ſequuntur emittit. Circa angues naſcuntur immanes: neque ob magnitudinem ſmodo ſed ob id etiam mirabiles, quod ubi in alveum ejus æſtus ſolemque fugerunt, emergunt atque hiant: ſupervolanteſque aves, quanvis alte & perniciter ferantur, abſorbent. Trans Rhyndacum eſt e Daſcylos, &, quam Colophonii collocavêre, Myrlea. Duo ſunt inde modici ſinus. alter ſine nomine Cion amplectitur, Phrygiæ haud longe jacentis opportuniſſimum emporium: alter, Olbianos. In promontorio fert Neptuni fanum, in gremio Aſtacon, à Megarenſibus conditam. Deinde priores terræ iterum jacent, exiturique in Pontum pelagi canalis anguſtior. Europam ab Aſia ſtadiis quinque diſterminat Thracius (ut dictum eſt) Boſporus. Ipſis in faucibus oppidum, in ore templū eſt. oppidi nomen Chalcedon, autor Archias Megarenſium princeps: templi numen, Iupiter, conditore Iaſone. Hic jam ſeſe ingens Pontus aperit (niſi quâ promōtoria ſunt) huc atque illuc longo rectoque limite extentus, ſinuatus cætera. Sed quia contra minus quam ad lęvam & dexteram abſceſſit, mollibus faſtigiis, donec anguſtos

ſtos utrinque angulos faciat, inflectitur, ad formam Scythici arcus, maxime incurvus, brevis, atrox, nebuloſus, raris ſtationibus, non molli neque arenoſo circundatus littore, vicinus aquilonibus, & quia non profundus eſt, fluctuoſus atque fervens. Olim ex colentium ſævo admodum ingenio Axenus, poſt commercio aliarum gentium mollitis aliquantum moribus, dictus Euxinus. In eo primum Mariandynei urbem habitant, ab Argivo (ut ferunt) Hercule datam. Heraclea vocitatur: id famæ fidem adjecit: Iuxta ſpecus eſt Acheruſia, ad Manes (ut ajunt) pervius, atque inde extractum Cerberum exiſtimant.

IN CAP. XIX.

a *Bithyni*] Extra Aſiam minorem : ſed Turcæ majores dicuntur.

b *Lampſacum*] Nunc Circe.

c *Parion*] Hodie Pariſa.

d *Cyzicum*] Vulgo Spiga.

e *Daſcylos*] Diaſquilos hodie.

## CAP. XX.

# PAPHLAGONIA.

TVm *a* Tios oppidum, Mileſiorum quidem colonia, ſed jam ſoli gentiſque Paphlagonum. Quorum in littoribus pene mediis promontorium eſt Carambis.



Digitized by Google

rambis. Citra Parthenius amnis, urbeſque Seſamus & *b* Cronna, & à Cytoro Phryxi filio poſita Cytoros. Tum *c* Cimolis accolitur, & quæ Paphlagoniam finit Armene.

IN CAP. XX.

a *Tios*] Nunc Tio.
b *Cronna*] Nunc Comana.
c *Cimolis*] Nunc Cinopolis.

## CAP. XXI.

## CHALYBES.

CHALYBES proximi clariſſimas habent *a* Amiſon & *b* Sinopen, Cynici Diogenis patriam: amnes Halyn & Thermodonta. Secundum Halyn urbs eſt Lycaſto: à Thermodonte, campus, in eo fuit Themiſcyrum oppidum; fuêre & Amazonum caſtra: Ideo Amazonum vocant. Tibareni Chalybas attingunt, quibus in riſu luſuque ſummum bonum eſt. Vltra Carambin Moſſynœci turres ligneas ſubeunt, notis corpus omne perſignant, propatulo veſcuntur, promiſcue concumbunt, & palam reges ſuffragio deligunt, vinculiſque & arctiſſima cuſtodia tenent: atque ubi culpam prave imperando meruêre, inedia diei totius afficiunt. Cæterum aſperi, inculti, pernoxii appulſis: deinde

inde minus feri. Verum & hi inconditis moribus, Macrocephali, Diſcheri, Buxedi. Raræ urbes: *c* Ceraſus & *d* Trapeſus maxime illuſtres. Inde is locus eſt, ubi finem ductus à Boſporo tractus accipit, atque inde ſe in ſinu adverſi littoris flexu attollens anguſtiſſimum Ponti facit angulum. Hîc ſunt Colchi. hinc Phaſis erumpit. hîc eodem nomine quo amnis eſt ab Atheniſtagora Mileſio deductum oppidum. hîc Phryxi templum,& lucus,fabula vetere pellis aureæ nobilis. hinc orti montes longo ſe jugo,& donec Rhiphæis conjungantur, exporrigunt: qui altera parte in Euxinum & Mæotida,& Tanaim, altera in Caſpium pelagus obverſi, Ceraunii dicuntur. Iidem aliubi Taurici, Moſchi, Amazonici, Caſpii, Coraxici, Caucaſi: ut aliis aliiſve appoſiti gentibus, ita aliis aliiſque dicti nominibus. At in primo flexu jam curvi littoris oppidum eſt, quod Græci mercatores conſtituiſſe, & quia cum cæca tempeſtate agerentur, ignaris quæ terra eſſet cygni vox notam dederat, Cygnum appellaſſe dicuntur. Reliqua ejus, feræ incultæque gentes,vaſto mari aſſidentes tenent, Melanchlæni: Terreſtria,Sexſolytę,Coraxi,Phthirophagi, Heniochi, Achæi, Cercetici. etiam in confinio Mеotidis Syndones. in Heniochorum

rum finibus, Dioſcurias, à Caſtore & Polluce pontum cum Iaſone ingreſſis: Syndos, in Syndonum ab ipſis terrarum cultoribus condita eſt. Obliqua tunc regio, & in latum modice patens, inter Pontum paludemque ad Boſporum excurrit: quæ duobus alveis in lacum & in mare profluens, Corocondamam peninſulam reddit. Quatuor urbes ibi ſunt, Hermonaſſa, Cepæ, Phanagoria, & in ipſo ore, Cimmerium. Hâc ingreſſos lacus accipit longe lateque diffuſus, quâ terras tangit, incurvo circundatus littore: quâ mari propior eſt (niſi ubi aperitur) quaſi margine obductus, citra magnitudinem, prope Ponto ſimilis. Oram quæ à Boſporo ad Tanaim uſque deflectitur, Mæotici incolunt Toreatæ, Arrichi, Phicores, & oſtio fluminis proximi Iaxamathæ. Apud eos eaſdem artes fœminæ quas viri exercent, adeo ut ne militia quidem vacent. Viri pedibus inhærent, ſagittiſque depugnant: illæ equeſtre prælium ineunt. nec ferro dimicant, ſed quos laqueis intercepêre, trahendo conficiunt. Nubunt tamen: verum ut nubiles habeantur, non in ætate modus eſt. niſi quæ hoſtem interemêre, virgines manent. Ipſe Tanais ex Rhiphæo monte dejectus, adeo præceps ruit ut cum vicina flumina, tum Mæotis & Boſpo-

Digitized by Google

ſporus, tum Ponti aliqua, brumali rigore durentur, ſolus æſtus hyememque juxta ferens, idem ſemper & ſublimis incitatuſque decurrat. Ripas ejus *f* Sauromatæ & ripis hærentia poſſident. Vna gens, aliquot populi, & aliquot nomina. Primi Mæotici *g* γυναικοκρατούμενοι: regna Amazonum. Fœcundos pabulo, ad alia ſteriles nudoſque campos tenent Budini. Geloni urbem ligneam habitant. Iuxta Thyrſagetæ Turcæque vaſtas ſylvas occupant, aluntur que venando. Tum continuis rupibus, late aſpera & deſerta regio, ad Arymphæos uſque permittitur. His juſtiſſimi mores. pro domibus nemora: alimenta baccæ. & maribus & fœminis nuda ſunt capita. Sacri itaque habentur: adeoque ipſos nemo de tam feris gentibus violat, ut aliis quoque ad eos confugiſſe, pro aſylo ſit. Vltra ſurgit mons Rhiphæus, ultraq; eum jacet ora quæ ſpectat Oceanum.

IN CAP. XXI.

a *Amiſon*] Nunc Quinopoli.

b *Sinopen*] Hodie Sinopi.

c *Ceraſus*] Ceraſo nunc.

d *Trapezus*] Trapezonda.

e *Hac ingreſſos lacus*] Paludem Mæotida intelligit, quæ nunc dicitur El mar negro.

f *Sauromatæ*] Sarmatæ, nunc Magni Bulgari.

g γυναικοκρατούμενοι] Id eſt, mulieribus ſubjecti.



Digitized by Google

## LIBER SECVNDVS.

### CAP. I.

### SCYTHIA EVROPÆA.

ASIÆ in noſtrum mare Tanaimque vergentis, quem dixi, finis ac ſitus eſt. *a* At per eundem amnem in Mæotida remeantibus, ad dextram Europa eſt, modo ſiniſtro latere innavigantium appoſita, ac Rhiphæis montibus (nam & huc illi pertinent) proxima. Cadentes aſſidue nives adeo invia efficiunt, ut ultra ne viſum quidem intendentium admittant. Deinde eſt regio ditis admodum ſoli, inhabitabilis tamen: quia Gryphi, ſævum & pertinax ferarum genus, aurum terra penitus egeſtum mire amant mireque cuſtodiunt, & ſunt infeſti attingentibus. Hominum primi ſunt *b* Scythæ: Scytharumque queis ſinguli oculi eſſe dicuntur, Arimaſpi. Ab eis Eſſedones uſque ad Mæotida. Hujus flexum Buges amnis ſecat, Agathyrſi & *c* Sauromatæ ambiunt: quia pro ſedibus plauſtra habent, dicti Hamaxobitæ. Obliqua

qua tunc ad Boſporum plaga excurrens, Ponto ac Mæotide includitur. In paludem vergentia Satarchæ tenent. In Boſporum Cimmericum oppida, Myrmecion, Panticapæum, Theodoſia, Hermiſium. In Euxinum mare, *d* Taurici: ſuper eos, ſinus portuoſus, & ideo *e* καλὸς λιμὴν appellatus, promontoriis duobus includitur. *f* κριῦ μέτωπον vocant, Carambico, quod in Aſia diximus, patet adverſum: Parthenion alterum. Oppidum adjacet Cherroneſus, à Diana (ſi credatur) conditum, & Nymphæo ſpecu, quod in arce ejus nymphis ſacratum eſt, maxime illuſtre. Subit tum ripam mare, & donec quinque millia paſſuum abſit à Mæotide, refugientia uſque ſubſequens littora, quæ Satarchæ & Taurici tenent, peninſulam reddit. Quod inter paludem & ſinum eſt, Taphræ nominatur. ſinus Carcinites. in eo urbs eſt Carcine: quam duo flumina, Gerros & Hypacyris, uno oſtio effluentia attingunt: verum diverſis fontibus, & aliunde delapſi. Nam Gerros inter *g* Baſilidas & Nomadas evolvitur. Sylvæ deinde ſunt, quas maximas hæ terræ ferunt, & Panticapes, qui Nomadas Georgoſque diſterminat. Terra tum longe diſtenta excedens, tenui radice littori adnectitur. Poſt ſpatioſa modice, paulatim ſe ipſa faſtigiat,



Digitized by Google

& quaſi in mucronem longa colligens latera, facie poſiti enſis allecta eſt. Achilles infeſta claſſe mare Ponticum ingreſſus, ibi ludicro certamine celebraſſe victoriam, & cum ab armis quies erat, ſe ac ſuos curſu exercitaviſſe memoratur. Ideo dicta eſt δρόμος Ἀχίλλειος. Tum Boryſthenes gentem ſui nominis abluit, *b* inter Scythiæ amnes amœniſſimus, turbidis aliis, liquidiſſimus defluit, placidior quam cæteri, potarique pulcherrimus. Alit lætiſſima pabula, magnoſque piſces, quibus & optimus ſapor & nulla oſſa ſunt. Longe venit, ignotiſque ortus è fontibus, quadraginta dierum iter alveo ſtringit: tantoque ſpatio navigabilis, ſecundum Boryſthenida & Olbida, Græca oppida, egreditur. Callipidas Hypanis includit. Ex grandi palude oritur, quam Matrem ejus accolæ appellant: & diu qualis natus eſt defluit. Tandem non longe à mari, ex parvo fonte, cui Exampeo cognomen eſt, adeo amaras aquas accipit, ut ipſe quoque jam ſui diſſimilis & non dulcis hinc defluat. Axiaces proximus intra Callipidas Axiacaſque deſcendit. Hos ab Iſtricis Tyra ſeparat, ſurgit in Neuris: quâ exit, ſui nominis oppidum attingit. *i* At ille qui Scythiæ populos à ſequentibus dirimit, *k* apertis in Germania fontibus, alio quam deſinit

nomine

nomine exoritur. *l* Nam per immania magnarum gentium diu Danubius eſt: *m* deinde aliter appellantibus accolis, Iſter fit, acceptiſque aliquot amnibus, ingens jam, & eorum qui in noſtrum mare decidunt, tantum Nilo minor, totidem quot ille oſtiis, ſed tribus tenuibus, reliquis navigabilibus, effluit. Ingenia cultuſque gentium differunt. Eſſedones funera parentum læti & victimis ac feſto coitu familiarium celebrant. corpora ipſa laniata, & cæſis pecorum viſceribus immiſta epulando conſumunt. capita ubi fabrè expolivêre, auro cincta pro poculis gerunt. hæc ſunt apud eos ipſos pietatis ultima officia. Agathyrſi ora artuſque pingunt: ut quique majoribus præſtant, ita magis vel minus: cæterum iiſdem omnes notis, & ſic ut ablui nequeant. Sarmatæ auri & argenti, maximarum peſtium, ignari, vice rerum commercia exercent. atque ob ſæva hyemis admodum aſſiduæ, demerſis in humum ſedibus, ſpecus aut ſuffoſa habitant, totum braccati corpus: & niſi quâ vident, etiam ora veſtiti. Tauri, Iphigeniæ & Oreſtis adventu maxime memorati, immanes ſunt moribus, immanemque famam habent, ſolere pro victimis advenas cædere. Baſilidis ab Hercule & Echidna generis principia ſunt, mores regii,

gii, arma tantum ſagittæ. Vagi Nomades pecorum pabula ſequuntur, atque ut illa pecori durant, ita diu ſtatam ſedem agunt. Colunt Georgi exercentque agros. Axiacæ furari quid ſit ignorant: ideoque nec ſua cuſtodiunt, nec aliena contingunt. Interius habitantium ritus aſperior, & incultior regio eſt. Bella cædeſque amant: moſque eſt bellantibus, cruorem ejus quem primum interemerunt, ipſis è vulneribus ebibere. Vt quiſque plures interemerit, ita apud eos habetur eximius. Cæterum expertem eſſe cædis, inter opprobria vel maximum eſt. Ne fœdera quidem incruenta ſunt. ſauciant ſe qui paciſcuntur, exemptumque ſanguinem ubi permiſcuêre, deguſtant. Id putant manſuræ fidei pignus certiſſimum. Inter epulas quot quiſque interfecerit referre, lætiſſima & frequentiſſima mentio: biniſque poculis, qui plurimos retulêre, perpotatis interlocantur: is honos præcipuus eſt. Pocula ut Eſſedones parentum, ita inimiciſſimorum capitibus expoliunt. Apud Anthropophagos ipſæ etiam epulæ viſceribus humanis apparantur. Geloni hoſtium cutibus equos ſeque velant: illos, reliqui corporis, ſe, capitum. Melanchlænis atra veſtis, & ex ea nomen. Neuris ſtatum ſingulis tempus eſt, quo ſi velint, in lu-

in lupos, iterumque in eos qui fuêre, mutentur. Mars omnium deus. ei pro ſimulacris enſes & tentoria dedicant, hominesque pro victimis feriunt. Terræ late patent, &, ob excedentia ripas ſuas plerunque flumina, nuſquam non pabula fertiles. Alicubi uſque adeo ſteriles ad cætera, ut qui habitant, lignorum egentes, ignes oſſibus alant.

## IN CAP. I.

a *At per eundem amnem in Mæotida remeantibus ad dextram Europa eſt, modo ſiniſtro latere innavigantium appoſita*] Alia lectio habet, Ac per eundem amnem in Mæotida remeantibus, ad dextram Europa eſt modo, ſiniſtro latere innavigantium appoſita. Locus eſt ſubobſcurus, ſive ſequutus fueris priorem lectionem, ſive poſteriorem. Dicam tamen quod ſentio. Si quis ex fonte Tanais, per Tanaim in Mæotida redierit, revera Europam relinquet ad dexteram amnis: ſed ſi quis ex fonte uſque ad paludem navigaverit, non eſt dubium quin remigantes ad ſiniſtram eandem relinquant.

b *Scythæ*] Europæi: hoc nomine Scytharum continentur Sarmatæ ſuperiores, qui nunc ſunt Poloni & Rutheni, ſive Ruſii, ſive Roxani: & Podolia regio: & Cherſoneſus Taurica, quæ nunc Tartaria minor dicitur.

c *Sauromatæ*] Sarmatæ: dixi eos eſſe Polonos majores & minores.

d *Taurici*] Tartari minores.

e Καλὸς λιμὴν] Id eſt, bonus portus.

f Κριῦ μέτωπον] Arietis frontem.

g *Baſi-*

g *Baſilides*] Vualachi nunc, Nomades quoque uſque ad Iſtrum fluvium. à Tauricis uſque ad Iſtrum eſt Vualachia, quam olim habitarunt Getæ, δρόμος Ἀχίλλειος.

h *Inter Scythiæ*] Dixi à fontibus Tanais uſque ad Danubium vocari regionem Scythicam, vocabulo univerſali.

i *At ille*] Danubius eſt, qui Scythiam ſive Vualachiam, ſive Tartaros minores à ſequentibus populis dirimit. à Bulgaris & Boſinis.

k *Apertis in Germania fontibus*] Oritur Danubius in Abnobio Germaniæ monte.

l *Nam per immania magnarum gentium*] Per Auſtriam, Vngariam (quarum altera dicitur Pannonia ſuperior, hoc eſt, Auſtria: altera, Vngaria inferior) per Myſiam, inter Bulgariam & Vualachiam, uſque ad Pontum.

m *Deinde aliter appellantibus*] Dicitur Iſter ab Aria civitate Vualachiæ uſque ad Pontum.

## CAP. II.

## THRACIA.

HIS THRACIA proxima eſt, eaque à Pontici lateris fronte uſque in Illyricos penitus immiſſa, quâ latera agit, Iſtro pelagoque contingitur. Regio nec cœlo læta nec ſolo: & niſi quâ mari propior eſt, infœcunda, frigida, eorumque quæ ſeruntur, maligne admodum patiens. Raro uſquam pomiferam arborem, vitem frequentius tolerat: ſed nec ejus quidem fructus

fructus maturat ac mitigat, niſi ubi frigora objectu frondium cultores arcuêre. Viros benignius alit, non ad ſpeciem tamen: nam & illis aſper atque indecens corporum habitus eſt: cæterum ad ferociam & numerum, ut multi immiteſque ſint, maxime ferax. Paucos amnes qui in pelagus evadunt, verum celeberrimos, Hebrum, Neſton & Strymona emittit. Montes interior attollit, Hæmon & Rhodopen, & Orbelon, ſacris Liberi patris, & cœtu Mænadum, Orpheo primum initiante, celebratos. Ex quibus Hæmus in tantum altitudinis abit, ut Euxinum & *b* Adriam ex ſummo vertice oſtendat. Vna gens Thraces habitant, aliis aliiſque præditi & nominibus & moribus: quidam feri ſunt & ad mortem paratiſſimi, *c* Getæ utique. Id varia opinio perficit. alii redituras putant animas obeuntium: alii, etſi non redeant, non extingui tamen, ſed ad beatiora tranſire: alii, emori quidem, ſed id melius eſſe quam vivere. Itaque lugentur apud quoſdam puerperia, natique deflentur: funera contra feſta ſunt, &, veluti ſacra, cantu luſuque celebrantur. ne fœminis quidem ſegnis eſt animus. ſuper mortuorum virorum corpora interfici ſimulque ſepeliri, votum eximium habent: & quia plures ſimul ſingulis nuptæ ſunt, cujus id ſit de-

cus,

cus, apud judicaturos magno certamine affectant. moribus datur, eſtque maxime lætum, cum in hoc contenditur, vincere. Mœrent aliæ vocibus, & cum acerbiſſimis planctibus efferunt. At quibus conſolari eas animus eſt, arma opeſque ad rogos deferunt, paratique (ut dictitant) cum fato jacentis, ſi detur in manus, vel paciſci vel decernere, ubi nec pugnæ nec pecuniæ locus ſit: *d* manentque dominas proci. Nupturæ virgines non à parentibus viris traduntur, ſed publice aut locantur ducendæ, aut væneunt. utrum fiat, ex ſpecie & moribus cauſa eſt. Probæ formoſæque in precio ſunt: cæteras qui habeant, mercede quæruntur. Vini uſus quibuſdam ignotus eſt: epulantibus tamen ubi ſuper ignes quos circunſident, quædam ſemina ingeſta ſunt, ſimilis ebrietati hilaritas ex nidore contingit. In littoribus Iſtro proxima eſt Iſtropolis: deinde à Mileſiis deducta Galatis, & Tritonice, & portus Caria, & Tiriſtris promontorium, quod prætervectos alter Ponti angulus accipit, adverſus Phaſiaco: &, niſi amplior foret, ſimilis fuit. hic Bizone motu terræ intercidit. Eſt portus Crunos: urbes, Dionyſiopolis, Odeſſos *e* Meſſembria, Anchialos: & intimo in ſinu, atque ubi Pontus alterum ſui

flexum

flexum angulo finit, magna Apollonia. Recta dehinc ora, niſi quod media ferme in promontorium; quod Thinniam vocant, exit, & incurvis contra ſe littoribus obtenditur, urbemque ſuſtinet Halmydeſſon: & *f* Phileas, & Phinopolim. Hactenus Pontus, deinde eſt Boſporus & Propontis. In Boſporo *g* Byzantium, in Propontide, Selymbria, Perinthus, Bathynis: amneſque qui interfluunt, Erginus & Atyras. Tum Rheſo regnata quondam pars Thraciæ, & Byſanthe Samiorum, & ingens aliquando Cypſella. Poſt, locus quem Graii *h* Μακρὸν τεῖχος appellant, & in radice magnæ peninſulæ ſedens Lyſimachia. Terra quæ ſequitur nuſquam lata, atque hic arctiſſima inter Helleſpontum *i* Ægæumque procurrit. Anguſtias, Iſthmon, frontem ejus, Maſtuſiam, totam, Cherſoneſum appellant. ob multa memorabilis eſt: in ea flumen Ægos, naufragio claſſis Atticæ inſigne. Eſt & Abydo objacens Seſtos, Leandri amore pernobilis. eſt & regio, in qua Perſarum exercitus diviſas ſpatio pelagoque terras, auſus pontibus jungere (mirum atque ingens facinus) ex Aſia in Græciam pedes & non navigata maria tranſgreſſus eſt. Sunt Proteſilai oſſa conſecrata delubro. Eſt & portus Cœlos, Athenienſibus & Lacedæmoniis navali acie decer-

decernentibus, Laconicæ claſſis ſignatus excidio. Eſt Cynoſema, tumulus Hecubæ, ſive ex figura canis, in quam converſa traditur, ſive ex fortuna in quam deciderat, humili nomine accepto. Eſt Macidos, eſt Eleus, quæ finit Helleſpontum. Ægæum ſtatim pelagus vaſte longum littus impellit, ſummotaſque terras hinc ad promontorium quod Sunium vocatur, magno ambitu mollique circumagit. Ejus tractum legentibus, prævectiſque Maſtuſiam, tum ſinus intrandus eſt qui alterum Cherſoneſi latus abluens, jugo facie vallis includitur, & ex fluvio quem accipit, Melas dictus, duas urbes amplectitur, Alopeconeſum, & in altero Iſthmi littore ſitam Cardiam. Eximia eſt Ænos, ab Ænea profugo condita. circa Hebrum Cicones. Trans eundem Doriſcos, ubi Xerxem copias ſuas, quia numero non poterat, ſpatio menſum ferunt. Deinde promontorium Serrium, ex quo canentem Orphea ſecuta narrantur nemora: & Zone. Tum Scœnos fluvius, & ripis ejus adjacens Maronia. Regio ulterior Diomedem tulit, immanibus equis mandendos ſolitum objectare advenas, & iiſdem ab Hercule objectum. Turris quam Diomedis vocant, ſignum fabulæ remanet: & urbs quam ſoror ejus ſuo nomine nominavit, Abdera:
ſed

ſed ea magis id memorandum habet quod Democritum phyſicum tulit, quam quod ita condita eſt. Vltra Neſtos fluit, interque eum & Strymona, urbes ſunt, Philippi, Apollonia, Amphipolis. Inter Strymona & Athon, turris Calarnea, & portus Caprullon, urbs Acanthos, & Oeſyma. Inter Athon & Pallenen, Cleona & Olynthos, Strymon (ſicut diximus) amnis eſt, longeque ortus, & tenuis, alienis ſubinde aquis fit amplior: & ubi non longe à mari lacum fecit, majore quam venerat alveo erumpit. *k* Athos mons eſt adeo elatus, ut credatur altius quam unde imbres cadunt ſurgere. Capit opinio fidem, quia de aris quas in vertice ſuſtinet non abluitur cinis, ſed quo relinquitur aggere manet. Cæterum non promontorio, ut alii, verum totus eſt, totoque longè dorſo procedit in pelagus: quâ continenti adhæret, à Xerxe in Graios tendente perfoſſus, tranſnavigatuſque, & factus freto navigabili pervius. Ima ejus tenent parvæ Pelaſgorum coloniæ. In ſummo fuit oppidum Acroathon, in quo (ut ferunt) dimidio longior quam in aliis terris ætas habitantium erat. Pallene ſoli tam patentis, ut quinque urbium ſedes ſit atque ager: tota in altum abit, anguſta ſatis unde incipit. Ibi eſt Potidæa. At ubi laxius

patet,

Digitized by Google

patet, Mende Scioneque referendæ: illa ab Eretriis, hæc ab Achivis capto Ilio remeantibus poſita.

## IN CAP. II.

a *His Thracia proxima*] Bulgaris Thracia: hujus metropolis eſt Conſtantinopolis.

b *Adriam*] Hoc eſt, mare Adriaticum.

c *Getæ*] Hîc Mela collocavit Getas, omnes tamen ultra Danubium eos ponunt.

d *Manentque dominas proci*] Hunc locum qui nullum habebat ſenſum, nos conjectura tantum reſtituimus. ego neſcio quomodo hæc verba quadrent cum præteritis, niſi dicamus depravatam fuiſſe ſcripturam. nam lectio habebat, Mœrendoque minus proficere. Depravatio hoc modo facta eſt, Manent pro mœrendo, minas pro minus, proci pro proficere. Diſſolverant enim mœrendo in partes, mœren & do. & hoc modo locus erit integer, & ſententia erit aperta. ita enim exponetur locus, Dictitant eas mœrendo minus proficere. Si cui forte non arriſerit mea opinio, afferat meliorem, & habebimus illi gratiam.

e *Meſembria*] Nunc Meſſember.

f *Phileas*] Nunc Fillea.

g *Byzantium*] Nota civitas.

h *Μακρὸν τεῖχος*] Longum murum.

i *Ægæum mare*] Nunc Archipelago dicimus.

k *Athos*] Nunc dicitur Monte ſancto.

CAP.

## CAP. III.

# MACEDONIA.

TVm Macedonum populi quot urbes habitant? quarum Pellam maxime illuſtrem alumni efficiunt, Philippus Græciæ domitor, Alexander, etiam Aſiæ. In littore flexus Mecybernæus inter promontoria dividit *a* Canaſtreum, & portum qui Copos dicitur: urbes, Toronen & Phyſcellam, atque unde ipſi nomen eſt, Mecybernam incingit. Canaſtreo promontorio Scione proxima eſt. Mecybernæus autem in medio quâ terra dat gremium, modice in littora ingreditur. Cæterum longis in altum immiſſis lateribus, ingens inter maria ſinus eſt. In eum Axius per Macedonas, & jam per Theſſalos Peneus excurrit. Ante Axium *b* Theſſalonice eſt: inter utrunque, *c* Caſſandria, Cydna, Aloros, Derris: à Peneo, Sepias, Cordynia, Meliboea, Caſtanea: pares ad famam, niſi quod Philoctetes alumnus Meliboeam illuminat. Terræ interiores claris locorum nominibus inſignes, pene nihil ignobile ferunt. Hinc non longe eſt Olympus, hîc *d* Pelion, hîc Oſſa, montes gigantum fabula belloque memorati: hîc Muſarum parens domuſque

que

Digitized by Google

que Pieria : hic noviſſime calcatum Graio Herculi ſolum , ſaltus Oeteus : hîc ſacro nemore nobilia *e* Tempe : hîc Libethra, carminumque fontes objacent. Tum jam vaſte & multum *f* prominens Græcia, & dum Myrtoum pelagus attingat, à ſeptentrione in meridiem vecta, quâ ſol oritur, Ægæis, quâ occidit, Ioniis fluctibus objacet. ac proxime ſpatioſa eſt *g* Hellas nomine, grandi fronte procedit : *h* mox mari utroque, & Ionio magis, latera ejus intrante , donec quinque millia paſſuum pateat, media ferme prope inciditur. Deinde rurſum terris huc ſe & illuc , verum in Ionium mare magis expandentibus , progreſſiſq; in altum, non tam lata quam cœperat , ingens tamen iterum *i* & quaſi peninſula extenditur , vocaturque Peloponneſos, ob ſinus & promontoria, queis ut fibris littora ejus inciſa ſunt , ſimul quod tenui tramite in latus effunditur , platani folio ſimillima. In Macedonia prima eſt Theſſalia : deinde Magneſia , Phthiotis. In Græcia, Doris, Locris, Phocis, Bœotis, Atthis, Megaris : ſed omnium Atthis clariſſima. In Peloponneſo , Argolis, Laconice , Meſſenia, Achaia, Elis, Arcadia. ultra, Ætolia, Acarnania, Epiros, uſque in Adriam. De locis atque urbibus quæ mare non abluit , hæc maxime memo-

Digitized by Google

randa ſunt. In Theſſalia, Lariſſa, aliquando Iolcos: in Magneſia, Antronia: in Phthiotide, Phthia: in Doride, Pindus, & juxta ſitum Erineon: in Locride, Cynos & Calliaros: in Phocide, Delphi, & mons Parnaſus, & Apollinis fanum atque oraculum: in Bœotia, *k* Thebæ, & Cithæron fabulis carminibuſque celeberrimus: in Atthide, Eleuſin Cereri conſecrata: & clariores quam ut indicari egeant *l* Athenæ: in Megaride, unde regioni nomen eſt, Megara: *m* at in Argolide, Argos & Mycenæ, & templum Iunonis, vetuſtate & religione percelebre: in *n* Laconide Therapne, Lacedæmon, Amyclæ, mons Taygetus: in Meſſenia, *o* Meſſene & *p* Methone: in Achaïa atque Elide quondam Piſæ Oenomai, Elis, & numen delubrumque Olympii Iovis, certamine gymnico, & ſingulari ſanctitate, ipſo quidem tamen ſimulacro (quod Phidiæ opus eſt) maxime nobile. Arcadiam Peloponneſiacæ gentes undique incingunt. in ea ſunt urbes, Pſophis, Tenea & Orchomenon: montes, Pholoë, Cyllenius, Parthenius, Mænalus: flumina, Erymanthus & Ladon. In Ætolia, *q* Naupactos: in Acarnania, Stratos, oppida: in Epiro Dodonæi Iovis templum: & fons ideo ſacer, quod cum ſit frigidus & immerſas faces

ſicut

ſicut cæteri extinguat, ubi ſine igne procul admoventur, accendit. At cum littora leguntur, à promontorio Sepiade per Demetriam & Boion, Pteleon & Echidnon ad Pagaſeum ſinum curſus eſt. Ille urbem Pagaſam amplexus, amnem Sperchion accipit: & quia Minyæ Colchida petentes inde Argo navem ſolvêre, memoratur. Ab eo ad Sunium tendentibus illa prænaviganda, Maliacus & Opuntius, grandes ſinus, & in his cæſorum etiam Laconum trophæa, Thermopylæ, Opoës, Scarphia, Cnemides, Alope, Anthedon, Larymna, Aulis, Agamemnoniæ Graiorumque claſſis in Troiam conjurantium ſtatio: Marathon magnarum multarumque virtutum teſtis, jam inde à Theſeo Perſarum maxima clade pernotus: Rhamnus parva, illuſtris tamen, quod in ea fanum eſt Amphiarai: & Phidiaca Nemeſis. Thoricos & Brauron, olim urbes, jam tantum nomina. Sunium promontorium eſt, finitque id littus Hellados quod ſpectat ad orientem. Inde ad meridiem terra convertitur r uſque ad Megaram, Atticæ, ut modo latere, ita nunc fronte pelago adjacens. Ibi eſt Piræus Athenienſium portus: Scironia ſaxa, ſævo quondam Scironis hoſpitio etiam nunc infamia. Megarenſium tractus Iſthmon attingit: hoc illi

illi cognomen eſt, quia quinque millium ſpatio Ægæum mare ab Ionio ſubmovens, anguſto tramite Helladi Peloponneſon annectit. In eo eſt oppidum Cenchreæ, fanum Neptuni: ludi, quos Iſthmicos vocant, celebres: *ſ* Corinthos, olim clara opibus, poſt clade notior, nunc Romana colonia, ex ſumma arce quam Acrocorinthon appellant, maria utraque contuens. Peloponneſi oram (ſicut diximus) ſinus & promontoria lacerant: ab oriente Bucephalos & Cherſoneſus, & Scyllæon: ad meridiem *t* Malea, *v* Tænaros, Acritas, Ichthys: ad veſperum Chelonates, & Araxos. Habitant ab Iſthmo ad Scyllæon Epidaurii, Æſculapii templo inclyti, & Trœzenii, fide ſocietatis Atticæ illuſtres. Portus, Saronicus, & Schenitas, & Pagonus. Oppida autem, *x* Epidaurus, & *y* Trœzen, & Hermiona his littoribus appoſita ſunt. Inter *z* Scyllæon, & Maleam, Argolicus: inter hanc & Tænaron, Laconicus. Hinc ad Acritam, Aſinæus: inde ad Ichthyn, Cypariſſius. In Argolico ſunt noti amnes, Eraſinus atque Inachus, & notum oppidum, Lerne. In Laconico, Githius & Eurotas. In ipſo Tænaro, Neptuni templum, & ſpecus illi quem in Ponto Acheruſiũ diximus, facie & fabula ſimilis. In Aſinæo, flumen Pamiſſum. In Cypariſſio,

 Alpheus.

Digitized by Google

Alpheus. Nomen dedêre urbes in littore ſitæ: hinc Cypariſſus, illinc Aſine. Meſſenii Pyliique terras colunt: & ipſa pelago Pylos adjacet. Cyllene, Callipolis, [1] Patræ oram illam tenent: in quam Chelonates & Araxos excurrunt: ſed Cyllene, quod Mercurium ibi natum arbitrantur, inſignis. Rhion deinde (maris id nomen eſt) anguſte & velut freto lacus ore frequenti incidens, inter Ætolos & Peloponneſiacos uſque ad Iſthmon irrumpit. In eo ad ſeptentrionem ſpectare littora incipiunt. In his eſt Ægion, & Ægira, & Oluros, & Sicyon: at in adverſis Pagæ, Creuſis, Anticyra, OEanthia, Cyrrha, & notior aliquanto nomine Calydon & Euenos. Extra Rhion in Acarnania maxime clara ſunt, oppidum [2] Leucas, flumen Achelous. In Epiro nihil [3] Ambracio ſinu nobilius eſt: facit ſinus, qui anguſtis faucibus, & quæ minus mille paſſibus pateant, grande pelagus admittit. Faciunt urbes quæ aſſidunt. Actium, Argi Amphilochii, Ambracia, Æacidarum regia, Pyrrhique. Butroton ultra eſt. Deinde Ceraunii montes: ab iis flexus in Adriam. Hoc mare [4] magno receſſu littorum acceptum, & vaſte quidem in latitudinem patens, quâ penetrat tamen vaſtius, [5] Illyricis, uſq; Tergeſtum, cætera Gallicis Italiſque gentibus

tibus cingitur. Parthini & Daſſaretæ prima ejus tenent : ſequentia paulatim Encheleæ, Phæaces : deinde ſunt quos proprie Illyricos vocant. Tum Pyræi, & [6] Liburni, & [7] Iſtria. Vrbium prima eſt Oricum, ſecunda [8] Dyrrachium, Epidamnos ante erat. Romani nomen mutavêre, quia velut in damnum ituris, omen id viſum eſt. Vltra ſunt, Apollonia, Salona, Iadera, Narona, Tragurium, ſinus Polaticus, & Pola, quondam à Colchis, ut ferunt, habitata (in quantum res tranſeunt) nunc Romana colonia. Amnes autem Æas & Nar, & Danubius, qui jam dictus eſt Iſter: ſed Æas ſecundum Apolloniam, Nar inter Pyræos & Liburnos : [9] per Iſtros Iſter emittitur. Tergeſtum intimo in ſinu Adriæ ſitum finit Illyricum.

## IN CAP. III.

a *Canaſtreum*] Nunc Caniſtro.

b *Teſſalonice*] Nunc Salonica, patria Theodori Gazæ.

c *Caſſandria*] Nomen retinet.

d *Pelion*] Nomen retinet.

e *Tempe*] Nemora ſunt.

f *Prominens Græcia*] Duobus in locis: in Sunio promontorio, nunc dicto Strues, ſive Cabo de la columba : & in Peloponneſo, nunc La morea.

g *Hellas nomine, grandi fronte*] De Græcia, grandi fronte, id eſt, Sunio promontorio.

h *Mox mari utroque*] In Peloponneſo. nam ad ſinum Megaricum eſt Ægæum, & à ſinu Corinthiaco incipit Ionium.

i *Et quaſi peninſula*] De Peloponneſo loquitur.

k *Thebæ*] Celebres apud Thucydidem.

l *Athenæ*] Nunc vicus.

m *At in Argolide*] Viſus eſt Mela confundere hæc: nam cum agit de Argolide, jam loquitur de Peloponneſo.

n *Laconide*] In medio Peloponneſi.

o *Meſſene*] Miſſetia.

p *Methone*] Modona nunc.

q *Naupactos*] Hodie Lepanto.

r *Vſque ad Megaram*] Nunc eſt Alcathoë.

ſ *Corinthos*] Nunc Goranto.

t *Malea*] Nunc Malvaſia.

v *Tænaros*] Nunc Ereapolis.

x *Epidaurus*] Nunc Limera.

y *Trœzen*] Nunc Predena.

z *Scyllæon*] Damala nunc, promontorium.

1 *Patræ*] Nunc Patras.

2 *Leucas*] Leucates.

3 *Ambracio ſinu*] Ab Ambracia civitate, quæ nunc eſt Larta.

4 *Magno receſſu*] Maris Adriatici.

5 *Illyricis*] Nunc ſunt Sclavoni.

6 *Liburni*] Nunc interiora tenent inter Dalmatas & veros Illyricos.

7 *Iſtria*] Cujus præcipua civitas eſt Pola.

8 *Dyrrachium*] Nunc Durazo.

9 *Per Iſtros Iſter emittitur*] Non loquitur de Danubio. Conſtat enim Danubium longe diſtare ab Iſtria. Præterea Danubius non dicitur Iſter niſi in Vualachia, ut diximus. an fuerint qui ſenſerint eſſe fluvium in Iſtria, qui vocetur Iſter, Strabo eſt

bo eſt autor. horum ſententiam Mela ſequitur. Sed nullum eſſe talem fluvium conſtat ex noſtra peregrinatione. quod etiam audiveramus ante illam profectionem : & Vadianus, vir, judicio meo, undecunque doctiſſimus, dum eam regionem penetraret, nuſquam vidit Iſtrum fluvium.

## CAP. IV.

## ITALIA.

De Italia, magis quia ordo exigit, quam quia monſtrari eget, pauca dicentur : nota ſunt omnia. Ab *a* Alpibus incipit in altum excedere, atque ut procedit, media ſe perpetuo *b* Apœnini montis jugo attollens, inter Adriaticum & Thuſcum, ſive (ut aliter eadem appellantur) inter ſuperum mare & inferum excurrit, diu *c* ſolida. Verum ubi longe abit, *d* in duo cornua ſcinditur, reſpicitque altero Siculum pelagus, altero Ionium: tota anguſta, & alicubi multo quam *e* unde cœpit anguſtior. Interiora ejus aliæ aliæque gentes habitant. Siniſtra parte *f* Carni & *g* Veneti colunt *h* togatam Galliam. *i* Tum Italici populi, *k* Picentes, *l* Frentani, *m* Dauni, *n* Appuli, *o* Calabri, *p* Salentini. Ad dextram ſunt ſub Alpibus *q* Ligures, ſub Apœnino, *r* Hetruria. Poſt *ſ* Latium, Volſci, *t* Campani, & ſuper Lucaniam *v* Brutii. Vrbium quæ procul à mari habi-



Digitized by Google

habitantur opulentiſſimæ ſunt, ad ſiniſtram, *x* Patavium Antenoris, *y* Mutina & Bononia, Romanorum coloniæ. Ad dextram, *z* Capua à Thuſcis, &(1)Roma quondam à paſtoribus condita: nunc(2)ſi pro materia dicatur (3) alterum opus. At in ōris proxima eſt à(4)Tergeſte,(5)Concordia. Interfluit (6) Timavus, novem capitibus exurgens, uno oſtio emiſſus. Deinde (7) Natiſo non longe à mari ditem attingit (8) Aquileiam. ultra eſt (9) Altinum. Superiora late occupat littora (10) Padus. namque ab imis radicibus Veſuli montis exortus, parvis ſe primum fontibus colligit,& aliquatenus exilis ac macer, mox aliis amnibus adeo augeſcit atque alitur,ut ſe per ſeptem ad poſtremum oſtia effundat. Vnum de iis magnum, Padum appellant. Inde tam citus proſilit, ut diſcuſſis fluctibus diu qualem emiſit undam agat, ſuumque etiam in mari alveum ſervet, (11) donec eum ex adverſo littore Iſtriæ eodem impetu profluens Iſter amnis excipiat. Hac re per ea loca navigantibus, quâ utrinque amnes eunt, inter marinas aquas dulcium hauſtus eſt. (12) A Pado ad Anconam tranſitur Ravenna, Ariminum, (13) Piſaurum, Faneſtris colonia, flumen, (14)Metaurus, atque Eſis: & illa in anguſto illorum

rum duorum promontoriorum ex diverſo coëuntium, inflexi cubiti imagine ſedens, ac ideo à Grajis dicta (15) Ancona, (16) inter Gallicas Italicaſque gentes quaſi terminus intereſt. Hanc enim prægreſſos Piceni littora excipiunt: in quibus (17) Numana, (18) Potentia, (19) Claterna, Cupra, urbes: caſtella autem (20) Firmum, Adria, (21) Truentum: id à fluvio qui præterit, ei nomen eſt. Ab eo (22) Senogallia maritima, ad (23) Aterni fluminis oſtia. Vrbes Bucara & (24) Hiſtonium. Dauni autem (25) Tifernum amnem, Cliterniam, Lucrinum, (26) Theanum, oppida: montemque (27) Garganum. Sinus eſt continuo Appulo littore incinctus, nomine Vrias, modicus ſpatio, pleraque aſper acceſſu. Extra, (28) Sipuntum, vel (ut Graji dixêre) Sipyus: & flumen quod Canuſium attingens, (29) Aufidum appellant. Poſt, (30) Barium, (31) Egnatia, & Ennio cive nobiles (32) Rudiæ: & in Calabria, (33) Brunduſium, Valetium, (34) Lupiæ, (35) Hydrus mons, tum & Salentini campi, & Salentina littora, & urbs Graia, Callipolis. Hucuſque Adria, hucuſque Italiæ latus alterum pertinet. Frons ejus in duo quidem ſe cornua (ſicut ſupra diximus) ſcindit: cæterum mare quod inter utraque adміſit,

 miſit,

Digitized by Google

miſit, tenuibus promontoriis ſemel iterũque diſtinguens, non uno margine circuit, nec diffuſum patenſque, ſed per ſinus recipit. Primus Tarentinus dicitur, inter promontoria, Salen & Lacinium: in eoq; ſunt, (36) Tarentus, (37) Metapontũ, Heraclea, (38) Croto, Thurium. Secundus (39) Scyllaceus, inter promontoria, (40) Lacinium & (41) Zephyriũ, in quo eſt Petilia, Cœcinum, (42) Scyllaceum, Miſtræ. Tertius inter Zephyrium & (43) Brutiũ, Conſilinum, Cauloniam, Locroſq; circundat. In Brutio ſunt, Columna regia (44) Rhegium, Scylla, Taurianum, & (45) Metaurũ. Hinc in Thuſcum mare deflexus eſt, & ejuſdem terræ latus alterum Terina. Hippo, nunc Vibon, Temeſa, Clampetia, Blanda, (46) Buxentum, Velia, Palinurus, olim Phrygii gubernatoris, nunc loci nomẽ: Pęſtanus ſinus (47) Pęſtum oppidum, Silarus amnis, Picentia, Petræ quas Sirenes habitavêre, (48) Minervæ promontorium, opima Lucanię loca, ſinus Puteolanus, (49) Surrentũ, Herculaneum, Veſuvii montis aſpectus, Pompeji, Neapolis, (50) Puteoli, lacus Lucrinus, & Avernus, Baię, Miſſenũ, id nunc loci, aliquando Phrygii militis nomen, Cumæ, Linternũ, (51) Vulturnus amnis, Vulturnum oppidũ, amœna Campanię littora (52) Sinueſſa, (53) Liris, (54) Minturnæ, (55) Formiæ,
(56) Fun-

(56)Fundi,(57)Tarracina, Circes domus, aliquando (58) Circeji, Antium, Aphrodiſium, Ardea, Laurentum.(59)Oſtia citra Tyberim in hoc latere ſunt. Vltra(60)Pyrgi, Anio,(61)Caſtrum novum, (62) Graviſcæ, (63) Coſſa, Telamon, (64) Populonia (65) Cecina, (66) Piſæ, (67) Hetruſca & loca & nomina. Deinde (68) Luna, Ligurum, & (69) Liguria, & (70) Genua, (71) Sabatia, & (72) Albigaunum. Tum Paulon & (73)Varum flumina, utraque ab Alpibus delapſa. Sed Varum, quia Italiam finit, aliquanto notius. Alpes ipſæ ab iis littoribus longe lateque diffuſæ, primo ad Septentrionem (74) magno gradu excurrunt: deinde ubi Germaniam attigerunt, (75) verſo impetu in orientem abeunt, direptiſque (76) populis immanibus, (77) uſque in Thraciam penetrant.

IN CAP. IV.

a *Alpibus*] Alpes nos in quatuor itinera diſtribuimus: primum, verſus ſeptentrionem, & dicitur mons Sancti Gottardi: ſecundum, verſus meridiem, & dicitur Mons Sancti Bernardi: tertium, etiam verſus meridiem, & dicitur mons Sancti Dionyſii, nunc San Senis: quartum, etiam verſus meridiem, & dicitur Pœninus.

b *Apœnini*] Ramentum eſt Alpium, dividens univerſam Italiam.

c *Solida*] Id eſt, non faciens ſinus.

d *In duo cornua*] In duo promontoria: alterum, Salentinorum, alterum, dictum Leucopetram.

e *Vnde cœpit*] Hoc eſt, ex Alpibus.

f *Carni*] Carni ſunt populi in ramento Alpium: ſunt omnes Sclavi, ſub jugo Ferdinandi regis Romanorum & Ungariæ & Boëmiæ, archiducis Auſtriæ. Dividitur hæc regio in duplicem Carniolam, alteram ſiccam, in qua ſunt Iſtri: alteram irriguam, unde Savus fluvius ortum habet.

g *Veneti*] In ſinu ſunt Adriatico, qui ut diximus La Canal de Veniza vocatur. Galli olim dicti togati: nunc ea regio uſque ad Rubiconem vocatur La marcha Treviſana. ibi civitas ſunt Venetiæ, de qua latiſſime dicam in meis Commentariis.

h *Togatam Galliam*] A toga veſte, qua etiamnum ùtuntur Veneti.

i *Tum Italici populi*] A Rubicone uſque ad promontorium Salentinorum, quod nunc dicitur Cabo de Sancta Maria.

k *Picentes*] Juxta Anconam. Nunc Marcha d'Ancona.

l *Frentani*] Nunc Franca villa.

m *Dauni*] Siponto, Manfredonia, mons Garganus.

n *Appuli*] Nomen retinet, nunc La Pulla.

o *Calabri*] Nomen retinet, Calabria.

p *Salentini*] Nunc Salen Mela.

q *Ligures*] Nunc Genoueſes.

r *Hetruria*] La Toſcana hodie.

ſ *Latium*] Latini.

t *Campani*] Regio quæ retinet nomen, & eſt initium regni Neapolitani.

v *Brutii*] Nomen habent ubi Coſentia Calabrorum.

x *Patavium*] Nunc Padua in Marchia Tarviſana.

y *Mutina*] Nunc Modena.

z *Bononia*] Bologna la graſſa.

(1) *Ca-*

(1) *Capua*] Nomen retinet.

(2) *Si pro materia*] Id eſt, ſi habeatur ratio magnitudinis Romanæ.

(3) *Alterum opus*] Id eſt, nemo eſt qui credat urbem conditam eſſe à paſtoribus: tam eſt ornata ædificiis magnificis.

(4) *Tergeſte*] Nunc Trieſte.

(5) *Concordia*] Nomen retinet.

(6) *Timavus*] Si quis volet ſcire rem ipſam veram de Timavo, legat Vadianum, qui peragravit regionem, & vidit Timavum. nomen eſt fluvii & fontis.

(7) *Natiſo*] Nunc Liſontio.

(8) *Aquileia*] Nunc Algar caſtellum.

(9) *Altinum*] Nunc Torcello.

(10) *Padus*] Nunc El Po.

(11) *Donec eum*] Quotquot inviſerunt illam regionem, quos ego Venetiis interrogavi, reſpondent, fabulam eſſe quod de Iſtro fluvio adducitur ab autoribus. nam de Danubio nemo non ſcit longe diſtare ab Adriatico, præterea interceptos eſſe montes.

(12) *A Pado ad Anconam tranſitur Ravenna*] Id eſt, per Ravennam: nomen retinet. ſed cum ſequitur, Ariminum, accuſativus ille refertur ad illam præpoſitionem ad: cum dicitur, ad Anconam, ad Ariminum, ad Piſaurum. Ariminum nunc dictum Rimino.

(13) *Piſaurum*] Nunc Peſaro.

(14) *Metaurus*] Nunc Plumba fluvius.

(15) *Ancona*] Nomen retinet.

(16) *Inter Gallicas Italicaſque gentes*] Ancona terminus eſt Galliæ Ciſalpinæ & Italiæ.

(17) *Numana*] Dicunt hanc deletam eſſe.



Digitized by Google

18 *Potentia*] Vbi nunc eſt Virgo Maria Lauretana, vulgo Loreto.

19 *Claterna*] Nunc Flavianeo.

20 *Firmum*] Nunc Fermo.

21 *Truentum*] Nunc Tronto.

22 *Senogallia*] Nunc La Romandiola, & Campagna.

23 *Aterni*] Nunc Peſcaria flumen.

24 *Hiſtonium*] Nunc Guaſto.

25 *Tifernum amnem*] Nunc Biſano.

26 *Theanum*] Nomen retinet Teano.

27 *Garganum*] Nunc Santangelo.

28 *Sypuntum*] Nunc Syponto.

29 *Aufidum*] La Fante vulgo.

30 *Barium*] Barri hodie.

31 *Egnatia*] Juvenatia.

32 *Rudiæ*] Non extant.

33 *Brunduſium*] Nunc Brindes.

34 *Lupiæ*] Lezo.

35 *Hydrus mons, tum*] Locus corruptus, quem nos inter alios reſtituimus. legendum eſt Hydruntum, nunc Otrento.

36 *Tarentus*] Nunc Taranto.

37 *Metapontum*] Pelicor hodie.

38 *Croton*] Nunc Crutone.

39 *Scyllaceus*] Nunc Deſquillachro.

40 *Lacinium*] Nunc Cabo de colone.

41 *Zephyrium*] Nunc Cabo de ſole.

42 *Scyllaceum*] Nunc Eſquillacho.

43 *Brutium*] Nunc Cabo de ſciglio.

44 *Regium*] Nunc Rezo.

45 *Metaurum*] Teriana.

46 *Buxentum*] Nunc Beluedere.

47 *Paſtum*] Nunc Polycaſtro.

48 *Minerva*] Nunc Cabo de Minerva.

49 *Sur-*

Digitized by Google

49 *Surrento* ] Nunc Sorrento.

50 *Puteoli* ] Nunc Puzoli.

51 *Vulturnus* ] Nunc Vilturno.

52 *Sinueſſa* ] Nunc Seſſa.

53 *Liris* ] Nunc El Garillano, fluvius.

54 *Minturnæ* ] Nunc Caſtellum, vulgo Trajectum.

55 *Formiæ* ] Nunc Nola.

56 *Fundi* ] Nunc Fondi.

57 *Tarracina* ] Gaieta nunc.

58 *Circeji* ] Nunc Cercelli.

59 *Oſtia* ] Nunc oppidum & portus, retinet nomen.

60 *Pyrgi* ] Nunc Civita Vieia.

61 *Caſtrum novum* ] Nunc Corneto.

62 *Graviſcæ* ] Nunc Montalto.

63 *Coſſa* ] Nunc Orbitello.

64 *Populonia* ] Nunc Piumbino.

65 *Cecina* ] Ceſena hodie.

66 *Piſæ* ] Nunc Piſa.

67 *Hetruſca* ] Nunc Toſcana.

68 *Luna* ] Nunc Sarrazana.

69 *Liguria* ] Nunc Terra de Genova.

70 *Genua* ] Nomen retinet.

71 *Sabatia* ] Nunc Saona.

72 *Albigaunum* ] Nunc Arbenga.

73 *Varum* ] El Var, nomen retinet.

74 *Magno gradu* ] Uſque ad Adulam montem.

75 *Verſo impetu in orientem abeunt* ] Juxta Noricos, Rhætios, Vindelicos, Noricos, Pannonios ſuperiores & inferiores, uſque ad Myſiam ſuperiorem.

76 *Populis immanibus* ] Quos diximus, & alios videlicet Carnos.

77 *Vſque in Thraciam* ] Id eſt, ad principium Thraciæ.

CAP.

## CAP. V.

# GALLIA NARBONENSIS.

GALLIA *a* Lemanno lacu & *b* Gebennicis montibus in duo latera diviſa, atque altero *c* Thuſcum pelagus attingens, altero Oceanum, hinc à Varo, illinc à *d* Rheno, ad Pyrenæum uſque promittitur. Pars noſtro mari appoſita, fuit aliquando braccata, *e* nunc Narbonenſis magis culta, & magis conſita, ideoque etiam lætior. Vrbium quas habet opulentiſſimæ ſunt, Vaſio Vocontiorum, *f* Vienna Allobrogum, *g* Avenio Cavarum, Arecomicorum *h* Nemauſus, *i* Toloſſa Tectoſagûm, *k* Secundanorum *l* Arauſio, *m* Sextanorum *n* Arelatæ, *o* Septumanorumque Blitera. Sed anteſtat omnes Atacinorum Decumanorumque colonia, unde olim iis terris auxilium fuit, nunc & nomen & decus eſt, *p* Martius Narbo. In littoribus aliquot ſunt cum aliquibus nominibus loca. Cæterum raræ urbes, quia rari portus, & omnis plaga auſtro atque africo expoſita eſt. *q* Nicea tangit Alpes, tangit oppidum Deceatum, tangit *r* Antipolis. Deinde *ſ* forum Iulii, Octavianorum colonia. Tunc poſt Athenopolis, & *t* Olbia, & Glanon, & Cithariſtes, & Halycidon Maſſilienſium

lienſium portus,& in eo ipſa Maſſilia. Hęc à Phoceis oriunda, & olim inter aſperas poſita, nunc ut pacatis, ita diſſimillimis tamen vicina gentibus. Mirum quam facile & tunc ſedem alienam ceperit, & adhuc morem ſuum teneat. Inter eam & Rhodanum maritima Avaticorum ſtagno aſſidet *v* foſſa Mariana. Partem ejus amnis navigabili alveo effundit: alioquin littus ignobile eſt Lapideum (ut vocant) in quo Herculem contra Albionem & Bergiona, Neptuni liberos, dimicantem, cum tela defeciſſent, ab invocato Iove adjutum imbre lapidum ferunt. credas pluiſſe, adeo multi paſſim & late jacent. *x* Rhodanus non longe ab Iſtri Rhenique fontibus ſurgit. Deinde Lemanno lacu acceptus tenet impetum, ſeque per medium integer agens, quantus venit egreditur. Inde contra in occidentem ablatus, aliquandiu Gallias dirimit. Poſt curſu in meridiem abducto, hâc intrat, acceſſuque aliorum amnium jam grandis, & ſubinde grandior, inter *y* Volcas & *z* Cavaras emittitur. Vltra ſunt ſtagna Volcarum, Ledum flumen, caſtellum Latara, Meſua collis incinctus mari pene undique: ac, niſi quod anguſto aggere continenti annectitur, inſula. Tum ex Gebennis demiſſus Arauraris juxta Agathan, ſecundum Bliteras

Obris

Obris fluit. Atax ex Pyrenæo monte digreſſus,qua ſui fontis aquis venit,exiguus vaduſque eſt,& ingentis alioquin alvei tenens, niſi ubi Narbonem attingit, nuſquam navigabilis: ſed cum hybernis intumuit imbribus, uſque eo ſolitus inſurgere, ut ſe ipſe non capiat. Lacus accipit eum Rubreſus nomine, ſpatioſus admodum,ſed quâ mare admittit, tenuis aditu. Vltra eſt [1] Leucata, littoris nomen, & [2] Saluſæ fons, non dulcibus,ſed ſalſioribus quam marinæ ſint, aquis defluens. Iuxta campus minuta arundine gracilique perviridis, cæterum ſtagno ſubeunte ſuſpenſus. Id manifeſtat media pars ejus, quæ abſciſſa proximis, velut inſula natat, pellique ſe atque attrahi patitur.quin & ex iis quæ ad imum perfoſſa ſunt, ſuffuſum mare oſtenditur. Vnde Graiis noſtriſque etiam autoribus,verine ignorantia,an prudentibus etiam mendacii libidine, viſum eſt tradere poſteris,in ea regione piſcem è terra penitus erui,qui ubi ex alto hucuſque penetravit, per ea foramina ictu captantium interfectus extrahitur. Inde eſt ora Sardonum, & parva flumina, Thelis & Thicis: ubi accrevêre, perſæva. colonia [3] Ruſcino,vicus Eliberri magnæ quondam urbis, & magnarum opum tenue veſtigium. Tum inter Pyrenæi promonto-

ria

ria [4] portus Veneris eſt in ſinu ſalſo, & [5] Cervaria locus, finis Galliæ.

### IN CAP. V.

a *Lemanno lacu*] El lago de Geneva. ſive El lago de Loſana.

b *Gebennicis montibus*]Le mont Calvernia nunc.

c *Thuſcum pelagus*] Diximus eſſe El mar de la Toſcana.

d *Rheno*] Le Rhin hodie.

e *Nunc Narbonenſis*] Olim vocata provincia Romanorum.

f *Vienna*] Nomen retinet, in Delphinatu.

g *Avenio*] Nomen retinet.

h *Nemauſus*] Nunc Nimes.

i *Tholoſa*] Nomen retinet.

k *Secundanorum*] Id eſt, ubi erat ſecunda legio.

l *Arauſio*] Aurenge.

m *Sextanorum*]Vbi erant milites ſextæ legionis.

n *Arelatæ*] Nomen retinet Arles.

o *Septumanorum Blitera*] Nunc Beſiere.

p *Martius Narbo*] Nunc Narbona.

q *Nicea*] Nunc Niſa. r *Antipolis*] Nunc Ragni.

ſ *Forum Iulii*] Nunc Freio. t *Olbia*]Nunc Eres.

v *Foſſa Mariana*] Aigues mortes.

x *Rhodanus*] Nunc Le Roſne.

y *Volcas*] Eos qui apud Montem Peſſulanum agunt.

z *Cavaras*] Avenionenſes.

1 *Leucata*] Nomen retinet.

2 *Salſuſæ*] Nomen retinent, nunc Salſes.

3 *Ruſcino*] Perpinnam hodie, caput comitatus Roſilionis.

4 *Portus Veneris*] Cap de Creus, hodie.

5 *Cervaria*] Nunc Cobliure.

CAP.

## CAP. VI.

# HISPANIA.

*a* PYRENÆUS primo hinc in Britannicum procurrit Oceanum, *b* tum in terras fronte converſus, Hiſpaniam irrumpit, & minore ejus parte ad dextram excluſa trahit perpetua latera continuus, donec per omnem provinciam longo limite immiſſus, *c* in ea littora quæ occidenti ſunt adverſa, perveniat. Ipſa Hiſpania, *d* niſi quâ Gallias tangit, *e* pelago undique incincta eſt: *f* ubi illis adhæret, *g* maxime anguſta, paulatim ſe in noſtrum mare & Oceanum extendit: *h* magis magiſque latior ad occidentem abit, ac fit ibi latiſſima. Viris, equis, ferro, plumbo, ære, argento auroque tam abundans, & adeo fertilis, ut ſicubi ob penuriam aquarum effœta & ſui diſſimilis eſt, linum tamen aut ſpartum alat. *i* Tribus autem eſt diſtincta nominibus: parſque ejus Tarraconenſis, pars Bætica, pars Luſitania vocatur. *k* Tarraconenſis altero capite Gallias, altero *l* Bæticam *m* Luſitaniamque contingens, mari latera objicit noſtro, quâ meridiem, quâ ſeptentrionem ſpectat, Oceano. *n* Illas fluvius *o* Anas ſeparat, *p* & ideo Bætica maria utraque proſpicit: ad occidentem,

dentem, Atlanticum: ad meridiem, noſtrum. Luſitania Oceano tantummodo objecta eſt, ſed latere ad ſeptentriones, *q* fronte ad occaſum. Vrbium de mediterraneis in Tarraconenſi clariſſimæ fuerunt *r* Pallantia & *ſ* Numantia, nunc eſt *t* Cæſaraugusta: in Luſitania, *v* Emerita: in Bætica, *x* Aſtigi, *y* Hiſpalis, *z* Corduba. at ſi littora legas, à Cervaria proxima eſt rupes quæ in altum Pyrenæum extrudit. Dein Thicis flumen, ad [1] Rhodam, Clodianum ad [2] Emporia. Tum [3] mons Iovis, cujus partem occidenti adverſam, eminentia cautium, quæ inter exigua ſpatia ut gradus ſubinde conſurgunt, [4] Scalas Annibalis appellant. Inde ad Tarraconem parva ſunt oppida, [5] Blanda, Illuro, [6] Betullo, [7] Barchino, [8] Subur, Tholobi: parva flumina, Betullo juxta Iovis montem, [9] Rubricatum in Barchinonis littore inter Subur & Tholobin majus, [10] Tarraco urbs eſt in his oris maritimarum opulentiſſima. Tulcis eam modicus amnis ſuper, ingens [11] Iberus deorſum attingit. Inde ſe in terras pelagus inſinuat, & primum magno impetu admiſſum, mox in duos ſinus promontorio quod [12] Ferrariam vocant, finditur: prior Sucronenſis dicitur, major hic & magno ſatis ore pela-

pelagus accipiens, & quo magis penetratur, anguſtior, Serabim, & [13] Duriam & [14] Sucronem non magna excipit flumina: urbes complexus, & alias quidem, ſed notiſſimas [15] Valentiam, & [16] Saguntum illam fide & ærumnis inclytam. Sequens [17] Illicitanus Alonem habet & [18] Lucentiam, & unde ei nomen eſt [19] Illicen. Hîc jam terræ magis in altum eunt, latioremque quam fuerat Hiſpaniam faciunt. Verum ab iis quæ dicta ſunt, ad principia Bæticæ, præter [20] Carthaginem quam dux Pœnorum Aſdrubal condidit, nihil referendum eſt. In illis oris ignobilia ſunt oppida, & quorum mentio tantum ad ordinem pertinet. [21] Virgi in ſinu quem Virgitanum vocant. Extra, Abdera, [22] Suel, Hexi, [23] Menoba, [24] Malaca, [25] Salduba, Lacippo, Berbeſul. Aperit deinde anguſtiſſimum pelagus, & proxima inter ſe Europæ atque Africæ littora montes efficiunt, ut initio diximus, columnæ Herculis Abyla & Calpe: uterque quidem, ſed Calpe magis, & pene totus in mare prominens. Is mirum in modum concavus, ab ea parte qua ſpectat occaſum, medium ferè latus aperit: atque inde ingreſſus totus admodum pervius, prope quantum patet ſinus: & ſpecus ultra eſt. In eoque [26] Carteia (ut quidam putant)

Digitized by Google

putant ) aliquando Tarteſſos, & quam tranſvecti ex Africa Phœnices habitant: atque unde nos ſumus, cingente freto, [27]Mellaria & Bello, & Beſippo, uſque ad[28]Iunonis promontorium oram freti occupat. Illud jam in occidentem & Oceanum obliquo jugo excurrens, atque ei quod in Africa Ampeluſiam eſſe dixeramus adverſum, qua noſtra maria ſunt, finit Europen.

## IN CAP. VI.

a *Pyrenæus hinc*] Hoc eſt, ex capite Veneris in Britannicum Oceanum excurrit, id eſt, mare Oceanum fontis Rabiæ.

b *Tum in terras fronte converſus Hiſpaniam irrumpit*] Nam duo maxima ramenta ex Pyrenæo irrumpunt: alterum vocatur Idubeda mons, alterum Oroſpeda.

c *In ea littora quæ occidenti ſunt adverſa*] Nam Idubeda uſque ad Portugalliam protenditur. Varia ſortitur nomina ex gentibus juxta habitantibus. In primis vocatur La Sierra Datienca: deinde, Sumo Sierra: tum El puerto de la Tablada: poſtea, La Palomera davila: hinc, El puerto del Colmenar, & El puerto del Pico: deinde, El puerto de Tornavacas. Hinc procurrit uſque ad mare occidentale in Portugallia, & Prominens mons vocatur, El monte de la Strella.

d *Niſi quâ Gallias tangit*] Indicat totum tractum Pyrenæi à promontorio Veneris, quod eſt Cap de Creus, uſque ad fontem Rabiam.

e *Pelago*] A meridie, mari noſtro: à ſeptentrione, mari Britannico.

f *Vbi*

Digitized by Google

pelagus accipiens, & quo magis penetratur, anguſtior, Serabim, & [13] Duriam & [14] Sucronem non magna excipit flumina: urbes complexus, & alias quidem, ſed notiſſimas [15] Valentiam, & [16] Saguntum illam fide & ærumnis inclytam. Sequens [17] Illicitanus Alonem habet & [18] Lucentiam, & unde ei nomen eſt [19] Illicen. Hîc jam terræ magis in altum eunt, latioremque quam fuerat Hiſpaniam faciunt. Verum ab iis quæ dicta ſunt, ad principia Bæticæ, præter [20] Carthaginem quam dux Pœnorum Aſdrubal condidit, nihil referendum eſt. In illis oris ignobilia ſunt oppida, & quorum mentio tantum ad ordinem pertinet. [21] Virgi in ſinu quem Virgitanum vocant. Extra, Abdera, [22] Suel, Hexi, [23] Menoba, [24] Malaca, [25] Salduba, Lacippo, Berbeſul. Aperit deinde anguſtiſſimum pelagus, & proxima inter ſe Europæ atque Africæ littora montes efficiunt, ut initio diximus, columnæ Herculis Abyla & Calpe: uterque quidem, ſed Calpe magis, & pene totus in mare prominens. Is mirum in modum concavus, ab ea parte qua ſpectat occaſum, medium ferè latus aperit: atque inde ingreſſus totus admodum pervius, prope quantum patet ſinus: & ſpecus ultra eſt. In eoque [26] Carteia (ut quidam putant)

Digitized by Google

putant ) aliquando Tarteſſos, & quam transvecti ex Africa Phœnices habitant: atque unde nos ſumus, cingente freto, [27] Mellaria & Bello, & Beſippo, uſque ad [28] Iunonis promontorium oram freti occupat. Illud jam in occidentem & Oceanum obliquo jugo excurrens, atque ei quod in Africa Ampeluſiam eſſe dixeramus adverſum, qua noſtra maria ſunt, finit Europen.

IN CAP. VI.

a *Pyrenæus hinc* ] Hoc eſt, ex capite Veneris in Britannicum Oceanum excurrit, id eſt, mare Oceanum fontis Rabiæ.

b *Tum in terras fronte converſus Hiſpaniam irrumpit* ] Nam duo maxima ramenta ex Pyrenæo irrumpunt: alterum vocatur Idubeda mons, alterum Oroſpeda.

c *In ea littora quæ occidenti ſunt adverſa* ] Nam Idubeda uſque ad Portugalliam protenditur. Varia ſortitur nomina ex gentibus juxta habitantibus. In primis vocatur La Sierra Datienca: deinde, Sumo Sierra: tum El puerto de la Tablada: poſtea, La Palomera davila: hinc, El puerto del Colmenar, & El puerto del Pico: deinde, El puerto de Tornavacas. Hinc procurrit uſque ad mare occidentale in Portugallia, & Prominens mons vocatur, El monte de la Strella.

d *Niſi quâ Gallias tangit* ] Indicat totum tractum Pyrenæi à promontorio Veneris, quod eſt Cap de Creus, uſque ad fontem Rabiam.

e *Pelago* ] A meridie, mari noſtro: à ſeptentrione, mari Britannico.

f *Ubi*

f *Vbi illis adhæret*] Illis videlicet Galliis.

g *Maxime anguſta*] Hæc videbis in plano,& in globo.

h *Magis magiſque latior ad occidentem abit*]Præcipue in medio, à capite Finis terræ uſque ad Carthaginem novam.

i *Tribus diſtincta nominibus*] Dividitur Hiſpania, in Hiſpaniam Tarraconenſem, Bæticam, & Luſitaniam.

k *Tarraconenſis altero capite Gallias*] Gallias ex parte Pyrenæorum.

l *Bæticam*] Verſus Caridemum promontorium, nunc dictum Cabo de Carbonero.

m *Luſitaniamque contingens*] Prope Guadalupe, uſque ad Doriam fluvium.

n *Illas*] Videlicet Luſitaniam & Bæticam.

o *Ana*] Legendum iſto modo, & non Anas. Vulgo dicitur Guadiana, vocabulo Sarracenico. nam Gua lingua Arabica ſonat aquam.fluvius iſte dividit Bæticam à Luſitania.

p *Et ideo Bætica maria utraque*] Id eſt,noſtrum & Oceanum: noſtrum à freto uſque ad Caridemum promontorium, quod eſt caput de Gata: Oceanum à freto uſque ad Anam.

q *Fronte*] Videlicet Cabo de San Vincente.

r *Pallantia*] Nunc Palentia.

ſ *Numantia*] Nunc Soria.

t *Cæſarauguſta*] Nomen retinet,in regno Aragonum.

v *Emerita*] Nunc Merida la grande.

x *Aſtigi*] Nunc Ecija.

y *Hiſpalis*] Nunc Sevilla.

z *Corduba*] Nomen retinet.

1 *Rhoda*] Nomen retinet.

2 *Emporia*] Nunc Ampuries.

3 *Mons*

Digitized by Google

3 *Mons Iovis*] Nunc Monivi.
4 *Scalas Annibalis*]Nunc Les coſtes de Garraf.
5 *Blanda*] Nunc Blanes.
6 *Betullo*] Nunc Beſon.
7 *Barchino*] Nunc Barcelona.
8 *Subur*] Siges hodie.
9 *Rubricatum*] Nunc Lobregat.
10 *Tarraco*] Nunc Tarragona.
11 *Iberus*] Nunc Ebro.
12 *Ferrariam*] Nunc El cabo de Martin.
13 *Duriam*] Turiam legendum eſt. nunc eſt Guada Laviar.
14 *Sucronem*] Nunc eſt Xucar.
15 *Valentiam*] Nomen retinet.
16 *Saguntum*] Nunc Morvedre.
17 *Illicitanus ſinus*] Nunc dicitur de Alacant.
18 *Lucentiam*] Nunc Lugent.
19 *Illicen*] Nunc Alacant.
20 *Carthaginem*] Nunc Cartagena.
21 *Virgi*] Nunc Almeria.
22 *Suel*] Chipiona.
23 *Menoba*] Nunc Velez Malaga.
24 *Malaca*] Nomen retinet.
25 *Salduba*] Nunc Ubeda.
26 *Carteia*] Nunc Cartaia.
27 *Mellaria & Bellō*] Tariſſa. Mellaria non extat.
28 *Iunonis promontorium*] Sancta Maria, aut El puerto de Sancta Maria.

CAP.

Digitized by Google

## CAP. VII.

## MEDITERRANEI MARIS INSVLÆ.

GADES *a* inſula, quæ egreſſis fretu m obvia eſt, admonet ante reliquas dicere quam in Oceani littora terrarumque circuitum (ut initio promiſimus) oratio excedat. *b* Paucæ ſunt in Mæotide (inde enim videtur commodiſſimum incipere) neque omnes tamen incoluntur. nam nec pabula quidem large ferunt. Hac re habitantibus caro magnorum piſcium ſole ſiccata, & in pulverem uſque contuſa, pro farre eſt. Paucæ & in Ponto. Leuce Boryſthenis oſtio objecta, parva admodum, & quia ibi Achilles ſitus eſt, Achillea cognomine. Non longe accolitur Aria, quæ Marti ſacrata (ut fabulis traditur) tulit aves cum ſumma clade advenientium, pennas quaſi tela jaculantes. Sex ſunt Iſtri oſtia: ex his Peuce notiſſima & maxima. *c* Thynnias Mariandynorum finibus proxima, urbem habet, quam quia Bithyni incolunt, Bithynida appellant. Contra Thracium Boſporum duæ parvæ, parvoque diſtantes ſpatio, & aliquando creditæ dictæque concurrere, & *d* Cyaneæ vocantur

cantur

cantur & Symplegades. In Propontide tantum Proconneſos habitatur. Extra Helleſpontum, earum quæ Aſiaticis regionibus adjacent, clariſſimæ ſunt, *e* Tenedos, Sigæis adverſa littoribus, & quo dicentur ordine, ad promontorium Tauri montis expoſitæ: quas quidam dici putavêre *f* Μακάρων, ſive quod fortunati admodum cœli ſolique ſunt, ſive quod eas ſuo ſuorumque regno Macar occupaverat. In Troade *g* Lesbos: & in ea quinque olim oppida, Antiſſa, Pyrrha, Ereſſos, Cirava, Mitylene. In Ionia, *h* Chios & *i* Samos. In Caria, *k* Cos. In Lycia, *l* Rhodos. In illis ſingulæ ſunt iiſdem nominibus urbes. In Rhodo tres quondam erant, Lindos, Camiros, Ialyſos. quæ contra Tauri promontorium importune navigantibus objacent, Chelidoniæ nominantur. In ſinu quem maximum Aſia recipit prope media *m* Cyprus ad ortum occaſumque ſe immittens, recto jugo inter Ciliciam Syriaſque porrigitur ingens, ut quæ aliquando novem regna ceperit, & nunc aliquot urbes ferat: quarum clariſſimæ, Salamis & Paphos, & (quo primum ex mari Venerem egreſſam accolæ affirmant) Palæpaphos. *n* Arados etiam in Phœnice eſt parva, & quantum patet, tota oppidum: frequens tamen, quia etiam ſubter aliena

 tecta

tecta ſedem ponere licet. Parva & Canopos, Nili oſtio quod Canopicum vocant, obvia eſt. Menelai gubernator Canopus ibi forte moriens, nomen inſulæ, illa oſtio dedit. *o* Pharos Alexandriæ nunc ponte conjungitur, olim (ut *p* Homerico carmine proditum eſt) ab eiſdem oris curſu diei totius abducta: &, ſi ita res fuit, videri poteſt conjectantibus in tantum mutatæ cauſas Nilum præbuiſſe, dum limum ſubinde, & præcipue cum exundaret, littori annectens, auget terras, ſpatiumque augeſcentium in vicina vada promovet. In Africa contra majorem Syrtim Cuteletos: contra minoris promontoria, Meninx & Cercinna: contra Carthaginis ſinum, Tarichiæ & Ægates, Romana clade memorabiles. Plures Europæ littoribus ſunt appoſitæ. In Ægæo mari prope Thraciam *q* Thaſos, *r* Imbros, Samothrace, Scandille, Polyægos, *ſ* Sciathos, Haloneſos: & quam aliquando, omnibus qui mares erant cæſis, tantum fœminæ tenuiſſe dicuntur, Atho monti *t* Lemnos adverſa. Pagaſeus ſinus Sciathon proſpicit, Cicyneton amplectitur. *v* Eubœa ad meridiem promontorium Geræſton & Caphareum: ad ſeptentrionem Cœneum extrudit, & nuſquam lata, duûm millium ſpatium habet ubi arctiſſima eſt: cæterum longa, tot-

tique

tique Bœotiæ appoſita, anguſto freto diſtat à littore, Euripon vocant, rapidum mare, & alterno curſu ſepties die ac ſepties nocte fluctibus invicem verſis, adeo immodice fluens, ut ventos etiam ac plenis velis navigia fruſtretur. Aliquot in ea ſunt oppida, Heſtiæa, Eretria, Pyrrha, Neſos, Oechalia: verum opulentiſſimæ Caryſtos & Chalcis. In Atthide Helene eſt, nota ſtupro Helenæ, & *x* Salamis excidio claſſis Perſicæ notior. Circa Peloponneſon etiam nunc in Ægæo Phitiuſa, & Ægina Epidaurico littori proxima, Trœzenio Calauria inter ignobiles, aliâs letho Demoſthenis nobilis. In Myrtoo Cythera contra Maleam emiſſa, & Theganuſa contra Acritam. In Ionio Prote, Hyria, Cephalenia, Neritos, Same, Zacynthos, Dulichium: & inter non ignobiles, Vlyſſis nomine Ithaca maxime illuſtris. In Epiro Echinades, & Strophades, olim Plotæ. Contra Ambracium ſinum Leucadia, & vicina Adriatico mari *y* Corcyra: hæ Thracum Graiorumque terris objacent. At interius *z* Melos, Olearos, Ægina, Cathon, Ios, Thera, Gyaros, Hippuris, Donyſſa, Cianos, Chalcis, Icaria, Pinaria, Niſyros, Lebynthos, Calydne, Aſine. hæ, quia diſperſæ ſunt, Sporades. Ab eis Sicynus, Hypanos, Cythnos, Siphnos, Se-

riphos, Rhene, Paros, Scyros, Tenos, Myconos, Naxos, Delos, [1] Andros: quia in orbem jacent, Cyclades dictæ ſunt. Super eas jam in medio mari, ingens & centum quondam urbibus habitata [2] Crete, ad orientem promontorium Samonium, ad occidentem [3] *κριοῦ μέτωπον* immittit: niſi major eſſet, Cypro ſimilis: multis famigerata fabulis, adventu Europæ, Paſiphaes & Ariadnæ amoribus, Minotauri feritate fatoque, Dædali operibus & fuga, tum ſtatione atque morte: maximе tamen eo, quod ibi ſepulti Iovis pene clarum veſtigium ſepulcrum eſt, cui nomen ejus inſculptum eſſe accolæ oſtendunt. Vrbium notiſſimæ, Gnoſos, Gortyna, Lyctos, Lycaſtos, Holopyxos, Phæſtos, Cydon, Manethuſa, Dictynna. Inter colles, quod ibi nutritum Iovem accepimus, fama Idæi montis excellit. Iuxta eſt Aſticla, Naumachos, Zephyre, Criſe, Gaudos, & quas Muſagoros numero tres, uno tamen vocabulo appellant: atque unde Carpathio mari cognomen eſt, Carpathos. In Adria, Abſoros, Celaduſe, Abſyrtis, Iſſa, Trucones, Hydria, Electrides, nigra Corcyra, Tragurium, Diomedia, Æſtria, Aſine, atque ut Alexandriæ, ita Bruunduſio adjacens Pharos. [4] Sicilia (ut ferunt) aliquando continens, & agro

Brutio

Brutio annexa: poſt [5] freto maris Siculi abſciſſa eſt. Id anguſtum & anceps alterno curſu modo in Thuſcum, modo in Ionium pelagus perfluit, atrox, ſævum, & Scyllæ Charybdiſque ſævis nominibus inclytum. Scylla ſaxum eſt, Charybdis mare, utrunque noxium appulſis: ipſa ingens & tribus promontoriis in diverſa procurrens, Græcæ literæ imaginem, quæ Delta dicitur, efficit. [6] Pachynum vocatur quod Græciam ſpectat: Lilybæum, quod in Africam: Pelorum, quod in Italiam vergens Scyllæ adverſum eſt: cauſa nominis Pelorus, gubernator ab Annibale ibidem conditus: quem idem vir profugus ex Africa, ac per ea loca Syriam petens, quia procul iutuenti videbantur continua eſſe littora, & non pervium pelagus, proditum ſe arbitratus occiderat. Ab eo ad Pachynum ora quæ extenditur Ionium mare attingens, hæc fert illuſtria, [7] Meſſanam, [8] Taurominium, [9] Catinam, [10] Megarida, [11] Syracuſas, & in iis mirabilem Arethuſam. fons eſt in quo viſuntur jacta in Alpheum amnem, ut diximus, Peloponneſiaco littori infuſum: unde ille creditur non ſe conſociare pelago, ſed ſubter maria terraſque depreſſus, huc agere alveum, atque hîc ſe rurſus extollere. Inter Pachynum & Lilybæum [12] A-

cragas eſt, Heraclea, & Thermæ. Inter Lilybæum & Pelorida [13] Panormus & Himera. Interius vero Leontini, Centuripinum, & Hybla, aliæque complures. Famam habet ob Cereris templum Enna, præcipua. Montium Eryx maxime memoratur ob delubrum Veneris ab Ænea conditum: & Ætna quæ Cyclopas olim tulit, nunc aſſiduis ignibus flagrat. De amnibus Himera referendus, quia in media admodum ortus, in diverſa decurrit, ſcindenſque eam utrinque, alio ore in Libycum, alio in Thuſcum mare devenit. Circa Siciliam in Siculo freto eſt Ææe, quam Calypſo habitaſſe dicitur. Africam verſus Gaulos, [14] Melita, Coſura: propius Italiam Galata, & illæ ſeptem, quas, Æoli appellant, Oſteodes, Lipara, Didyme, Phœnicuſa, Ericuſa, Hiera, & Strongyle, ut [15] Ætna, perpetuo flagrant igne. At Pithecuſa, Leucothea, Ænaria, Sinonia, Capreæ, Prochyta, Pontiæ, Pandataria, Phytonia, Palmaria, Italico lateri citra Tyberina oſtia objacent. Vltra aliquot ſunt parvæ, Dianium, Iginium, Carbania, Vrgo, Ilua, Capraria. Duæ grandes, fretoque diviſæ Hetruſco, quarum [16] Corſica littori propior inter latera tenuis & longa, præterquam ubi Aleria & Marianæ coloniæ ſunt, à barbaris colitur: [17] Sardinia

Digitized by Google

nia Africum pelagus attingens, niſi quod in occidentem quam in orientem anguſtius ſpectat, par & quadrata undique, & nuſquam non aliquanto ſpatioſior quam ubi latiſſima eſt Corſica. cæterum fertilis, & ſoli quam cœli melioris: atque ut fœcunda, ita pene peſtilens. In ea antiquiſſimi populorum ſunt Ilienſes. Vrbium antiquiſſimæ,[18] Calaris & Sulchi. At in Gallia, quas referre conveniat, ſolæ ſunt Stœchades, ab ora Ligurum ad Maſſiliam uſque diſperſæ. [19] Baleares in Hiſpania contra Tarraconenſia littora ſitæ, non longe inter ſe diſtant, & ex ſpatio ſuo cognominibus acceptis, [20] majores [21]minoreſq; perhibentur. Caſtella ſunt in minoribus, Iamno & Mago: in majoribus, [22] Palma & [23] Polentia coloniæ. [24] Ebuſos è regione promontorii quod in Sucronenſi ſinu Ferrariam vocant, eodem nomine urbem habet, frumentis tantum non fœcunda, ad alia largior, & omnium animalium quæ nocent adeo expers, ut nec ea quidem quæ de agreſtibus mitia fiunt, aut generet, aut, ſi invecta ſunt, ſuſtineat. Contra eſt[25]Colubraria, cujus meminiſſe ſuccurrit, quod cum ſcateat multo ac malefico genere ſerpentum, & ſit ideo inhabitabilis, tamen ingreſſis eam, intra id ſpatium quod Ebu-

ſitana humo circumſignaverunt, ſine pernicie tuta eſt, iiſdem illis ſerpentibus qui ſolent obvios appetere ; aſpectum ejus pulveris, aliudve, quod verius, procul & cum pavore fugientibus.

## IN CAP. VII.

a *Gades inſula* ] Nunc dicta Caliz.

b *Paucæ ſunt in Mæotide* ] Una eſt ditiſſima, nunc dicta Tana. olim erat Venetorum, & dicebatur Alopecia.

c *Thynnias* ] E regione Mariandynorum.

d *Cyaneæ* ] Sunt & in Ponto & in Propontide.

e *Tenedos* ] Nunc Tenedo.

f *Μακάρων* ] Id eſt, fortunatorum, beatorum.

g *Leſbos* ] Nunc Metelina.

h *Chios* ] Nunc Gio.

i *Samos* ] Nunc Samo.

k *Cos* ] Nunc Lango.

l *Rhodos* ] Nomen retinet.

m *Cyprus* ] Nomen retinet.

n *Arados* ] Nunc Ar.

o *Pharo* ] Nunc Phara.

p *Homerico carmine* ] Ita ille habet quarto Odyſſeæ,

Νῆσος ἔπειτά τίς ἐστι πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ,
Αἰγύπτου προπάροιθε, Φάρον δέ ἑ κικλήσκουσι,
Τόσσον ἄνευθ' ὅσσον τε πανημερίη γλαφυρὴ νηῦς
Ἤνυσεν, ᾗ λιγὺς οὖρος ἐπιπνείῃσιν ὄπισθεν.

q *Thaſos* ] Taxo nunc.

r *Imbros* ] Stalimin nunc.

ſ *Sciathos* ] Nunc Seriro.

t *Lemnos* ] Hodie Sidrio

v *Eu-*

Digitized by Google

v *Eubœa* ] Nunc Negroponte.
x *Salamis* ] Submerſa eſt.
y *Corcyra* ] Nunc Corfu.
z *Melos* ] Hodie Mil.
1 *Andros* ] Nunc Andria.
2 *Crete* ] Nunc Candia.
3 Κριοῦ μέτωπον ] Id eſt, arietis frontem.
4 *Sicilia* ] Nomen retinet.
5 *Freto maris Siculi* ] Nunc dicto El far de Meſina.
6 *Pachynum* ] Nunc Cabo Pacino.
7 *Meſanam* ] Nunc Meſinam.
8 *Taurominium* ] Nunc Tavernera.
9 *Catinam* ] Nunc eſt Catania.
10 *Megarida* ] Nunc Agoſta.
11 *Syracuſas* ] Nunc eſt Saragoſa de Sicilia.
12 *Acragas* ] Nunc Gergenti.
13 *Panormus* ] Nunc Palermo.
14 *Melita* ] Nunc Malta.
15 *Ætna* ] Non flagrat: nec ex vicinis aliquis eſt qui hoc viderit. nunc dicitur Bolcar.
16 *Corſica* ] Nomen retinet.
17 *Sardinia* ] Nunc Sardengna.
18 *Calaris* ] Nunc Caller.
19 *Baleares* ] Duæ ſunt.
20 *Majores* ] Nunc Mallorca.
21 *Minores* ] Nunc Menorca.
22 *Palma* ] Quæ nunc dicitur Mallorca civitas.
23 *Polentia* ] Nunc Polenſa.
24 *Ebriſos* ] Nunc Ayjuſſa.
25 *Colubraria* ] Nunc La Dragonera.



Digitized by Google

# LIBER TERTIUS.

## CAP. I.

## EXTIMA HISPANIÆ LITTORA.

DICTA eſt ora noſtri maris: dictæ inſulæ quas amplectitur. reſtat ille circuitus, quem (ut initio diximus) cingit Oceanus, ingens & infinitum pelagus, & magnis æſtibus concitum (ita enim motus ejus appellant) modo inundat campos, modo late nudat ac refugit, nunc alios alioſque in vicem, neque alternis acceſſibus nunc in hos nunc in illos impetu verſum: ſed ubi in omnia littora, quamvis diverſa, terrarum inſularumque ex medio pariter effuſum eſt, rurſus ab illis colligitur in medium, & in ſemetipſum redit, tanta vi ſemper immiſſum, ut vaſta etiam flumina retroagat, & aut terreſtria deprehendat animalia, aut marina deſtituat. Neque adhuc ſatis cognitum eſt anhelitúne ſuo id mundus efficiat, retractamque cum ſpiritu

tū regerat undam undique, ſi(ut *a* doctioribus placet) unum animal eſt: an ſint depreſſi aliqui ſpecus, quo reciproca maria reſidant, atque inde ſe rurſus exuberantia attollant: an luna cauſas tantis meatibus præbeat. ad ortus certe ejus occaſuſque variantur: neque eodem aſſidue tempore, ſed ut illa ſurgit ac demergitur, ita recedere atque adventare comperimus. Huc egreſſos, ſequenteſque ea quæ exeuntibus dextra ſunt, æquor Atlanticum & ora Bæticæ frontis excipit, quæ niſi quod ſemel iterumque paululum in ſemet abducitur, uſque ad flumen Anam pene recta eſt. *b* Turduli & *c* Baſtuli habitant. In proximo ſinu portus eſt quem Gaditanum, & lucus quem Oleaſtrum appellant. Tum caſtellum Ebora in littore, & procul à littore Aſta colonia: extra Iunonis ara templumque eſt. In ipſo mari monimentum Geryonis, ſcopulo magis quam inſulæ impoſitum. *d* Bætis ex Tarraconenſi regione demiſſus, per hanc fere mediam diu, ſicut naſcitur, uno amne decurrit: poſt ubi non longe à mari grandem lacum facit, quaſi ex uno fonte geminus exoritur: quantuſque ſimplici alveo venerat, tantus ſingulis effluit. Tum ſinus alter uſque ad finem provinciæ inflectitur, eumque parva oppida, Olitingi, Onoba

ba contingunt. At *e* Luſitania trans *f* Anam, quâ mare Atlanticum ſpectat, primum ingenti impetu in altum abit, deinde reſiſtit, ac ſe magis etiam quam Bætica abducit: quâ prominet, bis in ſemet recepto mari, in tria promontoria diſpergitur. Anæ proximum, quia lata ſede procurrens, paulatim ſe ac ſua latera faſtigiat, Cuneus ager dicitur: ſequens, *g* Sacrum vocant: Magnum, quod ulterius eſt. In Cuneo ſunt, *h* Mirtylis, *i* Balſa *k* Oſſonoba. In Sacro, *l* Lacobriga, & portus Annibalis. In magno, *m* Ebora. Sinus interſunt: & eſt in proximo Salacia: in altero, *n* Vlyſſippo, & *o* Tagi oſtium, amnis aurum gemmaſque generantis. Ab iis promontoriis ad illam partem quæ receſſit, ingens flexus aperitur. In eoque ſunt Turduli veteres, Turdulorumque oppida: amnes autem, Monda in medium fere ultimi promontorii latus effluens, & radices ejuſdem abluens, *p* Durius. Frons illa aliquandiu rectam ripam habet, deinde modico flexu accepto, mox paulum eminet: tum reducta iterum iterumque, recta margine jacens, ad promontorium quod Celticum vocamus, extenditur. totam Celtici colunt, ſed à Durio ad flexum Gronii: fluuntque per eos, Avo, Celandus, Nebis, *q* Minius, & cui oblivionis cognomen

gnomen eſt *r* Limia. Flexus ipſe Lambriacam urbem amplexus recipit fluvios, Iernam & Viam. Partem quæ prominet, Præſamarci habitant : perque eos Tamaris & Sars, flumina non longe orta decurrunt : Tamaris, ſecundum *ſ* Arotebrarum portum : Sars, juxta turrem Auguſti titulo memorabilem. Cætera ſuper *t* Tamarici Neriique incolunt in eo tractu ultimi. Hactenus enim ad occidentem verſa littora pertinent : deinde ad ſeptentriones toto latere terra convertitur *v* à Celtico promontorio ad *x* Scythicum uſque : hinc perpetua ejus ora, niſi ubi *y* modici receſſus ac parva promontoria ſunt, ad Cantabros pene recta eſt. In ea primum Artabri ſunt, & *z* Ianaſum Celticæ gentis: deinde [1] Aſtures. In Artabris ſinus ore anguſto admixtum mare non anguſto ambitu excipiens, Adrobicum urbem & quatuor amnium oſtia incingit. duo, etiam inter accolentes, ignobilia ſunt : per alia duo Mearus exit, & Narius ad Libuncam. In Aſturum littore Nœga eſt oppidum : & tres aræ quas Seſtianas vocant, in peninſula ſedent, & ſunt Auguſti nomine ſacræ, illuſtrantque terras ante ignobiles. At ab eo flumine quod Saliam vocant, incipiunt oræ paulatim recedere, & latæ adhuc Hiſpaniæ magis magiſque ſpatia contrahere,

trahere, uſque adeo ſemet & terras anguſtantibus, ut earum ſpatium inter duo maria dimidio minus ſit quá Galliam tangunt, quam ubi ad occidentem littus exporrigunt. Tractum [2] Cantabri & Varduli tenent. Cantabrorum aliquot populi amneſque ſunt, ſed quorum nomina noſtro ore concipi nequeant. Per eoſdem & Salenos Saurium, per Autrigones & Origeviones quoſdam Neſua deſcendit: Deva Tritium Tobolicum attingit: deinde Iturisſam & Eaſonem Magrada. [3] Varduli una gens, hinc ad Pyrenæi jugi promontorium pertinens, claudit Hiſpanias.

IN LIB. III. CAP. I.

a *Doctioribus*] Platonicis, qui ajunt mundum eſſe animatum.

b *Turduli*] Nunc pars Andaluſes, pars Granatenſes.

c *Baſtuli*] Omnes Granatenſes.

d *Bætis*] Nunc Guadalguebir.

e *Luſitania*] Pars Luſitaniæ dicitur Portugallia, pars La Extremadura.

f *Ana*] Hodie eſt Guadiana.

g *Sacrum promontorium*] Nunc cabo de San Vincente.

h *Mirtylis*] Nunc Vaena.

i *Balſa*] Nunc Tavila.

k *Oſonoba*] Silvera.

l *Lacobriga*] Coymbra.

m *Ebo-*

Digitized by Google

m *Ebora*]. Nomen retinet.

n *Vlyßippo*] Lisbona hodie.

o *Tagi*] Nunc Taio.

p *Durius*] Nunc Duero.

q *Minius*] Migno nunc.

r *Limia*] Linia hodie.

ſ *Arotebrarum*] Gallegos nunc.

t *Tamarici*] Gallegos quoque.

v *A Celtico promontorio*] A promontorio quod vocatur Finis terræ.

x *Scythicum*] Dacicum ad Saxoniam.

y *Modici receſſus*] Ad portum Magnum, & ad Trileucum promontorium.

z *Ianaſum*] Sanctus Jacobus in Compoſtella.

1 *Aſtures*] Nomen retinent.

2 *Cantabri*] Nunc Montanas, & Biſcaya.

3 *Varduli*] Lipuſca, & pars Vaſconiæ.

## CAP. II.

## EXTIMA GALLIARVM ORA.

SEquitur Galliæ latus alterum, cujus ora primo nihil progreſſa in altum, mox tantundem pene *a* in pelagus excedens, quantum retro Hiſpania *b* abſceſſerat, *c* Cantabricis fit adverſa terris, *d* & grandi circuitu inflexa, ad occidentem littus advertit. Tunc ad ſeptentriones converſa, iterum longo rectoque tractu ad ripas *e* Rheni amnis expanditur. Terra eſt frumenti præcipue & pabuli ferax, & amœna lucis immanibus. quicquid ex ſatis, frigo-

ſrigoris impatiens eſt, ager nec ubique alit, & noxio genere animalium minime frequens. Gentes ſuperbæ, ſuperſtitioſæ, aliquando etiam immanes adeo ut hominem optimam & gratiſſimam diis victimam crederent: manent veſtigia feritatis jam abolitæ, atque ut ab ultimis cædibus temperant, ita nihilominus ubi devotas altaribus admovêre, delibant: habent tamen & facundiam ſuam, magiſtroſque ſapientiæ Druidas. Hi terræ mundique magnitudinem & formam, motus cœli ac ſyderum, ac quid dii velint, ſcire profitentur: docent multa nobiliſſimos gentis clam & diu, vicenis annis, in ſpecu aut in abditis ſaltibus. Vnum ex iis quæ præcipiunt, in vulgus effluit, videlicet ut forent ad bella meliores, æternas eſſe animas, vitamque alteram ad manes. Itaque cum mortuos cremant ac defodiunt, apta viventibus olim negotiorum ratio etiam & exactio crediti deferebatur ad inferos. erantque qui ſe in rogos ſuorum, velut una victuri, libenter immitterent. Regio quam incolunt omnis, *f* comata Gallia. Populorum tria ſumma nomina ſunt, terminanturque fluviis ingentibus. Nam à *g* Pyrenæo ad *h* Garumnam, Aquitania: ab eo ad *i* Sequanam, Celtæ: inde ad Rhenum pertinent Belgæ. Aquitanorum clariſſimi

Digitized by Google

riſſimi ſunt, *k* Auſci, Celtarum, *l* Hedui: Belgarum, *m* Treveri: urbeſque opulentiſſimæ, in Treveris *n* Auguſta, in Heduis *o* Auguſtodunum: in Auſcis: *p* Eluſaberris. Garumna ex Pyrenæo monte delapſus, niſi cum hyberno imbre aut ſolutis nivibus intumuit, diu vadoſus & vix navigabilis fertur. At ubi ovius Oceani exæſtuantis acceſſibus adauctus eſt, iiſdemque retro remeantibus ſuas illiuſque aquas agit, aliquantum plenior, & quanto magis procedit, eo latior fit: ad poſtremum magni freti ſimilis. nec majora tantum navigia tolerat, verum etiam more pelagi ſævientis exurgens, jactat navigantes, atrociter utique, ſi alio ventus alio unda præcipitat. In eo eſt inſula Antros nomine, quam pendere & attolli aquis increſcentibus ideo incolæ exiſtimant, quia cum videatur editior, aquis objacet: ubi ſe fluctus implevit, illam operit, nec ut prius tantum ambit, & quod ea quibus ante ripæ colleſque ne cernerentur obſtiterant, tunc velut ex loco ſuperiore perſpicua ſunt. A Garumnæ exitu latus illud incipit terræ procurrentis in pelagus, & ora Cantabricis adverſa littoribus, aliis aliiſque populis media ejus habitantibus, ab *q* Santonibus ad *r* Oſiſmios uſque deflexa. Ab illis enim iterum ad ſeptentriones frons

Digitized by Google

ſ frons littorum reſpicit, pertinentque ad ultimos Gallicarum gentium *t* Morinos, nec portu quem *v* Geſoriacum vocant, quicquam habent notius. Rhenus ab Alpibus decidens, prope à capite duos lacus efficit, Venetum & Acronium. Mox diu ſolidus, & certo alveo lapſus, haud procul à mari *x* huc & illuc diſpergitur, ſed ad ſiniſtrum amnis etiam tum & donec effluat Rhenus, ad dextram primo anguſtus & ſui ſimilis, poſt ripis longe ac late recedentibus, jam non amnis ſed ingens lacus, ubi campos implevit, Flevo dicitur: ejuſdemque nominis *y* inſulam amplexus, fit iterum arctior, iterumque fluvius emittitur.

IN CAP. II.

a *In pelagus excedens*] In promontorio quod nunc eſt Sanctus Matthæus, in Britannia minore.

b *Abſceſſerat*] In fonte Rabia.

c *Terris Cantabricis*] Diximus qui ſint Cantabri.

d *Et grandi*] Diximus à fonte Rabia eſſe hunc circuitum uſque ad Britanniam minorem.

e *Rheni*] Nunc le Rhin.

f *Comata Gallia*] A coma ipſa capillorum.

g *Pyrenæo*] Pyrenæi nomina multa habent. nam ex ea parte quæ Lipus, quæ & fonti Rabiæ adjacet, Sanctus Adrianus dicitur: progrediendo verſus meridiem, ſtatim eſt Ronceſvalles: deinde Montes De Iaqua: tum Delempurda: poſtremo promontorium maris noſtri, dictum Templum Veneris, hodie Cap de creus, id eſt caput crucis.

h *Ga-*

Digitized by Google

h *Garumnam* ] Nunc la Garona, nomen amittit ante Burdegalam, eo loco ubi confluunt ipſa & Gerunda: & dicitur Geronda, prope promontorium Santonum, nunc Blayani. in illum decidit la Dordongna.

i *Sequanam* ] Nunc Sena. Pomponius ſecutus eſt Cæſarem in diviſione Galliæ.

k *Auſci* ] Regio & civitas, nunc Aux: archiepiſcopatus eſt in Vaſconia.

l *Hedui* [ Quorum præcipua civitas eſt Autum, olim dicta Auguſtodunum.

m *Treveri* ] Nunc Trevers, ad Rhenum.

n *Auguſta* ] Auguſta Treverorum, dicta nunc Trevers, Trier vernacula lingua.

o *Auguſtodunum* ] Nunc Autum.

p *Eluſaberris* ] Aux.

q *Santonibus* ] Nunc Santongers, & oppidum Sainctes.

r *Oſiſmios* ] Britanni ſunt, nunc Britones, apud Sanctum Matthæum.

ſ *Frons littorum* ] Tota illa ora quæ eſt à capite Sancti Matthæi, attingit Morinos.

t *Morinos* ] Nunc Terroana.

v *Geſoriacum*]Nunc de Cales, portus Caletenſis.

x *Huc & illuc* ] Dividitur in duo latera.

y *Inſulam* ] Batavorum, nunc Hollandiam.

## CAP. III.

## GERMANIA.

GERMANIA hinc ripis ejus uſque ad Alpes, à meridie ipſis Alpibus: ab oriente *a* Sarmaticarum confinio gentium,

quà

Digitized by Google

quâ ſeptentrionem ſpectat, *b* Oceanico littore obducta eſt. Qui habitant, immanes ſunt animis atque corporibus, & ad inſitam feritatem vaſte utraque exercent, bellando animos, corpora ad conſuetudines laborum. Maximo frigore nudi agunt, antequam puberes ſint: & longiſſima apud eos pueritia eſt. Viri *c* ſagis velantur, aut *d* libris arborum, quanvis ſæva hyeme. nandi non patientia tantum illis, ſtudium etiam eſt. Bella cum finitimis gerunt, cauſas eorum ex libidine accerſunt: neque imperitandi prolatandique quæ poſſident (nam ne illa quidem enixe colunt) ſed ut circa ipſos quæ jacent vaſta ſint. *e* Ius in viribus habent, adeo ut ne *f* latrocinii quidem pudeat, tantum hoſpitibus boni, miteſque ſupplicibus. victu ita aſperi incultique ut cruda etiam carne veſcantur, aut recenti, aut tum rigentem in ipſis pecudum ferarumque coriis manibus pedibuſque ſubigendo renovarunt. Terra ipſa multis impedita *g* fluminibus, multis *h* montibus aſpera, & magna ex parte ſylvis ac paludibus invia. Paludum, Sueſia, Meſia, & Melſiagum, maximæ. Sylvarum, Hercynia, & aliquot ſunt quæ nomen habent: ſed illa dierum ſexaginta iter occupans, ut major aliis, ita & notior. Montium altiſſimi Taurus & Rhetico, niſi quorum

rum nomina vix eſt eloqui ore Romano. Amnium in alias gentes exeuntium, *i* Danubius & *k* Rhodanus: in Rhenum, Mœnis & Lupia: in Oceanum, Amiſius, Viſurgis & Albis clariſſimi. Super Albin Codanus ingens ſinus magnis parviſque inſulis refertus eſt. Acre mare quod gremio littorum accipitur, nuſquam late patet, nec uſquam mari ſimile, verum aquis paſſim interfluentibus ac ſæpe tranſgreſſis, vagum atque diffuſum facie amnium ſpargitur, quâ littora attingit, ripis contentum inſularum non longe diſtantibus, & ubique pene tantundem, ut anguſtum & par freto, curvanſque ſubinde ſe, longo ſupercilio inflexum eſt. In eo ſunt Cimbri & Teutoni: ultra, ultimi Germaniæ Hermiones.

IN CAP. III.

a *Sarmaticarum confinio*] Polonorum Viſula amne.

b *Oceano*] Septentrionali.

c *Sagis*] Dixi ſagum eſſe veſtem militarem, quæ armis ſuperimponitur, autore Bayſio: nunc Sayon. Germani eam veſtem ex lana & pilis conſiciunt. Feltre dicitur: Sarraceni vocant Albornoz.

d *Libris*] Libri cortices ſunt arborum.

e *Ius in viribus*] Hoc ſæculo Pomponii: nam noſtro in legibus, præſertim municipalibus.

f *Latrocinii*] Fortaſſis verum in ipſis agris: nam in oppidis ſumma eſt æquitas.

g *Flu-*

Digitized by Google

g *Fluminibus*] Viadro, Amiſio, nunc dicto Eme. Viſurgo, nunc dicto Vueſer: Albi, nunc Elb: Suevo, nunc Spre: Viado, nunc Odera, & Lupia.

h *Montibus*] Meliboco, Sudete, Abnoba, Aſmiburgio,

i *Danubius*] Ex Abnoba monte profluit.

k *Rhodanus*] Ex ipſis Alpibus.

## CAP. IV.

## SARMATIA.

*a* SARMATIA intus quam ad mare latior, ab iis quæ ſequuntur, Viſula amne diſcreta, quâ retro abit uſque ad *b* Iſtrum flumen immittit. gens habitu armiſque Parthicæ proxima: verum ut cœli aſperioris, ita ingenii. Non ſe urbibus tenet, & ne ſtatis quidem ſedibus. ut invitavêre pabula, ut cedens & ſequens hoſtis exigit, ita res opeſque ſecum trahens, ſemper caſtra habitat: bellatrix, libera, indomita, & uſque eo immanis atque atrox, ut fœminæ etiam cum viris bella ineant. atque ut habiles ſint, natis ſtatim dextra aduritur mamma, ut inde expedita in ictus manu quæ exeritur, virile fiat pectus: arcus tendere, equitare, venari, puellaria penſa ſunt: ferire hoſtem, adultarum ſtipendium eſt. adeo ut non percuſſiſſe, pro flagitio habeatur: ſitq; eis pœnę virginitas.

IN

### In Cap. IV.

a *Sarmatia* ] Nunc Polonia.
b *Iſtrum* ] Danubium intelligit.

## Cap. V.

## Scythia.

*a* INde Aſiæ confinia (niſi ubi perpetuæ hyemes ſedent, & intolerabilis rigor) Scythici populi incolunt, fere omnes etiam in unum Sagæ appellati. In Aſiatico littore primi Hyperborei ſuper Aquilonem Rhiphæoſque montes *b* ſub ipſo ſyderum cardine jacent, ubi ſol non quotidie (ut nobis) ſed primum verno ęquinoctio exortus, autumnali demum occidit: & ideo ſex menſibus dies, & totidem aliis nox uſque continua eſt. Terra anguſta, aprica, per ſe fertilis: cultores juſtiſſimi, & diutius quam ulli mortalium & beatius vivunt. Quippe feſto ſemper otio læti non bella nôvêre, non jurgia: ſacris operati, maxime Apollinis: quorum primitias Delon miſiſſe initio per virgines ſuas, deinde per populos, ſubinde tradentes ulterioribus, moremque eum diu, & donec vitio gentium temperatus eſt, ſervaſſe referuntur. Habitant lucos ſylvaſque & ubi eos vivendi ſatietas magiſque tædium cepit,

pit, hilares redimiti ſertis ſemetipſos in pelagus ex certa rupe præcipites dant. Id eis funus eximium eſt. *c* Mare Caſpium ut anguſto, ita longo etiam freto primum terras, quaſi fluvius, irrumpit: atque ubi recto alveo influxit, in tres ſinus diffunditur, contra os ipſum in Hyrcanum, ad ſiniſtram in Scythicum, ad dextram in eum quem proprie & totius nomine Caſpium appellant: omne atrox, ſævum, ſine portubus, procellis undique expoſitum: ac belluis magis quam cætera refertum, & ideo minus navigabile. Ad introeuntium dextram *d* Scythæ Nomades freti littoribus inſident. Intus ſunt ad Caſpium ſinum *e* Caſpii, & Amazones, ſed quas Sauromatidas appellant: ad Hyrcanum, Albani, & *f* Moſchi, & Hyrcani: in Scythico, Amardi & Pæſici, etiam ad fretum Derbices. Multi in eo ſinu magni parvique amnes fluunt: ſed qui famam habent, ex Cerauniis montibus uno alveo deſcendit, duobus exit in Caſpium, Araxes, Tauri latere demiſſus. quoad campos Armeniæ ſecat, labitur placidus & ſilens, neque in utram partem eat, quanquam intuearis, manifeſtum: cum in aſperiora devenit, hinc atque illinc rupibus preſſus, &, quanto anguſtior, tanto magis pernix, frangit ſe ſubinde ad oppoſita cautium.

Atque

Digitized by Google

Atque ob id ingenti cum murmure ſonanſque devolvitur adeo citus, ut qua ex præcipiti caſurus eſt, in ſubjectam non declinet ſtatim undam, ſed ultra quam canalem habet, evehat, plus jugeris ſpatio ſublimis, & aquis pendentibus ſemetipſum ſine alveo ferens: deinde ubi incurvus arcuatoque amne deſcendit, fit tranquillus, iterumque per campos tacitus & vix fluens in id littus elabitur. Cyrus & Cambyſes ex radicibus Coraxici montis vicinis editi, & in diverſa abeunt: perque Iberas & Hyrcanos diu & multum diſtantibus alveis defluunt: poſt non longe à mari eodem lacu accepti, in Hyrcanum ſinum uno ore perveniunt. Iaxartes & Oxos per deſerta Scythiæ ex Sogdianorum regionibus in Scythicum exeunt: ille, ſuo fonte grandis, hic incurſu aliorum grandior, & aliquandiu ad occaſum ab oriente currens, juxta Dahas primum inflectitur: curſuque ad ſeptentrionem converſo, inter Amardos & Pæſicos os aperit. Sylvæ alia quoque dira animalia, verum & Tigres ferunt. utique Hyrcaniæ ſævum ferarum genus, & uſque eo pernix, ut illis longe quoque progreſſum equitem conſequi, nec tantum ſemel, ſed aliquoties etiam curſu unde cœperit ſubinde repetito, ſolitum & facile ſit. Cauſa ex eo eſt



Digitized by Google

quod ubi ille interceptos earum catulos citus cœpit avehere, rabiem appropinquantium fruſtraturus, aſtu unum de pluribus omittit: hæ projectum accipiunt, & ad cubilia ſua referunt: rurſumque & ſæpius remeant, atque idem efficiunt, donec ad frequentiora, quam adire audeant, profugus raptor evadat. Vltra Caſpium ſinum quidnam eſſet, ambiguum aliquandiu fuit: idemne Oceanus, an tellus infeſta frigoribus, ſine ambitu ac ſine fine projecta. Sed præter phyſicos, Homerumque, qui univerſum orbem mari circunfuſum eſſe dixerunt; Cornelius Nepos, ut recentior autoritate, ſic certior, tradit; teſtem autem rei Q. Metellum Celerem adjicit, eumque ita retuliſſe commemorat: Cum Galliis proconſul præeſſet, Indos quoſdam à rege Suevorum dono ſibi datos: unde in eas terras deveniſſent requirendo, cognoſſe vi tempeſtatum ex Indicis æquoribus abreptos, emenſoſque quæ intererant, tandem in Germaniæ littora exiiſſe. Reſtat ergo pelagus; ſed reliqua lateris ejuſdem aſſiduo gelu durantur, & ideo deſerta ſunt.

IN CAP. V.

a *Inde*] Ex Sarmatia, quæ Scythas attingit.

b *Sub ipſo ſyderum cardine*] Tempore Melæ regionem Hyperboream putabant ultimam verſus Ocea-

Digitized by Google

Oceanum eſſe. inde nobis tradidit Mela rationem illam dierum aſtronomicam, quæ revera falſa eſt in regione Hyperborica: quanquam ita ſit in ipſo cardine mundi, quem Mela & veteres alii in ipſis Hyperboreis collocavêre.

c *Mare Caſpium ut anguſto*] Diximus hoc non poſſe fieri, & antiquitatem hallucinatam fuiſſe.

d *Scythæ Nomades*] Nunc Tartari ſunt, confines Sauromatis.

e *Caſpii & Amazones*] Amazones prope magnos Bulgaros. nam alii ſunt in Ponto.

f *Moſchi*] Aliud genus Moſchovitarum.

## CAP. VI.

# HISPANIÆ ET SEPTENTRIONIS INSVLÆ.

HIs oris quas angulo Bæticæ hucuſque perſtrinximus, multæ ignobiles inſulæ & ſine nominibus etiam adjacent: ſed earum quas præterire non libeat, *a* Gades fretum attingit, eaque à continenti anguſto ſpatio, & veluti flumine abſciſſa, quâ terris propior eſt, pene rectam ripam agit: quâ Oceanum ſpectat, duobus promontoriis evecta in altum, medium littus abducit, & fert in altero cornu ejuſdem nominis *b* urbem opulentam, in altero templum Ægyptii Herculis, conditoribus, religione, vetuſtate, opibus illuſtre.

luſtre. Tyrii condidêre : cur ſanctum ſit oſſa ejus ibi ſita efficiunt : annorum queis manet numerus, ab Iliaca tempeſtate principia ſunt : opes tempus aluit. In Luſitania *c* Erythia, quam Geryone habitatam accepimus, aliæque ſine certis nominibus : adeo agri fertiles, ut cum ſemel ſata frumenta ſint, ſubinde recidivis ſeminibus ſegetem novantibus, ſeptem minimum, interim plures etiam meſſes ferant. In Celticis aliquot ſunt, quas, quia plumbo abundant, uno omnes nomine Caſſiterides appellant. Sena in Britannico mari Oſiſmicis adverſa littoribus, Gallici numinis oraculo inſignis eſt. cujus antiſtites perpetua virginitate ſanctæ, numero novem eſſe traduntur : Gallicenas vocant, putantque ingeniis ſingularibus præditas, maria ac ventos concitare carminibus, ſeque in quæ velint animalia vertere, ſanare quæ apud alios inſanabilia ſunt, ſcire ventura & prædicare : ſed non niſi dedita navigantibus, & in id tantum ut ſe conſulerent profectis. *d* Britannia qualis ſit, qualeſque progeneret, mox certiora & magis explorata dicentur. Quippe tamdiu clauſam aperit ecce *e* principum maximus, nec indomitarum modo ante ſe, verum ignotarum quoque gentium victor, qui propriarum rerum fidem ut bello affectavit,

ita

Digitized by Google

ita triumpho declaraturus portat. Cæterum ut adhuc habuimus, inter ſeptentrionem occidentemque provecta, grandi angulo Rheni oſtia proſpicit, deinde obliqua retro latera abſtrahit, altero Galliam, altero Germaniam ſpectans: tum rurſus perpetuo margine directi littoris ab tergore abducta, iterum ſe in diverſos angulos cuneat triquetra, & Siciliæ maxime ſimilis, plana, ingens, fœcunda, verum iis quæ pecora quam homines benignius alant. Fert nemora, ſaltus ac prægrandia flumina, alternis motibus modo in pelagus, modo retro fluentia, & quædam gemmas margaritaſque generantia. Fert populos regeſque populorum: ſed ſunt inculti omnes, atque ut longius à continenti abſunt, ita aliarum opum ignari magis, tantum pecore ac finibus dites, incertum ob decorem, an quid aliud, ultro corpora infecti. Cauſas autem & bella contrahunt, ac ſic frequenter invicem infeſtant, maxime imperitandi cupidine, ſtudioque ea prolatandi quæ poſſident. Dimicant non equitatu modo aut pedite, verum & bigis & curribus, Gallicè armati, Covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur. Supra Britanniam *f* Iuverna eſt, pene par ſpatio, ſed utrinque æqualis, tractu littorum oblonga, cœli ad maturanda

 ſemi-

ſemina iniqui: verum adeo luxurioſa herbis non lætis modo ſed etiam dulcibus, ut ſe exigua parte diei pecora impleant, & niſi pabulo prohibeantur, diutius paſta diſſiliant. Cultores ejus inconditi ſunt, & omnium virtutum ignari magis quam aliæ gentes. aliquatenus tamen gnari, pietatis admodum expertes. Triginta ſunt *g* Orchades anguſtis inter ſe diductæ ſpatiis. Septem Hemodes contra Germaniam projectæ, in illo ſinu quem Codanum diximus. Ex iis *h* Codanonia, quam adhuc Teutoni tenent, ut magnitudine alias, ita fœcunditate anteſtat. Quæ *i* Sarmatis adverſa ſunt, ob alternos acceſſus receſſuſque pelagi, & quod ſpatia queis diſtant, modo operiuntur undis, modo nuda ſunt, aliâs inſulæ videntur, aliâs una & continens terra. In his eſſe Oonas, qui ovis avium paluſtrium & avenis tantum alantur: eſſe equinis pedibus Hippopodas, & Satmalos, quibus magnæ aures, & ad ambiendum corpus omne patulæ, nudis alioqui pro veſte ſint, præterquam quod fabulis traditur, autores etiam quos ſequi non pigeat, invenio. Thule Belgarum littori oppoſita eſt, Graiis & noſtris celebrata carminibus. In ea quod ſol longe occaſurus exurgit, breves utique noctes ſunt, ſed *k* per hyemem ſicut alibi obſcuræ,

ſcuræ, *l* æſtate lucidæ, quod per id tempus jam ſe altius evehens, quanquam ipſe non cernatur, vicino tamen ſplendore proxima illuſtrat: per ſolſtitium vero nullæ, quod tum jam manifeſtior non fulgorem modo, ſed ſui quoque partem maximam oſtentat. Talga in Caſpio mari ſine cultu fertilis, omni fruge ac fructibus abundans: ſed vicini populi quæ gignuntur attingere, nefas & pro ſacrilegio habent, diis parata exiſtimantes, diiſque ſervanda. Aliquot & illis oris quas deſertas diximus, æque deſertæ adjacent, quas ſine propriis nominibus Scythicas vocant. Ab iis in Eoum recurſus inflectitur, inq; oram terræ ſpectantis orientem pertinet. Hæc à Scythico promontorio appoſita, primum omnis ob nives invia eſt, deinde ob immanitatem habitantium inculta. *m* Scythæ ſunt Androphagi & Sagæ, diſtincti regione, quia feris ſcatet, inhabitabili. Vaſta deinde iterum loca belluæ infeſtant, uſque ad montem mari imminentem, nomine Thabin. Longe ab eo Taurus attollitur. Seres interſunt, genus plenum juſtitiæ, ex commercio, quod rebus in ſolitudine relictis, abſens peragit.

IN CAP. VI.

a *Gades*] Nunc Caliz.

b *Vrbem opulentam*] Gadiram.



Digitized by Google

c *Erythia*] Nunc Berlingas.

d *Britannia*] Nunc Anglia, comprehendit & Scotiam.

e *Principum maximus*] Claudius Cæſar.

f *Iuverna*] Nunc Izlanth.

g *Orchades*] Sunt enim regis Scotiæ.

h *Codanonia*] Nunc Selandia: Ptolemæus vocat Scandiam.

i *Sarmatis*] Polonis.

k *Per hyemem obſcura*] Nam in hyeme eſt nox maxima.

l *Æſtate lucida*] Lucida nox dicitur in æſtate, quia fere nulla eſt nox, quando ſol eſt in primo puncto Cancri, vixque durat momentum.

m *Scythæ*] Quos Tartaros dicimus.

## CAP. VII.

## INDIA.

NOtiſſima INDIA, non *a* eoo tantum appoſita pelago, ſed & ei quod ad meridiem ſpectans Indicum diximus, & hinc Tauri jugis, ab occidente indefinita, tantum ſpatium littoris occupat, quantum per ſexaginta dies noctesque velificantibus curſus eſt: ita multum à noſtris abducta regionibus, ut in aliqua parte ejus *b* neuter ſeptentrio appareat, aliterque quam in aliis oris, umbræ rerum ad meridiem jaceant. Cæterum fertilis, & vario genere hominum aliorumque animalium ſcatet. Alit formicas non minores maximis

mis canibus: quas more Gryphorum aurum penitus egeſtum cum ſumma pernicie attingentium cuſtodire commemorant. Imanes & ſerpentes aliqui, ut elephantes morſu atque ambitu corporis afficiant. Tam pinguis alicubi & tam feracis ſoli, ut in ea mella frondibus defluant, lanas ſylvæ ferant, arundinum fiſſa internodia veluti navitas binos & quædam ternos etiam vehant. Cultorum habitus moreſque diſſimiles. Lino alii veſtiuntur, aut lanis quas diximus, alii ferarum aviumque pellibus: pars nudi agunt, pars tantum obſcœna velati. alii humiles parvique, alii ita proceri & corpore ingentes, ut elephantis etiam, & ibi maximis, ſicut nos equis, facile atque habiliter utantur. Quidam nullum animal occidere, nulla carne veſci optimum exiſtimant. Quoſdam tantum piſces alunt. Quidam proximos parenteſque, priuſquam annis aut ægritudine in maciem eant, velut hoſtias cædunt: cæſorumque viſceribus epulari fas & maxime pium eſt. At ubi ſenectus aut morbus inceſſit, procul à cæteris abeunt, mortemque in ſolitudine nihil anxii expectant, prudentiores eis, quibus ars ſtudiumque ſapientiæ contingit: non expectant eam, ſed ingerendo ſemet ignibus, læti & cum gloria accerſunt. Vrbium quas inco-

ad lævam dextramque ſe diducens, duobus oſtiis longe diſtantibus exeat. Ad Tamum inſula eſt Chryſe, ad Gangem Argyre. altera aurei ſoli (ita veteres tradidêre) altera argentei: atque ita, ut maxime videtur, aut ex re nomen, aut ex vocabulo ficta fabula eſt. Taprobane, aut grandis admodum inſula, aut prima pars orbis alterius Hipparcho dicitur: ſed quia habitatur, nec quiſquam circum eam iſſe traditur, prope verum eſt. Contra inde illa oſtia ſunt quæ vocant Solis, adeo inhabitabilia ut ingreſſos vis circunfuſi aëris exanimet confeſtim: & inter ipſa oſtia rara tenet regio, ob æſtus intolerabiles alicubi cultoribus egens. Inde ad principia Rubri maris pertinent, invia atque deſerta humus, & cineri magis fit quam pulveri ſimilis. Ideoque per eam rara & non grandia flumina emanant, quorum Tuberonem & Aruſacem notiſſima accepimus. Rubrum mare Græci, ſive quia ejus coloris eſt, ſive quia ibi Erythras regnavit, Ἐρυθρὰν θάλασσαν appellant: procelloſum, aſperum, profundum, & magnorum animalium magis quam cætera capax. primo recedentes oras æqualiter impellit: & ut non intret interius, aliquantum patens ſinus erat. Sed quas ripas inflexerat, bis irrumpit: duoſque iterum ſinus aperit:

Digitized by Google

Perſicus vocatur, dictis regionibus propior; Arabicus, ulterior.

IN CAP. VII.

a *Eoo*] Orientali.

b *Neuter ſeptentrio*] Navigantes oppoſitum dixêre.

c *Nyſa*] Celebrata ob Dionyſium, ſive Liberum, ibi nutritum.

## CAP. VIII.

## SINUS PERSICUS.

PERSICUS, quâ mare accipit, utrinque rectis lateribus grande oſtium quaſi cervice complectitur: deinde terris in omnem partem vaſte & æqua portione cedentibus, magno littorum orbe pelagus incingens, reddit formam capitis humani. Arabici & os arctius & latitudo minor eſt, major aliquanto receſſus, & multo magis longa latera. Init penitus, introrſuſque, dum Ægyptum pene & montem Arabiæ Caſium attingit, quodam faſtigio minus ac minus latus, & quo magis penetrat anguſtior. Ab iis quæ diximus ad ſinum Perſicum, niſi ubi Chelonophagi morantur, deſerta ſunt. In ipſo Carmani navigantium dextra poſiti, ſine veſte ac fruge, ſine pecore ac ſedibus, piſcium cute ſe velant, carne veſcuntur, præter capita toti corpore hir-

Digitized by Google

re hirſuti. Interiora *n* Gedroſi, dehinc Perſæ habitant. Cethis per Carmanios, ſupra Andanis & Corios effluunt. In parte quæ pelagi oſtio adverſa eſt, Babyloniorum fines Chaldæorumque ſunt, & duo clari amnes, Tigris Perſidi propior, ulterior Euphrates. Tigris ut natus eſt, ita deſcendens uſque ad littora permeat: Euphrates, immani ore aperto, non exit tantum unde oritur, ſed & vaſte quoque decidit: nec ſecat continuo agros, ſed late diffuſus in ſtagna, diuque ſedentibus aquis & ſine alveo patulis piger, poſt ubi marginem rupit, vere fluvius eſt, acceptiſque ripis celer & fremens, per Armenios & Cappadocas occidentem petit: ni Taurus obſtet, in noſtra maria venturus. Inde ad meridiem avertitur, & primum Syros, tum Arabas ingreſſus, non perdurat in pelagus, verum ingens modo & navigabilis, inde tenuis rivus deſpectus emoritur, & nuſquam manifeſto exitu effluit, ut alii amnes, ſed deficit. Alterum latus ambit plaga quæ inter utrunque pelagus excurrit. Arabia dicitur, cognomen Eudæmon, anguſta, verum cinnamomi & thuris aliorumque odorum maxime ferax. Majorem Sabæi tenent partem, oſtio proximam & Carmanis: contrariam partem Macæ, quæ inter oſtia oſtenditur, ſyl-



Digitized by Google

væ cauteſque exaſperant: aliquot ſunt in medio inſulæ ſitæ, Ogyris, quod in ea Erythræ regis monumentum eſt, magis clara quam cæteræ.

IN CAP. VIII.

a *Gedroſi & Perſæ*] Hæc ſunt Sophi: & hæ regiones vocantur Turqueſtam.

## CAP. IX.

## SINVS ARABICVS.

ALTERVM ſinum undique Arabes incingunt. ab ea parte quæ introeuntibus dextra eſt, urbes ſunt, Carræ, & Arabia, & Gandamus: in altera ab intimo angulo prima, Beronice, inter Heroopoliticum & Scrobilum. Deinde inter promontoria Moronenon & Colaca, Philoteris & Ptolemaïs. Vltra Arſinoë, & alia Beronice. Tum ſylva quæ hebenum odoreſque generat, & manu factus amnis. ideoque referendus, quod ex Nili alveo dioryge abductus, extra ſinum verum inflexus, & non Rubri maris pars, beſtiis infeſta, ideoque deſerta eſt. Partem Candæi habitant, hi quos ex facto, quia ſerpentibus veſcuntur, Ophiophagos vocant. Fuêre interius Pygmæi, minutum genus, & quod pro ſatis frugibus contra grues dimicando defecit. Sunt multa volucrum, multa

Digitized by Google

multa ſerpentum genera. De ſerpentibus memorandi maxime quos parvos admodum, & veneni præſentis, certo anni tempore ex limo concretarum paludum emergere, in magno examine volantes Ægyptum tendere, atque in ipſo introitu finium, ab avibus quas Ibidas appellant, adverſo agmine excipi pugnaque confici traditum eſt. De volucribus præcipue referenda Phœnix, ſemper unica. non enim coitu concipitur, partuve generatur: ſed ubi quingentorum annorum ævo perpetua duravit, ſuper exaggeratam variis odoribus ſtruem ſibi ipſa incubat, ſolviturque: deinde putreſcentium membrorum tabe concreſcens, ipſa ſe concipit, atque ex ſe rurſus renaſcitur: cum adolevit, oſſa priſtini corporis incluſa myrrha Ægyptum exportat, atque in urbem quam Solis appellant, fragrantibus nardo buſtis inferens, memorando funere conſecrat. Ipſum promontorium quo id mare clauditur, à Cerauniis ſaltibus invium eſt.

## IN CAP. IX.

Caput nonum nihil habet niſi Solis urbem, quam Heliopolin alii vocarunt, juxta ſinum Arabicum, ad quam venêre filii Iſraël.

CAP.

## CAP. X.

# ÆTHIOPIA.

ÆTHIOPES ultra ſedent, Meroëni habent terram quam Nilus *a* primo ambitu amplexus inſulam facit: pars, quia vitæ ſpatium dimidio fere quam nos longius agunt, Macrobii : pars, quia ex Ægypto advenêre, dicti Automolæ : pulchri forma, æqui corporis, parumque veneratiores, veluti optimarum alumni virtutum. In illis mos eſt, cui potiſſimum pareant, ſpecie ac viribus legere. Apud hos plus auri quam Perſis eſt : ideo quod minus eſt, pretioſius cenſent. ære exornantur, auro vincula ſontium fabricant. Eſt locus apparatis epulis ſemper refertus : & quia ut libet veſci volentibus licet, *b ἡλίου τράπεζαν* appellant : & quæ paſſim appoſita ſunt, affirmant innaſci ſubinde divinitus. Eſt lacus quo perfuſa corpora quaſi uncta pernitent. bibitur idem: adeo eſt liquidus, & ad ſuſtinenda quæ incidunt, aut immittuntur, infirmus, ut folia etiam proximis deciſa frondibus, non innatantia ferat, ſed peſſum & penitus accipiat. Sunt & ſæviſſimæ feræ omni colore varii Lycaones, & quales accepimus Sphingas. Sunt miræ aves cornutæ Tragopomones, & equi-

Digitized by Google

& equinis auribus Pegaſi. Cæterum oras ad eurum ſequentibus nihil memorabile occurrit: vaſta omnia, vaſtis præciſa montibus, ripæ potius ſunt quam littora. Inde ingens & ſine cultoribus tractus. *c* dubium aliquandiu fuit eſſetne ultra pelagus, caperetne terra circuitum, an exhauſta fructu ſine fine Africa ſe extenderet: verum ſi Hanno Carthaginenſis exploratum miſſus à ſuis, cum per Oceani oſtia exiſſet, magnam partem ejus circumvectus, non ſe mari, ſed commeatu defeciſſe memoratum retulerat: & Eudoxus quidam avorum noſtrorum temporibus cum Latyrum regem Alexandriæ profugeret, Arabico ſinu egreſſus, per hoc pelagus (ut Nepos affirmat) Gades uſque pervectus eſt, ideo ejus oræ nota ſunt aliqua. Sunt autem trans ea quæ modo deſerta diximus, muti populi, & quibus pro eloquio nutus eſt: alii ſine ſono linguæ, alii ſine linguis: alii labris etiam cohærentibus, niſi quod ſub naribus etiam fiſtula eſt per quam bibere avent. Sed cum inceſſit libido veſcendi, grana ſingula frugum paſſim naſcentium abſorbere dicuntur. Sunt quibus ante adventum Eudoxi adeo ignotus ignis fuit, adeoque uſus mirum in modum placuit, ut amplecti etiam flammas, & ardentia ſinu abdere, donec noce-

noceret, maxime libuerit. Super eos grandis littoris flexus grandem inſulam includit, in qua tantum ſœminas eſſe narrant, toto corpore hirſutas, & ſine coitu marium ſua ſponte fœcundas: adeo aſperis efferiſque moribus, ut quædam contineri ne reluctentur vix vinculis poſſint. hoc Hanno retulit, & quia detracta occiſis coria pertulerat, fides habita eſt. Vltra hunc ſinum mons altus (ut Græci vocant) α θεῶν ὄχημα perpetuis ignibus flagrat: ultra montem viret collis longo tractu longis littoribus obductus, unde viſuntur patentes magis campi, quam ut proſpici poſſint, Panum Satyrorumque. Hinc opinio ea fidem cepit, quod cum in his nihil culti ſit, nullæ habitantium ſedes, nulla veſtigia, ſolitudo in diem vaſta, & ſilentium vaſtius, nocte crebri ignes micant, & veluti caſtra late jacentia oſtenduntur, crepant cymbala & tympana, audiunturque tibiæ ſonantes majus humanis. Tunc rurſus Æthiopes, nec tam dites ut hi quos diximus, nec ita corporibus ſimiles, ſed minores incultique ſunt, & nomine Heſperio. *e* In horum finibus *f* fons eſt quem Nili eſſe aliqua parte credibile eſt. Nuchul ab incolis dicitur: & videri poteſt non alio nomine appellari, ſed à barbaro ore corruptius. Alit & flumen, & minora

quidem,

Digitized by Google

quidem, ejuſdem tamen generis animalia gignens: aliis omnibus in Oceanum vergentibus, ſolus in mediam regionem ad orientem abit: & quonam exeat, incertum eſt. Inde colligitur, Nilum hoc fonte conceptum, g actumque aliquandiu per invia, & ideo ignotum, iterum ſe *h* ubi ad Eoa proceſſerit, oſtendere. Cæterum ſpatio quo abſconditur effici, ut hic alio cedere, ille aliunde videatur exurgere. Catoblepas, non grandis fera, verum grave & prægrande caput ægre ſuſtinens, atque ob id in terram plurimum ore converſa, apud hos gignitur: ob vim ſingularem magis etiam referenda, quod cum impetu morſuque nihil unquam ſæviat, oculos ejus vidiſſe mortiferum. Contra eoſdem ſunt inſulæ Gorgones, domus (ut ajunt) aliquando Gorgonum. Ipſæ terræ promontorio cui *i* ἑσπέρου κέρας nomen eſt, finiuntur.

### In Cap. X.

a *Primo ambitu*] Nam alios facit Nilus in Tachempſo, Elephantide, & Delta.

b Ἡλίου τράπεζαν] Solis menſam.

c *Dubium aliquandiu fuit* [ Nunc tota illa regio eſt explorata.

d Θεῶν ὄχημα] Deorum vehiculum.

e *In horum finibus fons eſt*] Ut in fine Æthiopum occidentalium.

f *Fons*] Nunc Nigra, palus & fluvius inde procedens, Niger fluvius à Luſitanis dictus: hunc eundem

Digitized by Google

eundem fontem nos in charta noſtra Aphricana Nili fontem fecimus, ſequuti non modo Melam, ſed eos qui noſtro ſeculo regionem illam viderunt. Luſitani primi ex noſtris per fluvium Aſenagam & fluvium Gambre vecti, illuc venerunt, & cum ſciſcitarentur ex eis qui ad mercatum Hodeni venirent de progreſſu fluvii, reſponderunt Arabes, hunc eundem Nilum eſſe.

h *Actum aliquandiu per invia*] A Garamantibus uſque ad montes Lunæ.

h *Ubi ad eoa*] Id eſt, ad montes Lunæ, verſus orientem.

i Ἑσπέρου κέρας] Id eſt, Heſperi cornu.

## CAP. XI.

## ATLANTICI MARIS INSULÆ, ET TERMINUS.

*a* INde incipit *b* frons illa, quæ in occidentem vergens mari Atlantico abluitur. Prima ejus *c* Æthiopes tenent, media nulli. nam aut exuſta ſunt, aut arenis obducta, aut infeſta ſerpentibus. Exuſtis inſulæ appoſitæ ſunt, quas Heſperidas tenuiſſe memoratur. *d* In arenis mons eſt, ſatis de ſe conſurgens, verum inciſis undique rupibus præceps, invius, & quo magis ſurgit exilior, qui quod altius quam conſpici poteſt, uſque in nubila erigitur, cœlum & ſydera non tangere modo vertice, ſed ſuſtinere quoque dictus eſt. Contra *e* Fortunatæ inſulæ abundant ſua ſponte genitis,

genitis, & ſubinde aliis ſuper aliis innaſcentibus nihil ſólicitos alunt, beatius quam aliæ urbes excultæ. Vna ſingulari duorum fontium ingenio maxime inſignis: alterum qui guſtavêre, riſu ſolvuntur in mortem: ita affectis remedium eſt ex altero bibere. Ab eo tractu quem feræ infeſtant, proximi ſunt Himantopodes, inflexi lentis cruribus, quos ſerpere magis quam ingredi referunt. Deinde *f* Pharuſii, aliquando tendente ad Heſperidas Hercule dites, nunc inculti, &, niſi quod pecore aluntur, admodum inopes. Hinc jam lætiores agri, amœnique ſaltus. Terotæ & Berini ebore abundant. *g* Nigritarum Getulorumque paſſim vagantium ne littora quidem infœcunda ſunt, purpura & murice efficaciſſimis ad tingendum, & ubique quæ tinxêre clariſſima. Reliqua eſt ora *h* Mauritaniæ exterior, & in finem ſui faſtigiantis ſe Africæ noviſſimus angulus, iiſdem opibus, ſed minus dives. Cæterum ſolo etiam ditior, & adeo fertilis etiam, ut frugum genera non cum ſerantur modo benigniſſime procreet, ſed quædam profundat etiam nata. Hîc Antæus regnaſſe dicitur, & ſignum quod fabulæ clarum prorſus oſtenditur, collis modicus reſupini hominis imagine jacentis, illius, (ut incolæ ferunt) tumulus: unde ubi

de ubi aliqua pars eruta eſt, ſolent imbres ſpargi, & donec effoſſa repleantur, eveniunt. Hominum pars ſylvas frequentant, minus quam quos modo diximus vagi: pars in urbibus habitant, quarum ut inter parvas opulentiſſimæ habentur, *i* procul à mari Gildano, Dulbritrania. Propius autem Sala, & Lyxo flumini Iunxo proxima. Vltra eſt Colonia, & fluvius Gna: & unde initium fecimus Ampuleſia, in noſtrum jam fretum vergens promontorium, operis hujus atque Atlantici littoris terminus.

## IN CAP. XI.

a *Inde*] Id eſt, à capite quod Verde Luſitani vocant.

b *Frons*] Aphricæ uſque ad Ampeluſiam, id eſt, Caput Canteri.

c *Æthiopes*] Pars regni Nigritarum.

d *In arenis mons eſt*] Atlantem intelligit, dictum vulgo Majuſte.

e *Fortunatæ*] Nunc dictæ Canariæ.

f *Pharuſii*] Nunc Aſenagi.

g *Nigritarum*] Lata eſt regio Nigritarum à fluvio Aſenaga uſque ad æquinoctialem, totum illum tractum poſſident. ab occidente terminantur oſtio Aſenagæ fluvii: à meridie, parte Oceani, quæ eſt inter oſtium Aſenagæ uſque ad caput Sancti Joannis: ab oriente, tractu fluvii Nigri, à Garamantibus uſque ad æquinoctialem: à ſeptentrione, ejuſdem fluvii tractu. à Nigra palude, uſque ad vallem Garamanticam, ut ex noſtra charta Aphricana facile cuivis manifeſtum erit. Hæc

regio

Digitized by Google

regio nunc diviſa eſt in regnum Mellis,& regnum Guineæ: pars fertilis, ea videlicet quæ eſt à fluvio Aſenaga uſque ad caput Manti: ſed ab hoc capite uſq; ad caput Sancti Joannis arida & ſterilis.

h *Mauritaniæ* ] Exterioris, quæ olim dicta eſt Tingitana, nunc diviſa in provinciam Tanger, regnum Fez, & provinciam Marruecos: quanquam ſunt qui addant provinciam Aſaphi, ubi eſt Aſamor.

i *Procul à mari* ] Conſtat nunc Babam, hoc eſt Fez, eſſe mediterraneam & opulentiſſimam. Hæc & alia quorum meminit Pomponius, in charta noſtra Aphricana aperta ſunt: ad quam mittimus geographiæ ſtudioſum.

## EJUSDEM OLIVARII
### Definitiones aliquot Geographicæ.

| | |
|---|---|
| *Vrbs & Oppidum*, ædificia continent. *Civitas* vero, cives. *Fluvius*, quod fluat. | ex Nonio Marcello. |

*Amnis*, quod ambiendo fluat. ex Varrone.

*Fretum anguſtum*, eſt mare inter duas terras.

*Iſthmos*, arcta terra inter duo maria.

*Promontorium*, à prominendo, pars montis quæ mari prominet.

*Cherſoneſus*, lingua communi, & *Cherroneſus* lingua Laconica, terra eſt fere inſula: Latini vocant peninſulam.

*Inſula*, eſt terra aquis circundata.

*Continens*, terra eſt, alteri ita continua, ut inde abſque marina navigatione omnes tres partes terræ peragrare poſſimus.

Sinus

Digitized by Google

de ubi aliqua pars eruta eſt, ſolent imbres ſpargi, & donec effoſſa repleantur, eveniunt. Hominum pars ſylvas frequentant, minus quam quos modo diximus vagi: pars in urbibus habitant, quarum ut inter parvas opulentiſſimæ habentur, *i* procul à mari Gildano, Dulbritrania. Propius autem Sala, & Lyxo flumini Iunxo proxima. Vltra eſt Colonia, & fluvius Gna: & unde initium fecimus Ampuleſia, in noſtrum jam fretum vergens promontorium, operis hujus atque Atlantici littoris terminus.

IN CAP. XI.

a *Inde*] Id eſt, à capite quod Verde Luſitani vocant.

b *Frons*] Aphricæ uſque ad Ampeluſiam, id eſt, Caput Canteri.

c *Æthiopes*] Pars regni Nigritarum.

d *In arenis mons eſt*] Atlantem intelligit, dictum vulgo Majuſte.

e *Fortunatæ*] Nunc dictæ Canariæ.

f *Pharuſii*] Nunc Aſenagi.

g *Nigritarum*] Lata eſt regio Nigritarum à fluvio Aſenaga uſque ad æquinoctialem, totum illum tractum poſſident. ab occidente terminantur oſtio Aſenagæ fluvii: à meridie, parte Oceani, quæ eſt inter oſtium Aſenagæ uſque ad caput Sancti Joannis: ab oriente, tractu fluvii Nigri, à Garamantibus uſque ad æquinoctialem: à ſeptentrione, ejuſdem fluvii tractu. à Nigra palude, uſque ad vallem Garamanticam, ut ex noſtra charta Aphricana facile cuivis manifeſtum erit. Hæc

regio

Digitized by Google

regio nunc diviſa eſt in regnum Mellis,& regnum Guineæ: pars fertilis, ea videlicet quæ eſt à fluvio Aſenaga uſque ad caput Manti: ſed ab hoc capite uſq; ad caput Sancti Joannis arida & ſterilis.

h *Mauritaniæ*] Exterioris, quæ olim dicta eſt Tingitana, nunc diviſa in provinciam Tanger, regnum Fez, & provinciam Marruecos: quanquam ſunt qui addant provinciam Aſaphi, ubi eſt Aſamor.

i *Procul à mari*] Conſtat nunc Babam, hoc eſt Fez, eſſe mediterraneam & opulentiſſimam. Hæc & alia quorum meminit Pomponius, in charta noſtra Aphricana aperta ſunt: ad quam mittimus geographiæ ſtudioſum.

## EJUSDEM OLIVARII
### Definitiones aliquot Geographicæ.

| | |
|---|---|
| *Vrbs & Oppidum*, ædificia continent.<br>*Civitas* vero, cives.<br>*Fluvius*, quod fluat. | ex Nonio Marcello. |

*Amnis*, quod ambiendo fluat. ex Varrone.

*Fretum anguſtum*, eſt mare inter duas terras.

*Iſthmos*, arcta terra inter duo maria.

*Promontorium*, à prominendo, pars montis quæ mari prominet.

*Cherſoneſus*, lingua communi, & *Cherroneſus* lingua Laconica, terra eſt fere inſula: Latini vocant peninſulam.

*Inſula*, eſt terra aquis circundata.

*Continens*, terra eſt, alteri ita continua, ut inde abſque marina navigatione omnes tres partes terræ peragrare poſſimus.

Sinus

*Sinus*, metaphoricôs dicitur à ſinu corporis, quæ pars eſt inter pectus & complexum brachiorum: hinc, quia littora curva complectuntur maria, vocantur ſinus.

*Lacus*, eſt qui perpetuam habet aquam.

*Stagnum*, quod temporariam, hoc eſt hyeme collectam ex pluvia.

*Palus*, eſt aqua nimis profunda, & latiſſime diffuſa.

*Regio* provincia dicitur: quæ quoniam à regibus regebatur, dicta eſt regio.

*Mons*, pars terræ alta & eminens.

*Ramentum montis*, mons eſt ex alio ortus monte.

*Portus*, à portando, locus juxta mare concluſus, quo importantur merces & exportantur, ubi naves tuto hyemare poſſunt: & hoc differt ab ſtatione, in qua ad tempus ſolum breve.

*Apertum mare*, vulgo Playa dicitur, quod nullum habeat ſeceſſum tutum à tempeſtate.

*Pons* in portu molle dicitur.

*Vicus*, pars eſt urbis, ſive, quæ aliquando fuit pars urbis.

*Villa*, domus eſt ruſticana.

*Pagus*, plures domus ruſticanæ conjunctæ, non clauſæ mœnibus.

*Caſtellum*, domus ruſticanæ clauſæ mœnibus.

FINIS.

Digitized by Google

# C. IVLII SOLINI POLYHISTOR,

Appellatus à quibuſdam rerum toto orbe memorabilium Theſaurus: ab ipſo autem Solino prius inſcriptus,

## COLLECTANEA RERVM MEMORABILIVM.

A Martino Antonio Delrio
Ex manuſcriptis libris emendatus,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

De

# CAII IVLII SOLINI POLYISTORE

## Henr. Stephani Tetrastichon.

*Non modo multa docet* Πολυΐςωρ *mira, ſed hæc ſunt*
*Mira modis variis, in variiſque locis.*
*Sic* πολυποικίλου *hic* Πολυΐςωρ ἵςορα *reddet*
*Hiſtoriæ, & vere* ποικιλοθαυμασίης.
*Diſcendi tantum ſtudio tenearis oportet.*
*Nam quis* πουλυμαθὴς, *ſit niſi* φιλομαθής;

Digitized by Google

# MARTINVS ANTONIVS DELRIO,

*Candidis lectoribus*

*S. P. D.*

MVLTA ſunt in Solini contextu caſtigata, quorum in emendationibus nulla mentio fit: in illis tamen omnibus ſecutum me manuſcriptorum librorum fidem & auctoritatem ſcitote, nihilque emendaſſe quod in illis non reperiretur. Cur autem ea ſilentio præterierim, ratio eſt, quod cuncto-



Digitized by Google

rum ubi emendationum ratio redditur, meminiſſe operæpretium non exiſtimavi : tum, quod emendationes meæ ipſum facile Solini librum magnitudine ſuperaſſent : tum, quia pleraque hujuſmodi ſunt, quæ non niſi ab indoctis & ipſa malivolentia ridiculis reprehendi poſſe videantur : tum etiam quod iis qui hæc tanti putabunt ut legere dignentur, moleſtiſſimum fuiſſet ſummo nonnunquam faſtidio percurrere, quæ tam clara & aperta erant, ut ea, niſi Thamyras quiſpiam, nemo non primo intuitu perſpiciat. Quæ vero in membranis Iuſti Lipſii non continebantur ( deſiderabantur autem non pauca ) his ubique

Digitized by Google

que notis [ ] incluſi. Capitum diſtinctionem Lugdunenſium editionum non mutavi, quoniam non in vulgatis modo, ſed & in antiquis codicibus diverſiſſima habetur: neque adhuc affirmare poſſum, utrum Solinus opus ſuum in capita diviſerit, an vero librarii in hoc ſcriptore (quod eos in M. Manilio, Suetonio Tranquillo, atq; Martiano Capella feciſſe, ex apographis quæ vidi, ſatis intelligo) labori legentium hoc pacto ſe ſubvenire crediderint. illud ſane fatendum eſt, has librorum in capita diviſiones, dummodo per materiæ naturam liceat, memoriam nonnulla ex parte juvare: Polyhiſtorem vero talem eſſe nomen

ſatis indicat, ut, quo quidque loco contineatur, ſciri ſine magno labore nequeat, ſi regionum de quibus agit, nomina ſuis locis non inſerantur, quibus ſtudioſi tanquam ſummo digito, & quaſi per indicem ad eum locum perducantur, quo, quod ſcire deſiderant, continetur. Porro unum eſt quod à vobis impetrare cupio, & debeo, ſcilicet ut, antequam de opera mea ſententiam feratis, recordemini eorum quæ Romanorum eruditiſſimus Varro in lege Mænia ſcripſit, neque in bona ſegete nullum eſſe ſpicum malum, neque in mala non aliquod bonum: memineritis quoque me de grege hominum eſſe, è quibus nemo

mo

Digitized by Google

mo tam providus ac circumſpectus eſt, qui non ſæpenumero fortiter in lapidem impingat, eumque hominem qui extra terminos adoleſcentiæ nondum ſit progreſſus, cujus maxime propria eſt judicii non magnitudo, ſed imbecillitas ætatis. *Valete.*



Digitized by Google

# SOLINI VITA

## Per

# IOANNEM CAMERTEM

## EDITA.

*QVa ætate Iulius Solinus floruerit, nil certi à peritioribus proditum eſt. id accidiſſe crediderim, quod eorũ monumenta qui poſt eum ſcripſerunt, barbaris cuncta vaſtantibus, fere perierint univerſa. Miror Chronicorum ſupplementi obſcurum ſcriptorem aliàs, tradidiſſe, hunc Solinum Auguſti Cæſaris floruiſſe temporibus, cui & Πολυΐστορα dedicaſſe commemorat. Conſtat enim Solinum Veſpaſiani principis in hoc opere meminiſſe. Ex annorum autem inter utrunque Cæſarem computatione, evidens eſt, non potuiſſe Solinum opus ſuum Auguſto dicaſſe, & Veſpaſiani Cæſaris res geſtas retuliſſe. Meminit præterea Solinus Suetonii Paulini, quem Plinius ſe vidiſſe teſtatur. Huc accedit, quod ex Pliniano fonte Solinus hauſerit ferme omnia: cum tamen ſcribens hæc, infantiæ ſuæ, in operis exordio, veniam ſibi dari poſtulet ab amico. Sed cum nuſquam Plinii, per*

*quem*

*quem profecit, habuerit mentionem, ſuſpicor, vivente adhuc Plinio, opuſculum hoc ſuum ſcripſiſſe Solinum. Hinc factum forſitan ut viventis non meminerit auctoris. Conſimili ratione potuit evenire, ne unquam Plinius Dioſcoridis, nobilis, ejuſdem cum eo temporis, ſcriptoris nomen recenſuerit: cum conſtet tamen innumera ex eo in opus ſuum Plinium tranſtuliſſe. Eadem culpa poterit Dioſcoridi imputari (nam uter ab utro ſurripuerit, apud Ammonem inveniri poſſet) ſi is oppreſſa Plinii mentione, tanta ex eo fuerit ſuffuratus. Qui de Xenophontis Platoniſque vita & moribus, pluraque de iiſdem alia exquiſitiſſime ſcripsêre, tradunt nec Platonem Xenophontis, nec contra Xenophontem Platonis, cum eſſet uterque Socratis diſcipulus, in tot utriuſque voluminibus inſeruiſſe nomen.*

Hi ſunt invidiæ nimirum, credite, mores,
 Ut ſua quam rarus tempora lector amet.
Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit.

*Vera Naſonis ſententia. Quid de Macrobio, qui integras ſæpe paginas ex Gellio: de Placido, qui ex Servio: Acrone, qui ex Porphyrione? quid de ſexcentis aliis, qui longas commentationes, ſuppreſſis unde ſumpſerint auctoribus, ad verbum ſibi omnia tribuerunt? Nemo ambigit Aulum quoque Gellium, Latinæ linguæ delicias, Liviana lectione plurimum profeciſſe: cum tamen T. Livium, Latinorum hiſtoricorum longe principem, ſuarum Noctium noluerit eſſe participem.*

*Nec aſſentior quorundam opinioni, qui ea ſpe Solinum nullam habuiſſe Plinii mentionem exiſtimant, ut Plinii exemplaria deperirent penitus, ſicque ejus Collectanea extarent ſola, nec procedente tempore ab ullo poſſent ſua furta dignoſci. Qua mente Florus & Iuſtinus laboraſſe creduntur. Eſſet utinam tot bonorum auctorum amiſſionis hæc ſola cauſa: extarent hodie Catonis, ( ut Græcos interim miſſos faciam ) Varronis, Nigidii, Salluſtii, Hygini, Celſi, Ennii, Furii, Varii, Actii, Nævii, Pacuvii, nobilium auctorum monumenta, quæ magna ſtudioſorum jactura, perierunt. Vtcunque factum ſit, teſtatur Solinus ingenue, quicquid in Polyhiſtore complexus eſt, de ſcriptoribus receptiſſimis emanaſſe. ſuumque nil proprium eſſe dixit: Cum nihil ( inquit ) omiſerit antiquitatis diligentia, quod intactum ad hoc uſque ævi permaneret. Rurſus conſtantiam veritatis penes eos eſſe teſtatur, quos in opere fuerit ipſe ſecutus. Nec dedecori Solino adſcribendum, quod paſſim fuerit Plinium æmulatus: ſicut nec Maroni dandum crimini, quod toties veterum poëtarum, Homeri præſertim, verſus in ſuum opus tranſtulerit. Non enim parva virtus eſt auctorem optimum optime æmulari. Fuiſſe Solinum Romanum, tum ex ſcribendi ſtylo conjicitur, tum quod frequenter, cum de Romanis mentio incidit, eos is locis multis noſtros ſoleat appellare. Solini auctoritate nedum recentiores ſcriptores, Sipontinus Perottus, Domitius Calderinus, Angelus Politianus,*

*tianus, Hermolaus Barbarus, Ianus Parrhaſius, iiſque alii plures ſimiles, quos non injuria inter veteres quis annumerarit: ſed Servius II. Georg. & Priſcianus in VI. inſignes grammatici, nominatim etiam uſi ſunt. Dionyſii quoque interpres (ſive is Priſcianus fuerit, ſive Rhemnius) integras Solini clauſulas ſuis carminibus frequenter inſeruit. Solini (ni fallor) ſunt omnia quæ de annorum diviſione & diebus intercalaribus à Macrobio ſunt relata. Doctores præterea eccleſiaſtici, D. Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, item doctiores alii, iiſdem fere verbis Solini ſæpe ſunt ſententias mutuati. Sunt qui perinde Plinianam ſimiam Solinum nuncupent, quemadmodum Titianum, oratorum, Arulenum, Stoicorum, Iulius Capitolinus, Plinius Cæcilius, Sidonius Apollinaris ſimias nominatos fuiſſe tradunt. Sed hi non advertunt eos per contumeliam ſimias appellari ſolitos, qui vel ab aliis prius tradita, eodem quoque ordine referunt, vel non eos auctores ſed eorum umbram potius æmulantur. Verum Solinus ſic Plinianam phraſim æmulatus eſt, ut (venia dixerim aliorum) vix ſit repertus alter qui Plinianæ majeſtati propius acceſſerit. Inſcripſit librum hunc (ut in vetuſtis quibuſdam exemplaribus invenitur) Autio amico: cui & opus tradidit caſtigandum. Sunt qui alia ſui ingenii monumenta reliquiſſe tradunt: quæ vel temporis injuria perierunt, vel abſtruſo loco quopiam, cum blattis forſitan, deliteſcunt.*

Digitized by Google

# C. IVLIVS SOLINVS AVTIO SVO

*S. P. D.*

QVONIAM quidam impatientius potius quam ſtudioſius, opuſculum quod moliebar, intercipere properarunt: idque, etiam tum impolitum, prius in medium dederunt, quam inchoatæ rei ſumma manus imponeretur, & nunc, exemplaribus corruptis, quæ damnata ſunt, quaſi probata circunferunt, præteritis quæ ad incrementum cognitionis acceſſerunt cura longiore: ne forte rudis & imperfecta materia, velut ſpectatus à me liber, in manus tuas deferretur, opuſculum ſententia mea digeſtum, ut noſceres, miſi. Primo, quod referendus ad induſtriam tuam fuit tenor diſpoſitionis: deinde, ut ſcabræ adhuc informitatis proditio, editione vera extingueretur. Erit igitur operi iſti titulus POLYHISTOR. Nam quem in exordio deſignaveram, ſcilicet COLLECTANEA RERVM memorabilium, cum iis

quæ

Digitized by Google

quæ improbavimus, placuit obliterari. Collata igitur hac epiſtola cum ea quæ auſpicium ſcriptionis facit, intelligis eodem te loco habitum quo eum cui laboris noſtri ſummam dedicavimus.

## C. IVLIVS SOLINVS *a* AUTIO SUO

S. P. D.

CVM & aurium clementia & optimarum artium ſtudiis præſtare te cæteris ſentiam, idque oppidò expertus, de benevolentia tua nihil temere perceperim: reputavi examen opuſculi hujus tibi potiſſimum dare, cujus vel induſtria promtius ſuffragium, vel benignitas veniam ſpondebat faciliorem. Liber eſt ad compendium præparatus, quantumque ratio paſſa eſt, ita moderate repreſſus, ut nec prodiga ſit in eo copia, nec damnoſa concinnitas. Cui ſi animum propius intenderis, velut fermentum cognitionis magis ei ineſſe, quam bracteas eloquentiæ deprehendes. exquiſitis enim aliquot voluminibus, ſtuduiſſe me impendio fateor ut à notioribus pedem referrem, & remotis largius immorarer. Locorum commemoratio plurimum tenet, in quam partem.

partem ferme inclinatior eſt univerſa materies. quorum commeminiſſe ita viſum eſt, ut inclytos terrarum ſitus, & inſignes tractus maris, ſervata orbis diſtinctione, *b* ſuo quæque ordine redderemus. Inſeruimus etiam pleraque differenter congruentia: ut, ſi nihil aliud, ſaltem varietas ipſa legentium faſtidio mederetur. Inter hæc hominum & aliorum animalium naturas expreſſimus. Addita ſunt pauca de arboribus & lapidibus exoticis, de extimarum gentium formis, de ritu diſſono abditarum nationum: nonnulla etiam memoratu digna, quæ prætermittere incurioſum videbatur, quorumque auctoritas (quod in primis induſtriæ tuæ inſinuatum velim) de ſcriptoribus manat receptiſſimis. Quid enim proprium noſtrum eſſe poſſit, cum nihil omiſerit antiquitatis diligentia, quod intactum *c* ad hoc uſque ævi perſeveret? Quapropter quæſo [te] ne de præſenti tempore editionis hujus fidem libres: quandoquidem veſtigia monetæ veteris perſecuti, opiniones univerſas eligere maluimus potius quam innovare. Itaque ſiqua ex iſtis ſecus quam opto in animum tuum venerint, des velim infantiæ meæ veniam. nam conſtantia veritatis penes eos eſt quos ſecuti ſumus. Sicut ergo [ii] qui corporum for-

mas

mas æmulantur, poſtpoſitis quæ reliqua ſunt, ante omnia effigiant modum capitis, nec in alia membra prius lineas deſtinant, quam ab ipſa ( ut ita dixerim ) figurarum arce auſpicium faciant inchoandi: ita nos quoque à capite orbis, id eſt, ab urbe Roma, principium capeſſemus: quamvis nihil ſuper ea doctiſſimi auctores reliquerint, *d* quod in novum præconium poſſit ſuſcitari, ac ſupervacuum pene ſit, relegere tramitem decurſum tot annalibus. Ne tamen prorſus diſſimulata ſit, originem ejus quanta valemus perſequemur fide.

## M. ARTINI ANTONII DELRIO In C. IVLII SOLINI POLYHISTOREM EMENDATIONES.

### In Epistolam II.

a *Autio*] Num legendum eſt Avito, cujus Plinius Cæcilius lib. 5. epiſt. meminit? num vero Antio: cum C. Antius C. F. anno DCCCXLV. coſ. fuerit, quo tempore Solinus vixit? In m. ſ. quidem libris, vel quos ego vidi, vel inſpexerunt alii, habetur Advento.

b *Suo quæque ordine redderemus*] In ſcripto libro Juſti Lipſii, hominis apprime docti, mihique maxime amici, in ejus inquam ſcrip. lib. ( quem, quotiens unicum codicem cito, intelligi volo ) habetur Ordini.



Digitized by Google

c *Ad hoc uſque ævi perſeveret*] Scriptus cod. continet, permaneret.

d *Quod in novum præconium poßit ſuſcitari*] Lego, quod ignotum præconium poſſit ſuſcitare: quemadmodum veteres libri habent.

C. IV.

Digitized by Google

# C. IVLII SOLINI POLYHISTOR.

## Cap. I.

### De ORIGINE URBIS ROMÆ.

SVNT qui videri velint Romæ vocabulum ab Euandro primum datum, cum oppidum ibi offendiſſet, quod extructum antea Valentiam dixerat juventus Latina: ſervataque ſignificatione impoſiti prius nominis, Ῥώμην Græcè Valentiam nominatam: quam Arcades quoniam in excelſa parte montis habitaſſent, derivatum deinceps, ut tutiſſima urbium, arces vocarentur. Heraclidi placet, Troia capta quoſdam ex Achivis in ea loca ubi nunc Roma eſt, deveniſſe per Tiberim: deinde, ſuadente Rome, nobiliſſima captivarum, quæ his comes erat, incenſis navibus, a poſuiſſe ſedes, ſtruxiſſe mænia,

mœnia, & oppidum ab ea Romen vocaviſſe. Agathocles ſcribit, Romen non captivam fuiſſe, ut ſupra dictum eſt, *b* ſed Aſcanio natam, Æneæ neptem, appellationis iſtius cauſſam fuiſſe. *c* Traditur etiam proprium Romæ nomen, veruntamen vetitum publicari: quandoquidem quo minus enunciaretur, ceremoniarum arcana ſanxerunt: ut hoc pacto notitiam ejus aboleret fides placitæ taciturnitatis. Valerium denique Soranum, quod contra interdictum eloqui id auſus foret, ob meritum profanæ vocis, neci datum. Inter antiquiſſimas ſane religiones ſacellum colitur Angeronæ: cui ſacrificatur ante diem duodecimum Kalendarum Ianuariarum: quæ diva præſul ſilentii iſtius, prænexo obſignatoque ore ſimulacrum habet.

## IN CAP. I.

a *Poſuiſſe ſedes, ſtruxiſſe mœnia*] Quia in vet. libro Inſtruxiſſe habetur, reſtituo, Inde ſtruxiſſe.

b *Sed Aſcanio natam*] Vetus codex, Sed ab Aſcanio natam. Simili modo in Epitome lib. 1. Livianæ hiſtoriæ, ubi vulgò, Nati Romulus & Remus, legitur in m. ſ. quem Lud. Carrio I.C. vir de litteris præclare meritus, cum impreſſis contulerat, Nati ex ea Romulus & Remus.

c *Traditur etiam proprium Romæ nomen, veruntamen vetitum publicari*] Vera lectio in vet. cod. continetur, Traditur etiam proprium Romæ nomen, & verum magis, quod nunquam in vulgum venit.

CAP.

## CAP. II.

### *De conſecratione Vrbis.*

DE temporibus urbis conditæ, ambiguitatum quæſtiones excitavit, *a* quod quædam ibi multo ante Romulum condita ſint. Quippe aram Hercules, quam voverat, ſi amiſſas boves reperiſſet, punito Caco, patri inventori dicavit. Qui Cacus habitavit locum cui Salinæ nomen eſt: *b* ubi Trigemina nunc porta. hic (*c* ut Gellius tradit) cum à Tarchône Tyrrheno ad quem legatus venerat, miſſu Marſyæ regis, ſocio Megale Phryge, cuſtodiæ foret datus, fruſtratus vincula, unde venerat redux, & præſidiis amplioribus occupato circa Vulturnum & Campaniam regno, dum etiam ea attrectare auderet quæ conceſſerant in Arcadum jura, duce Hercule, qui tunc forte aderat, oppreſſus eſt. Megalen Sabini receperunt, diſciplinam augurandi ab eo docti. Suo quoque nomini idem Hercules inſtituit aram, quæ maxima apud pontifices habetur: cum ſe ex Nicoſtrata Evandri matre, quæ à vaticinio Carmentis dicta eſt, immortalem comperiſſet fore. Conſeptum etiam, intra quod ritus ſacrorum, factis bovicidiis, docuit

Digitized by Google

docuit Potitios. Hoc ſacellum Herculis in foro boario eſt, in quo argumenta & convivii & lætæ majeſtatis ipſius remanent. Nam divinitus illò neq; canibus neq; muſcis ingreſſus eſt. Etenim cũ viſcerationem e ſacrificolis daret, Myagrum deum dicitur imprecatus: clavam vero in aditu reliquiſſe, cujus olfactum refugerunt canes. id uſque nunc durat. Ædem etiam quæ Saturni ærarium fertur, comites ejus condiderunt in honorem Saturni, quem cultorem regionis illius cognoverant extitiſſe. Iidem & montem Capitolinum Saturnium nominarunt. *f* Caſtelli quoque quod excitaverant, portam Saturniam appellaverunt, quæ poſtea Pandana vocata eſt. Pars autem infima Capitolini montis habitaculum Carmentis fuit: ubi Carmentis nunc fanum eſt, à qua Carmentali portæ nomen datum [eſt.] Palatium [vero] nemo dubitaverit quin Arcades habeat auctores, à quibus primum *g* Palanteum oppidum conditum: quod aliquandiu *h* Aborigines habitarunt, ſed propter incommodum vicinæ paludis, quam præterfluens Tiberis fecerat, profecti Reate, poſtmodum reliquerunt. Sunt qui velint à balatibus ovium, mutata littera, vel à Pale paſtorali dea, aut (ut Silenus probat) à *i* Palantho Hyperborei filia, quam

quam Hercules ibi compreſſiſſe viſus eſt, nomen monti adoptatum. Sed quanquam iſta ſic congruant, palam eſt, proſpero illi augurio deberi gloriam Romani nominis, maxime cum annorum ratio faciat cardinem veritati. Nam, ut affirmat Varro, auctor diligentiſſimus, Romam condidit Romulus Marte genitus & Rhea Silvia, vel, ut nonnulli, Marte & Ilia. dictaque eſt primum Roma quadrata, quod ad æquilibrium foret poſita. ea incipit à ſilva quæ eſt in area Apollinis, & ad ſupercilium ſcalarum Caci: habet terminum ubi tugurium fuit Fauſtuli. Ibi Romulus manſitavit, qui auſpicatò fundamenta murorum jecit, duodeviginti natus annos, undecimo Kalendas Majas, hora poſt ſecundam *k* ante tertiam, ſicut L. *l* Taruntius prodidit, mathematicorum nobiliſſimus, Iove in piſcibus, Saturno, Venere, Marte, Mercurio in Scorpione, Sole in Tauro, Luna in Libra, conſtitutis. Et obſervatum deinceps, ne qua hoſtia Parilibus cæderetur: ut dies iſte à ſanguine purus eſſet, cujus ſignificationem de partu Iliæ tractam volunt. Idem Romulus regnavit annos ſeptem & triginta. de *m* Cæninenſibus egit primum triumphum, & Acroni regi eorum detraxit ſpolia quæ Iovi Feretrio primus ſuſpendit, & opima

Digitized by Google

opima dixit. rurſus de Antemnatibus triumphavit, *n* de Veientibus poſtremo. apud Capreæ paludem Nonis Quinctilibus comparere deſiit. Cæteri reges, quibus locis habitaverint dicemus. Tatius in arce, ubi nunc ædes eſt Iunonis Monetæ: qui anno quincto quam ingreſſus urbem fuerat à Laurentibus interemtus, ſeptima & viceſima Olympiade *o* hominem exivit. Numa in colle primum Quirinali, deinde propter ædem Veſtæ, in regia quæ adhuc ita appellatur: qui regnavit annis tribus & quadraginta, ſepultus ſub Ianiculo. Tullus Hoſtilius in Velia, ubi poſtea deûm Penatium ædes facta eſt: qui regnavit annos duos & triginta, obiit Olympiade quincta & trigeſima. Ancus Martius in ſumma ſacra via, ubi ædes Larium eſt: qui regnavit annos quatuor & viginti, obiit Olympiade prima & quadrageſima. Tarquinius Priſcus ad Mugoniam portam, ſupra ſummam novam viam: qui regnavit annos ſeptem & triginta. *p* Servius Tullius Eſquiliis ſupra clivum Vrbicum, qui regnavit annos quatuor & quadraginta. Tarquinius Superbus, & ipſe Eſquiliis ſupra clivum Pullium ad *q* Fagutalem lucum: qui regnavit annos quinque & viginti. Cintio, Romam duodecima Olympiade placet conditam, Pictori, octava:

octava: Nepoti & Lutatio, opinionem Eratoſthenis & Apollodori comprobantibus, Olympiadis ſeptimæ anno ſecundo: Pomponio Attico, & M. Tullio, r Olympiadis ſextæ anno tertio. Collatis igitur noſtris & Græcorum temporibus, invenimus incipiente Olympiade ſeptima Romam conditam, anno poſt Ilium captum quadringenteſimo trigeſimotertio. Quippe certamen Olympicum, quod Hercules in honorem atavi materni Pelopis ediderat, intermiſſum, ſ Iphitus, filius ejus, inſtauravit, poſt excidium Troiæ anno quadringenteſimo octavo. Ergo ab Iphito numeratur Olympias prima: ita, ſex mediis Olympiadibus interjectis, quibus ſingulis anni quaterni imputantur, cum ſeptima cœptante Roma condita ſit, inter exortum urbis & Troiam captam jure eſſe quadringentos annos & trigintatres conſtat. Huic argumento id accedit, quod cum C. Pompeius Gallus, & Q. t Verannius Nepos urbis conditæ anno octingenteſimoprimo fuerint conſules, conſulatu eorum Olympias ſeptima & duceneſima actis publicis annotata eſt. quater ergo multiplicatis ſex & ducentis Olympiadibus, erunt anni octingenti vigintiquatuor, quibus de ſeptima Olympiade annectendus eſt primus annus, ut in ſolidum

dum colligantur anni octingenti vigintiquinque. ex qua ſumma detractis viginti annis & quattuor, Olympiadum retro ſex, manifeſte anni octingenti & unus reliqui fient. quapropter cum octingenteſimo primo anno urbis conditæ, ducenteſima-ſeptima Olympias computetur, par eſt Romam ſeptimæ Olympiadis anno primo credi conditam. In qua regnatum eſt annis ducentis quadraginta tribus: Decemviri creati anno trecenteſimoſecundo: primum Punicum bellum anno quadringenteſimo octogeſimonono: ſecundum, anno quingenteſimo triceſimoquinto: tertium, ſexcenteſimoquarto: ſociale, ſexcenteſimo ſexageſimo ſecundo. Ad A. Hircium & C. Panſam conſules anni ſeptingenti & decem: quorum conſulatu Cæſar v Auguſtus conſul creatus eſt, nonumxdecimum annum agens: qui principatum ita ingreſſus eſt, ut vigilantia ejus non modo ſecurum verum etiam tutum imperium eſſet. Quod tempus ferme ſolum repertum eſt, quo plurimum & arma ceſſaverunt, & ingenia floruerunt: ſcilicet ne inerti juſtitio languerent virtutis opera, bellis quieſcentibus.

IN

IN CAP. II.

a *Quod quadam ibi multo ante Romulum condita ſint. Quippe aram Hercules quam voverat*] Amplector vet. lib. ſcripturam, Q. q. i. m. a. R. culta ſint. quippe ante H. &c.

b *Vbi tergemina nunc*] vet. lib. Ibi trigemina nunc. P. etiam Victor trigeminam nominat.

c *Vt Cælius tradit*] Frequens apud grammaticos mentio Cælii, antiqui annalium ſcriptoris. Cum tamen vet. cod. Lipſii, item (ut à L. Carrione I. C. accepi) alii quatuor contineant Gellius, nihil dubito hoc amplecti. quia Gellii teſtimonio non ſemel Plinius & Macrobius utuntur.

d *Læta majeſtatis*] Prior vox non habetur in ſcrip. lib.

e *Sacrificii libaret*]Membranæ,Sacrificolis daret.

f *Caſtelli quoque, quod excitaverant, portam, &c.*] Aliter hæc in vet. lib. nempe, Caſtelli quoque, quod excitaverunt, portam Saturniam appellaverunt: quæ poſtmodum Pandana vocitata: pars autem, &c.

g *Palanteum*] O. v. l. Palantum. Stephano, Παλάντιον.

h *Aborigines habitarunt*] Antiq. libri, Ab origine habitatum.

i *Palante*] Vet. lib. Palantho. quod Feſto congruit, in cujus contextu Palanto habetur: quanquam quidam vet. cod. teſte Ant. Auguſtino, contineant Palante.

k *Ante tertiam*]Additur in antiq. libr.Plenam.

l *Tarruntius*] Sic o. ve. lib. ſed Plutarcho, in Romulo, dicitur Ταρὄντιος, Ciceroni 1. de divinatione Taruntius.

m *Ceninenſibus*] Stephano Καινῖται dicuntur:



Digitized by Google

quare recte vet. lib. Cæninenſibus. Belle iidem, Rurſus de Antemnatibus.

n *De Veientibus poſtremo,*] Lib. ſcrip. Tertio.

o *Hominem exuit,*] O. vet. lib. Exivit. Nec aliter Priſcianus legit.

p *Ser. Tullius Æſquiliis, ſupra clivum Vrbicum, qui regnavit annos* II. *& quadraginta,*] Vet. lib. Servius Tullius Eſquilinus, ſuper clivum Vrbum, qui regnavit annos duos & triginta. Quid ſi legamus ex fide hiſtorica, annos IV. & XL.? Item Eſquiliis, ſine A, ex omnibus o. ſcriptorum quos vid*i*, v. libris? Porro qui, Olbium clivum, legunt, non recte faciunt. M. ſ. vel, Vrbicium, vel, Vrbium, vocant. Livius, & eum ſecutus Marlianus, Virbium appellant.

q *Fagutalem lacum*] Ex Varrone lib. 4. De ling. Latina legendum, Fagutalem lucum.

r *Olympiadis ſextæ anno tertio*] O. vet. lib, Olympiadis ſeptimæ anno tertio.

ſ *Iphiclus*] Membranæ, Iphitus. Pauſaniæ in Arcad. hoc ipſum commemoranti, Ἴφιτος.

t *Verannius*] Si Pompeio cognomen addidit, cur non & Verannio? cognomen autem eſt Nepos. Equidem quemadmodum hoc loco Verannium cognomine, ſic paulo poſt inique Hircium, A. prænomine privarunt.

v *Auguſtus conſul creatus eſt*] Vox, Conſul, non eſt tollenda, ut Camers opinatur: tum quod in cunctis exemplaribus habetur, tum etiam quia Octavius in Vibi Panſæ demortui locum ſuffectus eſt.

x *Octavum decimum annum agens*] Vet. lib. decimumnonum. Quod ad Suetonii traditionem propius accedit. nam Suetonius lib. 2. de Auguſto agens, ſic ſcribit: Conſulatum vigeſimo ætatis anno invaſit, admotis, &c.

CAP.

## CAP. III.

### *De diviſione anni, & diebus intercalaribus.*

TVnc ergo primum curſus anni perſpecta ratio eſt, quæ à rerum origine profunda caligine tegebatur. nam ante Auguſtum Cæſarem incerto modo annum computabant. quia apud Ægyptios quatuor menſibus terminabatur: apud Arcadas, tribus: apud Acarnanas, ſex: *a* in Italia apud Lavinios, tredecim: quorum annus trecentis ſeptuaginta quattuor diebus ferebatur. Romani [in] initio annum decem menſibus computabant, à Martio auſpicantes, adeo ut ejus die prima de aris Veſtalibus ignem accenderent, *b* mutarent viridibus veteres laureas, Senatus & populus comitia agerent, matronæ ſervis ſuis cœnas ponerent, ſicuti Saturnalibus domini: illæ, *c* ut honore promtius obſequium provocarent: hi, quaſi gratiam repenſarent perfecti laboris. Maxime hunc menſem principem teſtantur fuiſſe, quod qui ab hoc quinctus erat, Quinctilis dictus eſt: *d* deinde numero decurrente, December *e* ſolennem circum finiebat, intra diem trecenteſimum quartum. tunc



Digitized by Google

enim iſte numerus explebat annum: ita ut ſex menſes, tricenûm dierum eſſent, quatuor reliqui tricenis & ſingulis expedirentur. Sed cum ratio illa ante Numam à lunæ curſu diſcreparet, lunari computatione annum peræquarunt, quinquaginta & uno *f* die adjectis. ut ergo perficerent duodecim menſes, [ de ] ſex menſibus ſuperioribus detraxerunt dies ſingulos, eoſque quinquaginta iſtis & uni adjunxerunt: factique quinquaginta ſeptem, diviſi ſunt in duos menſes, quorum alter vigintinovem, alter vigintiocto *g* dies continebat. ſic annus habere quinque & quinquaginta & trecentos dies cœpit. Poſtmodum cum perſpicerent temere annum clauſum intra dies quos ſupra diximus, quandoquidem appareret ſolis meatum non ante trecenteſimum ſexageſimumquintum diem, abundante inſuper quadrantis particula, zodiacum conficere decurſum, quadrantem illum & decem dies addiderunt: ut ad liquidum annus trecentis ſexagintaquinque diebus & quadrante conſtaret: hortante obſervatione imparis numeri, quem Pythagoras monuit præponi in omnibus oportere. Vnde propter dies impares diis ſuperis Ianuarius dicatur, & propter pares Februarius, quaſi

quaſi ominoſus, diis inferis deputatur. Cum itaque hæc definitio toti orbi placuiſſet, cuſtodiendi quadrantis gratia, à diverſis gentibus varie intercalabatur, nec unquam tamen ad liquidum fiebat temporum peræquatio. Græci ergo ſingulis annis XI. dies & quadrantem detrahebant: eoſque octies multiplicatos, in annum nonum reſervabant, ut contractus nonagenarius numerus, in tres menſes per tricenos dies ſcinderetur. qui anno nono reſtituti efficiebant dies quadringentos quadragintaquattuor, quos ἐμβολισμοὺς, vel ὑπερβάλλοντας nominabant. Quod cum initio Romani probaſſent, contemplatione numeri parilis offenſi, neglectum brevi perdiderunt, tranſlata in ſacerdotes intercalandi poteſtate: qui plerunque gratificantes rationibus publicanorum, pro libidine ſua ſubtrahebant tempora, vel augebant. Cum hæc ſic forent conſtituta, moduſque intercalandi interdum cumulatior, interdum fieret imminutior, * vel omnino diſſimulatus præteriretur, nonnunquam accidebat ut menſes qui fuerant hyeme tranſacti, modo [in] æſtivum, modo [in] auctumnale tempus inciderent. Itaque C. Cæſar univerſam hanc inconſtantiam, inciſa temporum turbatione, compoſuit, &, ut ſtatum certum præ-

teritus acciperet error, dies XXI, & quadrantem ſimul intercalavit: quo pacto regradati menſes de cetero ſtatuta ordinis ſui tempora detinerent. Ille ergo annus ſolus trecentos XLIII dies habuit: alii deinceps trecentos ſexagenos quinos, & quadrantem. & tunc quoque vitium admiſſum eſt per ſacerdotes. Nam cum præceptum eſſet anno quarto ut intercalarent unum diem, & oporteret confecto quarto anno id obſervari, antequam quintus auſpicaretur, illi incipiente quarto intercalarunt, non deſinente. ſic per annos ſex & xxx, cum novem dies tantummodo ſufficere debuiſſent, XII ſunt intercalati. *b* Quod deprehenſum Auguſtus reformavit, juſſitque annos XII ſine intercalatione decurrere: ut tres illi dies qui ultra novenarios temere fuerant intercalati, hoc modo poſſent repenſari. ex qua diſciplina omnium poſtea temporum fundata ratio eſt. Verum cum & hæc & multa alia Auguſti temporibus debeantur, qui pene ſolus ſine exemplo rerum potitus eſt, tot & tanta in vita ejus inveniuntur adverſa, ut non ſit facile diſcernere calamitoſior an beatior fuerit. Primum, quod apud avunculum in petitione magiſterii equitum prælatus eſt ei Lepidus tribunus, cum quadam auſpicantium cœptorum nota: mox triumviratus

viratus collegium, prægravi poteſtate Antonii: Philippenſis inde proſcriptionis invidia: abdicatio Poſtumi Agrippæ poſt adoptionem: deinde deſiderio ejus inſignis pœnitentia: naufragia Sicula: *i* turpis ibi in ſpelunca occultatio: ſeditiones militum plurimæ: Peruſina cura: detectum filiæ adulterium, & voluntas parricidalis: nec minore dedecore *k* neptis infamia, incuſatæ de morte filiorum: & amiſſis liberis, non ſolum orbitatis dolor, ſed Vrbis peſtilentia, fames Italiæ bello Illyrico, anguſtiæ rei militaris, corpus morbidum, contumelioſa diſſenſio privigni Neronis, uxoris etiam & Tiberii cogitationes *l* parum fidæ, atque in hunc modum plura. Hujus tamen ſuprema quaſi lugeret ſæculum, penuria inſecuta eſt frugū omnium: ac ne fortuitum, quod acciderat, videretur, imminentia mala non dubiis ſignis apparuerunt. Nam Fauſta quædam, ex plebe, partu uno edidit quatergeminos, mares duos, fœminaſque totidem, monſtroſa fæcunditate portendens futuræ calamitatis indicium. Quamlibet Trogus auctor affirmet in Ægypto ſeptenos uno utero ſimul gigni. quod ibi minus mirum, cum fætifero potu Nilus, non tantum terrarum, ſed & hominum fæcundet arva. Legimus Cn. Pompeium Eutychidem fœ-

minam Aſia exhibitam, quam conſtabat tricies enixam, cum XX. ejus liberis in theatro ſuo publicaſſe. Vnde competens hoc loco duco ſuper hominis generatione tractare. Etenim cum de animalibus quæ dictu digna videbuntur, prout patria cujuſque admonebit, ſimus notaturi: jure ab eo potiſſimum ordiemur, quod rerum natura, ſenſus judicio & rationis capacitate præpoſuit omnibus.

## IN CAP. III.

a *Apud Lavinios*] Sic in anti. lib. margine: in contextu verò, Latinos.

b *Mutarent veteribus virides laureas*] Macrobius, qui hæc omnia è Solino deſumſit, Laureæ, inquit, veteres novis laureis mutabantur. quare corrige, Mutarent viridibus veteres laureas.

c *Vt honore*] Manuſcr. Vt per honores.

d *Deinde numero decurrrente*] Membranæ, pro, Deinde, habent, Vnde.

e *Sollemnem circum*] Quædam membranæ, Sollemnem numerum circuitumque.

f *Die adjectis.*] O. vet. lib. Auctis.

g *Dies continebat*] Vet. lib. Detinebat. Ei quod ſequitur, Ianuarius dicatur, additur in membranis, & Martius.

* *Vel omnino diſſimulatus præteriretur*] In antiquiſſimo codice hæc verba non habentur, ſed aliena manu margini ſunt aſcripta.

h *Quod deprehenſum Auguſtus*] Omnes membranæ quas vel vidi, vel aliis videre licuit, Reprehenſum: quemadmodum poſt aliquot verba in

Digitized by Google

in vulgatis legitur, Vltrà novenarios temere: in vet. verò lib. Vltra novem neceſſarios temere.

i *Turpis ibi in ſpelunca occultatio*] Vet. lib. Turpi ſibi in ſpelunca occultatione. Verum nihil repono

k *Neptis infamiæ incuſatæ: mortes filiorum, & amisſis liberis, non ſolus orbitatis dolor*] Iſta lectio in o. vet. lib. invenitur.

l *Parum fidæ*] Iidem habent, Fidelis. Sequitur, *Sed & hominum fœcundet arva.* Lego in vet. libris, Sed etiam hominũ materna fœcundet arva.

## CAP. IIII.

### *De Menſtruis, de Homine, de Alectorio lapide.*

ITaque, ut Democritus phyſicus oſtendit, mulier ſolum animal menſtruale eſt, cujus profluvia non parvis ſpectata documentis inter monſtrifica meritò numerantur: contactæ his fruges non germinabunt, aceſcent muſta, morientur herbæ, amittent arbores fœtus, ferrum rubigo corripiet, nigreſcent æra: ſiquid canes inde ederint, in rabiem efferabuntur, nocituri morſibus, quibus lymphaticos faciunt. [*a* parva hæc ſunt.] Bitumen naſcitur in Iudæa, quod Aſphaltites gignit lacus, adeo lentum mollitie glutinoſa, ut à ſe nequeat ſeparari: enimvero ſi abrumpere partem velis, univerſitas ſequetur: ſcindique non poteſt, quoniam in quan-

tum ducatur, extenditur : ſed ubi admota fuerint cruore illo polluta fila, *b* ſponte diſpergitur, & applicata tabe, deducitur paulo antè corpus unum, fitque, de tenacitate connexa, contagione partitio repentina. *c* habet planè id ſolum ſalutare, quod avertit ſydus Helenæ perniciofiſſimum navigantibus. Ceterum ipſæ fœminæ quibus munus eſt neceſſitatis hujus, quandiu ſunt in ſua lege, non innocentibus oculis contuentur : aſpectu ſpecula vitiant, ita ut hebetetur viſu fulgor offenſus, & ſolitam æmulationem vultus extinctus ſplendor amittat, facieſque, obtuſi nitoris quadam caligine, nubiletur. Mulierum aliæ in æternum ſteriles ſunt, aliæ mutatis conjugiis exuunt ſterilitatem, nonnullæ tantum ſemel pariunt, quædam aut fœminas, aut mares ſemper. poſt annum quinquageſimum fœcunditas omnium conquieſcit. Nam in annum LXXX. viri generant : ſicuti Maſſaniſſa rex *d* Methymnum filium LXXX. & ſextum agens annum genuit : Cato octogeſimo exacto, ex filia *e* Salonii clientis ſui, avum Vticenſis Catonis procreavit. Compertum & illud eſt, quod inter duos conceptus, cum interceſſerit paululum temporis, uterque reſidet : ſicut in Hercule & Iphiclo apparuit, fratre ejus, qui geſtati eodem onere, intervallis tamen qui-

quibus concepti fuerant, nati videntur. Et de Proconneſia ancilla, quæ è duplici adulterio geminos edidit, utrumque patri ſuo ſimilem. Hic Iphitus Iolaum creat, qui Sardiniam ingreſſus, palantes incolarum animos ad concordiam eblanditus, Olbiam & alia Græca oppida extruxit: Iolenſes, ab eo dicti, ſepulcro ejus templum addiderunt, quod imitatus virtutem patrui, malis plurimis Sardiniam liberaſſet. Ante omnia ſubolem cogitantibus ſternutatio poſt coitus cavenda: ne prius ſemen excutiat impulſus repentinus, quam penetralibus ſe maternis inſinuet paternus humor. Quod ſi naturalis materia hæſerit, decimus à conceptu dies *f* dolore gravidas admonebit: jam inde incipiet & capitis inquietudo, & caligine viſus hebetabitur: ciborum quoque faſtidiis ſtomachi claudetur cupido. Convenit inter omnes, corda primum ex univerſa formari carne, eaque in diem quintum & ſexageſimum creſcere, *g* deinde minui: ac ex oſſibus ſpinas. eapropter capitale eſt, *h* ſi parti alterutræ noceatur. Planè ſi corpuſculum in marem figuratur, melior eſt color gravidis, & pronior partitudo uteri: denique à XL. die motus fit. Alter ſexus *i* nonageſimo die primum palpitat: & concepta fœmina geſtantis vultum pallore inficit, cru-

ra quoque præpedit languida tarditate. In utroque ſexu cum capilli germinant, incommodum majus eſt: fitque pleniluniis auctior ægritudo, quod tempus etiam *k* editis ſemper nocet. Cum ſalſiores eſcas edit gravida, unguiculis caret partus. At, cum propè ad uterum liberandum venerint momenta maturitatis, enitenti ſpiritum retinere plurimum congruit: quandoquidem letali mora oſcitatio ſuſpendit puerperia. Contra naturam eſt in pedes procedere naſcentes. quapropter velut *l* ægrè parti, appellantur Agrippæ. ita editi minus proſperè vivunt, & de vita ævo breviori decedunt. Denique in uno M. Agrippa felicitatis exemplum eſt, nec tamen uſque eò inoffenſæ, ut non plura adverſa pertulerit quam ſecunda. nam [&] miſera pedum valetudine, & aperto conjugis adulterio, & aliquot infelicitatis notis *m* retroverſi ortus omen luit. Fœminis perinde eſt infauſta nativitas, *n* ſi conſertum virginal fuerit: quo pacto genitalia fuêre Corneliæ, quæ editis Gracchis oſtentum hoc piavit ſiniſtro exitu liberorum. Rurſum necatis matribus *o* ortus eſt auſpicatior: ſicut Scipio Africanus prior, qui defuncta parente, quod exciſus utero in diem venerat, primus Romanorum Cæſar dictus eſt. E geminis, ſi remanente altero,

tero,

tero, alter abortivo fluxu exciderit, alter, qui legitimè natus eſt, Vopiſcus nominatur. Quidam etiam cum dentibus procreantur: ut Cn. Papirius Carbo, & *p* M. Curius, Dentatus ob id cognominatus. Quidam vice dentium continui oſſis armantur ſoliditate: qualem filium Bithynorum rex Pruſias habuit. Ipſum dentium numerum diſcernit qualitas ſexus, cum in viris plures ſint, in fœminis pauciores. Quos κυνόδοντας vocant, quibus *q* gemini prodeunt à dextra parte, fortunæ blandimenta promittunt: quibus à læva, verſa vice. Naſcentium vox prima vagitus eſt. lætitiæ enim ſenſus differtur in quadrageſimum diem. itaque unum novimus eadem hora riſiſſe, qua erat natus: ſcilicet Zoroaſtrem, mox optimarum artium peritiſſimum. [At] Craſſus, avus ejus, quem rapuerunt bella Parthica, quod nunquam riſerit, fertur Agelaſtos cognominatus. Inter alia Socratis magna, præclarum illud eſt, quod in eodem vultus tenore etiam adverſis interpellantibus perſtitit. Heraclitus & Diogenes Cynicus nihil unquam de rigore animi remiſerunt, calcatiſque turbinibus fortuitorum, adverſus omnem *r* dolorem & miſeriam uniformi duravêre propoſito. Pomponium poetam conſularem virum nunquam ructaſ-

ſe,

Digitized by Google

ſe, ſ habetur inter exempla. Antoniam Druſi nunquam ſpuiſſe percelebre eſt. Nonnullos accepimus naſci concretis oſſibus, eoſque neque ſudare neque ſitire conſueſſe: qualis Syracuſanus fertur Lygdamus, qui, tertia & triceſima Olympiade, primus ex Olympico certamine pancratii coronam reportavit, cujus oſſa deprehenſa ſunt medullam non habere. Maximam virium ſubſtantiam nervos facere certiſſimum eſt, quantoque fuerint denſiores, tanto propenſius augeſcere firmitatem. Varro in relatione prodigioſæ fortitudinis annotavit, t Tritanum Samnitem, gladiatorem natura fuiſſe, qui & rectis & tranſverſis nervis non modo crate pectoris, ſed & manibus cancellatis, & brachiis, omnes adverſarios levi tactu, ac penè ſecuris congreſſionibus vicerit: ejuſque filium, militem Cn. Pompeii, pari modo natum, ita ſpreviſſe hoſtem provocantem, ut inermi eum dextra & ſuperaret, & captum digito uno in caſtra imperatoris ſui reportaret. Milonem quoque Crotonienſem ferunt egiſſe omnia ſupra quam homo valet. de quo etiam hoc proditur, quod ictu nudæ manus taurum fecit victimam, eumque ſolidum, qua mactaverat die, abſumſit ſolus, non gravatim. Super hoc nihil dubium.. nam factum elogium extat,

Vi-

Digitized by Google

Victor ille omnium certaminum obiit. vSanè Alectore traditur uſus, qui cryſtallina ſpecie, fabæ modo, in gallinaceorum ventriculis reperitur, aptus, ut dicunt, præliantibus. Milo porrò Tarquinii Superbi [Priſci] temporibus emicuit.

## IN CAP. IV.

a *Parva hæc ſunt*] Ignoro cur in apographo hæc deſiderentur.

b *Sponte diſcerpitur, & applicita tabe*] Vet. cod. Sponte diſpergitur & applicita labe.

c *Habet planè id ſolum ſalutare*] Ex antiquorum codic. fide repone, Habet planè illud ſolum in ſe ſalutare. Ei quod ſequitur, SIDVS HELENAE pernitioſum navigantibus, repugnat in Oreſte extremo Euripides, benevolum Helenæ ſignum nautis tradens: verum nihilominus eſt quod Solinus ſcripſit.

d *Methymnum*] Ludovicus Cario I. C. margini codicis mei adſcripſit, in tribus cod. ſcriptis contineri, quod & ego in Lipſii lib. deprehendi, Machumannum, Qua in re illis non repugno. quidni enim, cum de ipſius appellatione ſcriptores diſſentiant, tot tam antiquis libris aſſentiamur?

e *Salonii*] A Gellius Noct. Attic. lib. XIII, de hoc Catone ſcribit, Ipſe quoque jam multum ſenex; Salonii clientis ſui filiam virginem duxit, &c. Hæc ideo fuit viſum adducere, ne quis temere membranis aſſentiatur, in quibus, Solonis inveniet.

f *Dolore*] Vet. lib. Doloris gravidas.

g *Deinde minui, ac ex oſſibus ſpinas*] Aliter vet. lib. nam habent, Deinde minutas ex oſſibus

ſpinas,

ſpinas. Mihi locus non uſque adeo integer videtur.

h *Si pars alterutra noceatur*] Non arbitror Solinum ſic locutum fuiſſe. mendoſè etiam vet.cod. Si pars alterutra notatur. Quare, aut legendum eſt, moveatur: aut ſanè, Si parti alterutri noceatur.

i *Nonageſimo die primum*] In m. ſ. eſt. Nonageſimo primo die. alio ſenſu.

k *Editis ſemper*] Fortaſſis ſcribendum, recens.

l *Velut ægrè parti*] Vet. lib. Velut ægri partus. Plinius lib. VII, Appellavêre Agrippas ut ægrè partos.

m *Retroverſi ortus*] Sequor m. ſ. qui, præpoſteri. cum id & in Plinio legatur.

n *Si concretum virginale fuerit*] Emendavi, quemadmodum in vet. lib. legitur, Si conſertum virginal fuerit.

o *Ortus eſt auſpicatior*] M. ſ. Natus. non malè.

p *M. Curio*] Repone M. Curius. Idem mendoſè à Plinio, lib. VII, cap. XVI. Marcus vocatur.

q *Gemini prodeunt*] Procedunt, habent lib. ſcripti.

r *Dolorem & miſeriam*] Cod. ant. Dolorem & miſericordiam. Miſeriam è noſtris patimur, miſericordia ex alienis tangimur.

ſ *Habetur inter exempla*] Vet. lib. Habetur exemplar.

t *Tritanum Samnitem gladiatorem natura fuiſſe*] Ait Tritanum Samnitem non arte, ſed naturali quodam habitu ad gladiatoriam aptum exſtitiſſe. nec mirum, cum Samnis foret, qui eo nomine malè audiebant. Temerè itaque fecerunt qui huc diverſiſſimam ab o. l. lectione ſcripturam invehe-

re

Digitized by Google

re tentarunt, & quidem gladiatore Samnite quam homine litterato digniorem.

v *Sanè Alectorius, &c.*] Velim partim ex conjectura, partim ex vet. lib. emendari, Sanè Alectero uſus traditur, qui ſpecie cryſtallina, fabæ modo, in gallinaceorum, &c.

## CAP. V.

### *De Similitudine, & corporum proceritate, de menſura hominis, & pudore defunctorum.*

IAm verò qui deflexum animum referat ad ſimilitudinum cauſſas, quantum artificis naturæ ingenium deprehendet? Interdum enim ad genus ſpectant, & per ſubolem in familias tranſitus faciunt: ſicut plerunque parvuli, modo nervos, modo cicatrices, modo qualeſcunque originis ſuæ notas ferunt: ut in Lepidis, quorum tres, intervulſa tamen ſerie, ex eadem domo obducto membrana oculo ſimiles geniti reperiuntur: ut in Byzantino nobili pugile, qui cum matrem haberet adulterio ex Æthiope conceptam, quæ nihil patri comparandum reddidiſſet, ipſe in Æthiopem avum degeneravit. Sed hoc minus mirum, ſi reſpiciamus ad ea quæ ſpectata ſunt inter externos. Regem Antiochum

chum *a* Antemon quidam, ex plebe Syriaca, ſic facie æmula mentiebatur, ut poſtmodum Laodice uxor regia, objecto populari iſto Antemone tandiu diſſimulaverit defunctum maritum, quoad ex arbitratu ejus regni ſucceſſor ordinaretur. Inter Cn. Pompeium, & *b* Vibium humili loco natum, tantus error extitit de paribus lineamentis, ut Romani Vibium Pompeii nomine, Pompeium Vibii vocabulo cognominarent. Oratorem L. Plancum Rubrius hiſtrio ſic implevit, ut & ipſe Plancus à populo vocaretur. Armentarius Mirmillo, & Caſſius Severus orator, ita ſe mutuo reddiderunt, ut, ſi quando pariter viderentur, dinoſci non poſſent, niſi diſcrepantiam habitus indicaret. M. Meſſalla Cenſorius, & Menogenes, *c* ex fæce vulgari, hoc fuerunt uterque quod ſinguli: ut nec alium Meſſallam quam Menogenem, nec Menogenem alium quam Meſſallam, putarent. Piſcator ex Sicilia proconſuli Suræ, præter alia, etiam rictu oris comparabatur: *d* ita in eodem vocis impedimento, & tardatæ ſono linguæ, naturalibus offendiculis congruebant. Interdum [ verò ] non modo inter externos, ſed etiam inter conductos ex diverſiſſima parte orbis, miraculo indiſcreti vultus fuêre. Denique cum Antonio

nio jam triumviro Toranius quidam eximios forma pueros, velut geminos, trecentis ſeſtertiis vendidiſſet, quorum alterum de Tranſalpina Gallia, alterum ex Aſia comparaverat, adeoque una res viderentur, niſi ſolus ſermo fidem panderet. atque ideo cum irriſum ſe Antonius gravaretur, non inficetè Toranius id vel præcipuè, quod emtor criminabatur, pretioſius probavit. neque enim mirum ſi forent pares, gemini: illud nullis poſſe taxationibus æſtimari, quod tantis ſpatiis diverſitas ſeparatos plus quam geminos attuliſſet. quo reſponſo adeo Antonius mitigatus eſt, ut deinceps nihil ſe habere carius in ſubſtantia ſua jactitaret. Nunc ſi de ipſis hominum formis requiramus, liquido manifeſtabitur, nihil de ſe antiquitatem mendaciter prædicaſſe, ſed corruptam degeneri ſucceſſione ſubolem noſtri temporis, per e naſcentium detrimenta, decus veteris pulcritudinis perdidiſſe. Licet ergo plerique definiant, nullum poſſe excedere longitudinem VII pedum, quod intra menſuram iſtam Hercules fuerit: deprehenſum eſt tamen Romanis temporibus, ſub D. Auguſto, Puſionem & Secundillam denos pedes & amplius habuiſſe proceritatis: quorum reliquiæ adhuc in conditorio Salluſtianorum videntur:

poſt-

poſtmodum, D. Claudio principe, Gabbarum nomine, ex Arabia advectum, novem pedum, & totidem unciarum. Sed ante Auguſtum, annis fermè mille, non apparuit forma hujuſmodi, ſicut nec poſt Claudium viſa eſt. Quis enim jam ævo iſto non minor ſuis parentibus naſcitur? Priſcorum autem molem teſtantur etiam Oreſtis ſuprema, cujus oſſa Olympiade quinquageſima & octava Tegeæ inventa à Spartanis oraculo monitis, didicimus impleſſe longitudinem cubitorum VII. *f* Scripta quoque ex antiquitate memorias arceſſunt in fidem veri: quibus receptum eſt, quod bello Cretico, cum elata flumina, impetu plus quam vi amnica invecta, terras rupiſſent, poſt diſceſſum fluctuum, inter plurima humi diſcidia, humanum cadaver repertum ſit, cubitûm trium atque triginta: cujus ſpectandi cupidine L. Flaccum legatum, Metellum etiam ipſum impendiò captos, miraculi, quod auditu refutarant, oculis potitos. Non omiſerim, *g* Salaminam Euthymenis filium creviſſe in triennio tria cubita ſublimitatis, ſed inceſſu tardo, ſenſu hebeti, robuſta voce, pubertate feſtina: ſtatimque obſeſſum morbis plurimis: immoderatis ægritudinum ſuppliciis, compenſaſſe præcipitem incrementi celeritatem. Menſuræ ratio bi-

fa-

Digitized by Google

fariam convenit. nam quantus, manibus expanſis, inter digitos longiſſimos modus eſt, tantum conſtat eſſe inter calces & verticem. Ideòque phyſici hominem, minorem mundum [eſſe] judicaverunt. Parti dextræ habilior aſcribitur motus, lævæ firmitas major. unde altera geſticulationibus promtior eſt, altera oneri ferendo accommodatior. Pudoris diſciplinam etiam inter defuncta corpora natura diſcrevit: *h* ut ſiquando cadavera necatorum fluctibus evehantur, virorum ſupina, prona fluitent fœminarum. Verum jam ad pernicitatis titulum tranſeamus.

## IN CAP. V.

a *Arteon quidam*] O. vet. lib. Antemon. & paullo poſt, Objecto vulgari iſto, addunt, Antemone.

b *Et Vibium*] Vet. lib. & Cn. Vibium.

c *Ex fæce vulgari*] Pro, Ex fæce, habent vet. lib. effigie. Quid ſi tamen legamus, ex fæce vulgi?

d *Ita in eodem vocis impedimento, & tarditate ſono linguæ*] Eſt in m. ſ. Ita in eadem vocis impedimenta & tardatæ ſonum linguæ, &c.

e *Naſcentium detrimenta*] Cod. vet. habent, Naſcendi.

f *Scripta quoque ex antiquitate memorias arceſſunt, in fidem veri, quibus receptum eſt, quod, &c.*] Vet. libri, Scripta quoque, quæ ex antiquitate memorias accerſunt, in fidem veri eſſe cœperunt, quod, &c. Quæ ſequuntur etiam longè aliter tradunt,

dunt, quam excuſi, hoc pacto: Cum elata flumina pluſquam vi amnica, terras rupiſſent, poſt diſceſſum fluctuum, inter plura humi diſcidia, humanum corpus repertum, cubitûm trium atque triginta: cujus inſpectandi cupidine L. Flaccum legatum, Metellum etiam ipſum, impendiò captos, miraculi, quod auditu refutaverant, oculis potitos. Si non optimè, melius certè quam hactenus, ita legetur.

g *Salaminam*] Vet. lib. Salaminæ.

h *Vt ſi*] Vet. lib. Ac ſiquando, Quod ſi amplectamur, evehuntur, &, fluitant, erit ſcribendum.

## CAP. VI.

## *De Velocitate, Viſu, & Fortitudine.*

PRimam palmam velocitatis Ladas quidam adeptus eſt, qui ita ſupra cavum pulverem curſitavit, *a* ut harenis pendentibus, nulla indicia relinqueret veſtigiorum. Polymneſtor Mileſius puer, cum à matre locatus eſſet ad caprarios paſtus, ludicro leporem conſecutus eſt: & ob id ſtatim productus à gregis domino, Olympiade ſexta & quadrageſima, ut Bocchus auctor eſt, victor in ſtadio meruit coronam. Philippides biduo *b* mille centum quadraginta ſtadia, ab Athenis Lacedæmonem, decurrit. *c* Aniſtis Lacon, & Philo-

Philonides, Alexandri Magni curſores, *d* Elim abuſque Sicyone mille ducenta ſtadia uno die tranſierunt. Fonteio *e* Vipſanioque coss. in Italia octo annos puer natus, *f* quinque & LXX. millia paſſuum à meridie tranſivit ad veſperum. Viſu deinde plurimum potuit Strabo nomine, quem perſpexiſſe per centum XXXV. millia paſſuum Varro ſignificat, ſolitumque, à Carthagine exeunte claſſe Punica, numerum navium manifeſtiſſime è Lilybetana ſpecula denotare. *g* Cicero tradit Iliada Homeri ita ſubtiliter in membranis deſcriptam, ut teſta nucis clauderetur. Callicrates formicas ex ebore ſic ſculpſit, ut portio earum à ceteris ſecerni nequiverit. Apollonides perhibet in Scythia fœminas naſci, quæ Bithyæ vocantur: eas in oculis pupillas geminas habere, & perimere viſu, ſi quem fortè iratæ aſpexerint. *h* [hæ ſunt & in Sardinia.] Prævaluiſſe fortitudine apud Romanos L. *i* Siccium Dentatum titulorum numerus oſtendit. Tribunus hic plebis fuit, non multo poſt exactos reges, Sp. Tarpeio, A. *k* Haterio coss. Idem ex provocatione octies victor, quadraginta & quinque habuit adverſas cicatrices, in tergo nullam notam: ſpolia ex hoſte tricies & quater cepit: in *l* phaleris, haſtis puris, armillis, coronis, torquibus,

tre-

trecenta XII dona meruit: novem imperatores, qui opera ejus vicerant, triumphantes proſecutus [eſt.] Poſt hunc M. Sergius duobus ſtipendiis, primo, adverſo corpore ter & vicies vulneratus: ſecundo ſtipendio, in prælio dextram perdidit, qua de cauſa ferream ſibi manum fecit: & cum neutra penè idonea ad præliandum valeret, una die quater pugnavit, & vicit ſiniſtra, duobus equis eo inſidente confoſſis: ab Annibale bis captus refugit: cum viginti menſibus, quibus *m* captivitatis ſortem perferebat, nullo momento ſine compedibus fuerit, & catenis: omnibus aſperrimis præliis, quæ tempeſtate illa Romani experti ſunt, inſignitus donis militaribus, à Thraſymeno, Trebia, Ticinoque, coronas civicas retulit: Cannenſi quoque prælio; de quo refugiſſe eximium opus virtutis fuit, ſolus accepit coronam. beatus profecto tot ſuffragiis gloriarum, niſi in poſteritatis ejus ſucceſſione, Catilina tantas adoreas odio damnati nominis obumbraſſet. Quantum inter milites Siccius, aut Sergius, tantum inter duces, imò, ut verius dicam, inter omnes homines Cæſar dictator enituit. hujus ductibus undecies centum & nonaginta duo millia cæſa [ſunt] hoſtium. nam quantum bellis civilibus fuderit, noluit annotari.

*n* ſignis

n ſignis collatis quinquagies & bis dimicavit: M. Marcellum ſolus ſupergreſſus, qui novies & tricies pari modo fuerat prǫliatus. Ad hæc nullus celerius ſcripſit: nemo velocius legit. quaternas etiam epiſtolas ſimul dictaſſe perhibetur. Benignitate adeò præditus, ut quos armis ſubegerat, clementia magis vicerit.

## IN CAP. VI.

a *Vt harenis pendentibus*] M. ſ. codices, Vt in harenis pendentibus.

b MCCXL. *ſtadia*] Plinius, item optima Solini exemplaria calamo exarata, MCXL. ſtadia.

c *Aniſtius*] Vet. lib. Aniſtis: & cum ſic in emendatioribus Plinii codicibus vocetur, hoc reſtituendum.

d *A Sicyone Elin uſque* M. CC. *ſtadia una die tranſierunt*] Opinor legendum, Elim ab uſque Sicyone M. CC. ſtadia uno die tranſierunt. Quia in in m. ſ. nullo ſenſu continetur, Elim ab uſque Sicyonem M. CC. ſtadia uno die tranſierunt.

e *Vipſaneque*] Scribo, Vipſanioque. Erat enim C. Vipſanius, C. F. Poplicola Apronianus.

f *Quinque & quadraginta*] Plinio conſentit vet. cod. continens, quinque & ſeptuaginta.

g *Cicero tradit Iliada Homeri ita ſubtiliter in membranis deſcriptam, ut teſta nucis clauderetur*] Vet. lib. C. t. Iliadem omnem i. ſ. i. m. ſcriptam, &c. Quæ verba apud Plinium in hunc ſcripta modum habentur, In nuce incluſam Iliada, Homeri carmen, in membrana ſcriptum tradidit Cicero. quo loco, ex ſupraſcriptis Solini verbis, quiſpiam non

omnino fortaſſis ineptè judicet ſcribendum, I
nuce incluſam Iliada Homeri omnem, in membra
na ſcriptam, tradidit Cicero.

h *Hæ ſunt & in Sardinia*] Hæc in vet. quider
codicib. non apparent. quare ut ſpuria deleantu

i *Siciniam*] Iidem. Sinnium: Lege Sicciun
Nam Dionyſio, Λεύκιος Σίκκιος Δεντᾶτος

k *A. Thermo*] Scribe, non hic tantum, ſe
etiam apud Dionyſium, Plinium, Gellium, & Ca
ſiodorum, ex nummis antiq. *A. Haterio.*] In n
ſ. legitur, Aterio. In Diodoro Α᾿στέριος mal
pro Α῾τέριος.

l *Phaleris*] Ferdinandus Pintianus, qui eju
regionis, quæ totius Europæ clarum lumen eſ
clariſſimum ipſe lumen fuit, ut numerus donc
rum conſtet, Torquibus, addit.

m *Captivitatis ſortem*] Membranæ, fortem.

n *Signis collatis quinquagies & bis dimicavi*
Plinius, Signis collatis quinquagies dimicavit.

## CAP. VII.

### *De memoria. De voce ademta & adepta. De morum laude. De eloquentia. De pietate. De pudicitia, & felicitate.*

CYrus memoriæ bono *a* claruit, qui ir
exercitu, cui numeroſiſſimo præfuit
nominatim ſingulos alloquebatur. Feci
hoc idem in populo Romano L. Scipio
Sed & Cyrum & Scipionem conſuetudin
credamus profeciſſe. Cyneas Pyrrhi lega
tus

tus, poſtero die quam ingreſſus Romam fuerat, & equeſtrem ordinem & Senatum propriis nominibus ſalutavit. Rex Ponticus Mithradates duabus & viginti gentibus, quibus imperabat, ſine interprete jura dixit. Memoriam & arte fieri, palàm factum eſt: ſicut Metrodorus philoſophus, qui temporibus Diogenis Cynici fuit, in tantum ſe meditatione aſſidua provexit, ut à multis ſimul dicta, non modo ſenſuum ſed etiam verborum ordinibus retineret. Nihil tamen in homine aut metu, aut caſu, aut morbo facilius intercipi, ſæpe perſpectum eſt. Qui lapide ictus fuerat, accepimus oblitum litterarum: Meſſallam certè Corvinum, poſt ægritudinem quam pertulerat, percuſſum proprii nominis oblivione, quamlibet aliâs ei ſenſus vigeret. Memoriam metus peremit. Invicem [timor] vocis eſt incitamentum, quam non ſolum acuit, ſed, etiam, ſi nunquam fuerit, extorquet. Denique cum Olympiade octava & quinquageſima victor Cyrus intraſſet Aſiæ oppidum Sardis, ubi tunc Crœſus latebat, Atis filius Regis, mutus ad id uſque temporis, in vocem erupit vi timoris. exclamaſſe enim dicitur, Parce patri meo Cyre, & te hominem eſſe, vel caſibus diſce noſtris. Tractare de moribus, ſupereſt; quorum excellentia

maximè in duobus enituit. Cato, princeps Porciæ gentis, ſenator optimus, optimus imperator, orator optimus, cauſam tamen quadragies & quater dixit, diverſis odiorum ſimulatibus appetitus, ſemper abſolutus. Vnde Scipionis Æmiliani laus propenſior, qui præter bona quibus Cato clarus fuit, etiam publico amore præceſſit. Vir optimus Naſica Scipio judicatus eſt, non privato tantum teſtimonio, ſed totius ſenatus ſacramento: quippe quod inventus dignior non fuit cui præcipuę religionis crederetur myſterium, cum oraculum moneret accerſiri ſacra deûm matris Peſſinuntiæ. Plurimi inter Romanos eloquentia floruerunt: ſed hoc bonum hereditarium nunquam fuit, niſi in familia Curionum, in qua tres ſerie continua oratores fuêre. Magnum hoc habitum eſt ſanè eo ſæculo, quo facundiam præcipuè & humana & divina mirata ſunt. Quippe tunc percuſſores Archilochi poetæ Apollo prodidit, & latronum facinus deo arguente detectum eſt. Cumque Lyſander Lacedæmonius Athenas obſideret, ubi Sophoclis tragici inhumatum corpus jacebat, identidem Liber pater ducem monuit per quietem, ſepeliri delicias ſuas ſinere: nec prius deſtitit, quam Lyſander, cognito quis obiiſſet diem, & *b* quid à nu-

mine

Digitized by Google

mine poſceretur, inducias bello daret, uſque dum congruæ ſupremis talibus exequiæ ducerentur. *c* Pindarum lyricum è convivii loco cui imminebat ruina, ne cum ceteris interiret, forinſecus Caſtor & Pollux vocaverunt, inſpectantibus univerſis; quo factum eſt ut ſolus impendens periculum evaderet: Numerandus poſt deos Cn. Pompeius Magnus, intraturus Poſſidonii domum, clariſſimi tunc ſapientiæ profeſſoris, percuti ex more à lictore vetuit fores, ſummiſſiſque faſcibus, quamlibet confecto Mithradatico bello, & orientis victor, ſententia propria ceſſit januæ litterarum. Africanus prior Q. Ennii ſtatuam imponi ſepulcro ſuo juſſit. Vticenſis Cato unum ex tribunatu militum philoſophum, alterum ex Cypria legatione Romam advexit, profeſſus plurimum ſe eo facto Senatui & populo Romano contuliſſe: quamvis proavus ejus ſæpiſſime cenſuiſſet Græcos urbe pellendos. Dionyſius tyrannus vittatam navem Platoni obviam miſit, ipſe cum albis quadrigis, *d* egredienti in litore occurrens, honoravit eum. Perfectam prudentiam ſoli Socrati oraculum Delphicum adjudicavit. Pietatis documentum nobilius quidem in Metellorum domo refulſit, ſed eminentiſſimum in plebeia puerpera reperitur. hu-

milis hæc, atque ideo famæ obſcurioris, cum *e* ad parentem quæ ſupplicii cauſſa clauſtris pœnalibus continebatur, ægrè obtinuiſſet ingreſſus, exquiſita ſæpius à janitoribus, ne fortè parenti cibum ſubminiſtraret, alere eam uberibus ſuis deprehenſa eſt. Quæ res & factum & locum conſecravit. nam quæ morti deſtinabatur, donata filiæ, in memoriam tanti præconii reſervata, locus dicatus *f* ſuo numini, Pietatis ſacellum eſt. Navis à Phrygiâ, gerula ſacrorum, dum ſequitur vittas caſtitatis, contulit Claudiæ principatum pudicitiæ. Et Sulpicia Paterculi filia, M. Fulvii Flacci uxor, cenſura omnium matronarum, *g* è centum probatiſſimis haud temere delecta eſt, quæ ſimulacrum Veneris, ut Sibyllini libri monebant, dedicaret. *h* Quod attinet ad titulum felicitatis, necdum repertus eſt qui felix cenſeri jure debuerit. Namque Cornelius Sulla dictus potius eſt quam fuit felix. Solum certè beatum cortina Aglaum judicavit, qui, in anguſtiſſimo Arcadiæ angulo, pauperis ſoli dominus, nunquam egreſſus paterni ceſpitis terminos invenitur.

## IN CAP. VII.

a *Claruit* ] Vet. lib. inclaruit.

Quod ſequitur, *Memoriam ex arte fieri* ] Vel induc

duc vocem, ex: vel, ut antiq. cod. habet, repone &c.

b *Quid à numine*] Vet. lib. habent, Eo quod à numine.

c *Pindarum*] Aut eſt hoc nobile peccatum memoriæ, aut mendum in o. l. inſigne. Illud quidem, ſi Solinus Pindaro tribuat quod Simonidi contigit: hoc verò, ſi, quæ ab auctore bene fuerant tradita, ea librarii perperam immutarunt.

d *Egredientem è litore occurrens honoratus eſt*] M. ſ. exemplaria habent, Egredienti in litore occurrens, honoravit eum. Plinius autem, Ipſe quadrigis, inquit, albis, egredientem in litore excepit. Atque hæc lectio Solini auctoritate ſtabilita, amplius arridet eâ quam Pintianus ingenioſè, verum haut ſcio an ſatis è mente Plinii, excogitavit.

e *Ad patrem*] Quanquam ſic omnes libri contineant, tamen quia ratio & fides hiſtoriæ hoc poſtulat, vel, matrem, vel parentem (unde fortaſſis, patrem, ex gloſ. in contextum irrepſit) legendum videtur,

f *Suo numini*] Nomini habet ſcrip. liber.

g *E centum probatiſſimis, haut temere electa eſt*] Vet. lib., pro, e, habent, a: & delecta, pro electa,

h *Qui attingat*] Vet lib. quod attinet.

## CAP. VIII.

### *De Italia, & ejus laudibus, deque peculiaribus multis quæ in ea reperiuntur.*

DE homine ſatis dictum habeo. Nunc, ut ad deſtinatum revertamur,

mur, ad locorum commemorationem ſtylus dirigendus eſt, atque adeo principaliter in Italiam, cujus decus jam in Vrbe contigimus. Sed Italia tanta cura ab omnibus dicta [eſt,] præcipuè à M. Catone, ut jam inveniri non poſſit quod non veterum auctorum præſumpſerit diligentia, largiter in laudem excellentis terræ materia ſuppetente: dum ſcriptores præſtantiſſimi reputant locorum ſalubritatem, cæli temperiem, ubertatem ſoli, aprica collium, opaca nemorum, innoxios ſaltus, vitium olearumque proventus, *a* ovilia, pecuaria, tot amnes, lacus tantos, biſera violaria, inter hæc Veſuvium flagrantis animæ ſpiritu vaporantem, tepentes fontibus Baias, colonias tam frequentes, tam aſſiduam novarum urbium gratiam, tam clarum decus veterum oppidorum, quæ primum Aborigines, *b* Aurunci, Pelaſgi, Arcades; Siculi, totius poſtmodum Græciæ advenæ, & in ſumma, victores Romani condiderunt. ad hæc *c* litora portuoſa, oraſque habet patentibus gremiis commercio orbis accommodatas. Verum ne prorſus intacta videatur, in ea quæ minus trita ſunt animum intendere, haud abſurdum videtur: & parcius depaſta, levibus veſtigiis inviare. Nam quis ignorat vel dicta vel condita, à Iano Ianiculum,

culum, à Saturno Latium atque Saturniam, à Danae Ardeam, à comitibus Herculis, *d* Polyden; ab ipſo, in Campania *e* Pompeios, qua victor ex Hiſpania pompam boum duxerat? in Liguria quoque lapidarios campos, quod à Iove, eo dimicante, creduntur ſaxa pluiſſe: regionem Ionicam, ab Ione *f* Naulochi filia, quam procaciter inſidentem vias Hercules interemit, ut ferunt: Archippen, à Marſya rege Lydorum, quod hiatu terræ hauſtum, diſſolutum eſt in lacum Fucinum: ab Iaſone, templum Iunonis Argivæ: *g* à Pelopidis, Piſas: à Cleolao Minois filio, Daunios: *h* Iapygas, ab Iapyge Dædali filio: Tyrrhenos, à Tyrrheno Lydiæ rege, Coram, à Dardanis: *i* Agillam à Pelaſgis, qui primi in Latium litteras intulerunt: ab Haleſo Argivo, Phaliſcam: *k* à Phalerio Argivo, Phalerios: Feſcennium quoque ab Argivis: portum Parthenium, à Phocenſibus: Tibur (ſicut Cato facit teſtimonium) à Catillo Arcade præfecto claſſis Euandri: ſicut Sextius, ab Argiva juventute. Catillus enim Amphiarai filius, poſt prodigialem patris apud Thebas interitum, OEclei avi juſſu, cum omni fœtu *l* ver ſacrum miſſus, tres liberos in Italia procreavit, Tiburtum, Coram, Catillum, qui, depulſis ex oppido Siciliæ veteribus



Digitized by Google

ribus Sicanis, à nomine Tiburti fratris natu maximi urbem vocarunt. Mox in *m* Bruttiis ab Vlyſſe exſtructum templum Minervæ. Inſula Ligea appellata abjecto ibi corpore Sirenis, ita nominatæ. Parthenope à Parthenopes Sirenis ſepulchro, quam Auguſtus poſtea Neapolin eſſe maluit: Præneſte, ut Zenodotus [refert,] à Præneſte, Vlyſſis nepote, Latini filio, [aut] ut Præneſtini ſonant libri, à Cæculo, quem juxta ignes fortuitos invenerunt, ut fama eſt, *n* Digitiorum ſorores. Notum eſt à Philoctete *o* Peteliam conſtitutam: Arpos, & Beneventum à Diomede, Patavium ab Antenore, Metapontum à Pyliis, Scyllaceum ab Athenienſibus, Sybarim à Trœzeniis, & à Sagari Ajacis Locri filio, *p* Sallentinos à Lyciis, Anconam à Siculis, Gabios à Galatio & Bio Siculis fratribus, ab Heraclidis Tarentum, inſulam Tenſam ab Ionibus, Pæſtum à Dorenſibus, à Myſcello Achæo Crotonam, Rhegium à Chalcidenſibus: *q* Cauloniam & Terinam a Crotonienſibus, à Nariciis Locros: Heretum à Græcis in honorem Heræ (ſic enim Iunonem Græci vocant) Aritiam ab Archilocho Siculo, unde & nomen, ut Caſſio Heminæ placet, tractum. hoc in loco Oreſtes oraculo monitus ſimulacrum Scythicæ Dianæ,

anæ, quod de Taurica extulerat, prius quam Argos peteret, conſecravit. A Zanclenſibus Metaurum locatum, a Locrenſibus Metapontum, quod nunc Vibo dicitur. Bocchus abſolvit, Gallorum veterum propaginem Vmbros eſſe: M. Antonius *r* refert eoſdem, quod tempore aquoſæ cladis imbribus ſuperfuerint, *ſ* Ὀμβρίους Græcè nominatos. Liciniano placet à Meſſapo Græco Meſſapiæ datam originem, verſam poſtmodum in nomen Calabriæ: quam in exordio OEnotri frater Peucetius Peucetiam nominarat. *t* Par ſententia eſt inter auctores, à gubernatore Æneæ appellatum Palinurum, à tubicine [Miſeno] Miſenum, à conſobrina *v* Leucaſiam inſulam. Inter omnes perſpicuè convenit, à nutrice Cajeta Cajetam, *x* ab uxore Lavinia Lavinium eſſe nuncupatum: quod poſt Trojæ excidium, ſicut Coſconius perhibet, quarto anno exſtructum eſt. Nec omiſſum ſit Æneam, æſtate ab Ilio capto ſecunda, Italicis litoribus appulſum, ut Hemina tradit, ſociis non amplius ſexcentis, in agro Laurenti poſuiſſe caſtra: ubi dum ſimulacrum quod ſecum ex Sicilia advexerat, dedicat Veneri matri, *y* quæ Frutis dicitur, à Diomede Palladium ſuſcipit, tribuſque mox annis cum Latino regnat, ſocia poteſtate, quin-

gentis jugeribus ab eo acceptis : quo defuncto, ſummam biennio adeptus, apud Numicum apparere deſiit : z. annoque ſeptimo patris indigetis ei nomen datum. Deinde conſtitutæ ab Aſcanio, longa Alba, Fidenæ, [ Antium , ] Nola à Tyriis , ab Eubœenſibus Cumæ. Ibidem Sibyllæ ſacellum eſt , ſed ejus quæ rebus Romanis , quinquageſima Olympiade , interfuit, cujuſque librum ad Cornelium uſque Sullam Pontifices noſtri conſulebant. tunc enim unâ cum Capitolio igni abſumtus eſt. nam priores duos , Tarquinio Superbo parcius precium offerente quam poſtulabatur , ipſa exuſſerat. hujus ſepulcrum in Sicilia adhuc manet. Delphicam autem Sibyllam ante Trojana bella vaticinatam Bocchus autumat , cujus plurimos verſus operi ſuo Homerum inſeruiſſe manifeſtat. Hanc *aa* Herophile Erythræa annis aliquot intercedentibus conſecuta eſt, Sibyllaque appellata eſt, de ſcientiæ parilitate , quæ inter alia magnifica Lesbios amiſſuros imperium maris multo antè præmonuit, quam id accideret. [ ita ] Cumanam tertio fuiſſe poſt has loco , ipſa ævi ſeries probat. Ergo Italia, in qua Latium antiquum, antè a Tiberis oſtiis [ad] uſque Lyrim amnem

nem pertinebat, univerſa conſurgit à jugis Alpium, porrecta ad Rheginum verticem, & litora Bruttiorum, quò in mare meridiem verſus protenditur: inde procedens paulatim, ſe Apennini montis dorſo attollit, extenſa inter Tuſcum, & Adriaticum, id eſt, inter ſuperum mare & inferum: ſimilis querno folio, ſcilicet proceritate amplior quam latitudine. Vbi *b* * longius proceſſit, in cornua duo ſcinditur, quorum alterum Ionium ſpectat æquor, alterum Siculum. Inter quas prominentias non uno margine acceſſum inſinuati freti recipit, *c* * ſed longius à ſe projectis ac procurrentibus diſtinctum promontoriis, pelagus *d* * admittit. Ibi, (ut obvia *e* * paſſim notemus) arces Tarentinæ, *Scyllæa* regio, cum *Scyllæo* oppido, & *f* * Crateide flumine Scyllæ matre, ut vetuſtas fabulata eſt, Rhegini ſaltus, Pæſtanæ valles, *Sirenum* ſaxa, amœniſſimus Campaniæ tractus, Phlegræi campi, Circes domus, Tarracina inſula, antè circumflua immenſo mari, nunc ævo nectente addita continenti: diverſamque fortunam à Rheginis experta, quos fretum medium à Siculis vi abſcidit: Formiæ etiam Læſtrygonibus habitatæ: multa præterea pollentiſſimis ingeniis ediſſerta, quæ præterire, quam inferius exſequi, tutius

tius duximus. Verum Italiæ longitudo, quæ ab Auguſta Prætoria per urbem Capuam porrigitur, uſque ad oppidum Rhegium, decies centena & viginti millia paſſuum g * colligit: latitudo ubi plurimum, CCCCX. ubi minimum, CXXXVI [millia.] artiſſima eſt ad portum, quem Annibalis caſtra dicunt, neque enim excedit quadraginta millia. Vmbilicum, ut Varro tradit, in agro Reatino habet. At in ſolidum ſpatium circuitus universi vicies quadragies novies centena ſunt. In quo ambitu adverſa Locrenſium fronte ortus à Gadibus finitur Europæ ſinus primus. nam ſecundus à Lacinio auſpicatus h * in Acroceraunìis metas habet. Ad hæc Italia Pado clara eſt, quem mons Veſulus ſuperantiſſimus inter iuga Alpium gremio ſuo fundit, i * viſendo fonte in Ligurum finibus, unde ſe primum Padus proruit: ſubmerſuſque cuniculo, rurſus in agro Vibonenſi extollitur, nulli amnium inferior claritate, à Græcis dictus H'ριδανός. intumeſcit exortu Canis, tabefactis nivibus & liquentibus brumæ pruinis: auctuſque aquarum acceſſione, XXX. flumina in Adriaticum defert mare. Eſt è memorabilibus inclytum, & inſigniter per omnium ora vulgatum, quod perpaucæ familiæ ſunt in agro Faliſcorum, quos Hirpos vocant.

cant. hi ſacrificium annuum ad *k* * montem Soractem Apollini faciunt: idque operantes geſticulationibus religioſis impunè *l* * inſultant ardentibus lignorum ſtruibus, in honorem divinæ rei flammis parcentibus. cujus devotionis *m* * miniſterium munificentia ſenatus honoratum, Hirpis perpetuò omnium munerum vacationem dedit. Gentem Marſorum ſerpentibus illæſam eſſe, nihil mirum: à Circes filio genus ducunt, & de avita potentia deberi ſibi ſentiunt ſervitium venenorum, ideoque venena contemnunt. C. Cælius Æetæ tres filias, *n* * Anguitiam, Medeam & Circen *o* * dicit fuiſſe: Circen Circæos inſediſſe montes, carminum maleficiis varias imaginum facies mentientem: Anguitiam vicina Fucino occupaviſſe, ibique ſalubri ſcientia adverſus morbos reſiſtentem, cum deſiſſet hominem vivere, deam habitam: Medeam ab Iaſone Buthroti ſepultam, filiumque ejus Marſis imperaſſe. Sed quamvis Italia habeat hoc præſidium familiare, à ſerpentibus non penitus libera eſt. Denique habitatores ab Amyclis, quas antè Græci condiderant, ſerpentes fugavêre. Illic frequens vipera inſanabili morſu: brevior hæc cæteris quas in aliis advertimus orbis partibus, ac propterea dum deſpectui eſt, ſa-

ſacilius nocet. *p* * Calabria chelydris frequentiſſima eſt,& Boam gignit, quem anguem ad immenſam molē *q* * ferunt convaleſcere. captat primo greges bubulos,& quæ plurimo lacte rigua bos eſt , ejus ſe uberibus innectit , *r* * ſuctuque continuo ſaginata, longo ſæculo ita *ſ* *. ſellebri ſatietate ultimò extuberatur, ut obſiſtere magnitudini ejus nulla vis queat : poſtremò depopulatis animantibus, regiones quas obſederit, ad vaſtitatem cogit. Denique D. Claudio principe, in loco ubi Vaticanus ager eſt, in alvo occiſæ Boæ ſpectatus eſt ſolidus infans. Italia lupos habet, qui cum cæteris ſimiles non ſint, homo, quem prius viderint, conticeſcit, *t* * & anticipatus obtutu nocentis, licet clamandi votum habeat, non habet vocis miniſterium. Sciens de lupis multa prætereo. Spectatiſſimum illud eſt, [quod] caudæ animalis hujus villus amatorius ineſt perexiguus, quem ſpontaneo damno abjicit,cum capi metuit : nec habet potentiam niſi viventi detrahatur. Coeunt lupi toto anno non amplius dies x I I,veſcuntur in fame terra. At ii quos Cervarios dicimus , quamvis poſt longa jejunia repertas ægrè carnes mandere cœperint , ubi quid caſu reſpiciunt, obliviſcuntur,& immemores præſentis copiæ, eunt quæſitum
quam

quam reliquerunt ſatietatem. In hoc animalium genere numerantur & lynces: quarum urinas coire in duritiem pretioſi y* calculi fatentur qui naturas lapidum x* exquiſitius ſunt perſecuti. Iſtud etiam ipſas lynces perſentiſcere, hoc documento probatur: quod egeſtum liquorem illico arenarum cumulis, quantum valent, contegunt, invidiæ ſcilicet ne talis egeries tranſeat in noſtrum uſum, ut Theophraſtus perhibet. Lapidi iſti ſuccini color eſt, pariter ſpiritu attrahit propinquantia, dolores renum y* ſedat, medetur regio morbo: λυγκούριον Græcè dicitur. Cicadæ apud Rheginos mutæ, nec uſquam alibi: quod ſilentium miraculo eſt. nec immeritò, cum vicinæ quæ ſunt Locrenſium, ultra ceteras ſonitent. Cauſſas Granius tradit, cum obmurmurarent, illic x* Hercule quieſcente, deum juſſiſſe ne ſtreperent: itaque ex eo cœptum ſilentium permanere. Liguſticum mare frutices procreat, qui quantiſper fuerint in aquarum profundis, fluxi ſunt, tactu propè carnulento: deinde a** ubi in ſupera attolluntur, natalibus derogatis, lapides fiunt. nec ſolum qualitas illis ſed & color vertitur: nam puniceo protinus erubeſcuut. ramuli ſunt, quales arborum viſimus, ad ſemipedem frequentius longi. rarum eſt pedaneos

Digitized by Google

neos deprehendi. *b* ** excuduntur ex illis multa geſtamina. Habet enim, ut Zoroaſtres ait, materies hæc quandam poteſtatem: ac propterea quicquid inde fit, habetur inter ſalutaria. Corallium aliâs dicunt. Nam Metrodorus γοργίαν nominat. idem, quod reſiſtat typhonibus & fulminibus, affirmat. Eruitur gemma in parte Lucaniæ, facie adeo jucunda, ut languentes intrinſecus ſtellas, & ſub nubilo renidentes croceo colore perfundat: ea, quoniam in litore Syrtium inventa primum eſt, Syrtites vocatur. Eſt & Veientana [gemma] à loco dicta, *c* ** cui nigri coloris ſuperficies: quam ad gratiam varietatis albi limites interſecant, notis candicantibus. Inſula quæ Apuliæ oram videt, tumulo ac delubro Diomedis inſignis eſt, & Diomedeas aves ſola nutrit. nam hoc genus alitis præterquam ibi nuſquam gentium eſt: idque ſolum poterat memorabile judicari, niſi accederent non omittenda. Forma illis penè quæ Fulicis, color candidus, ignei oculi, ora dentata. *d* ** congreges volitant, nec ſine ratione: pergendi duces duæ ſunt, quæ regant agmen. altera agmen anteit, altera inſequitur: illa, ut ductu certum iter dirigat, hæc, ut inſtantia urgeat tarditatem. hæc in meantibus diſciplina eſt. Cum fœtuum adeſt

tem-

Digitized by Google

tempus, roſtro ſcrobes excavant. deinde ſurculis inverſum ſuperpoſitis, imitantur texta cratium, & ſic contegunt ſubtercavata: &, ne operimenta deſint, ſi fortè lignorum caſas venti auferrent, hanc ſtruem comprimunt terra, quam egeſſerant cum puteos excavarent. ſic nidos moliuntur bifori acceſſu, nec fortuitò: adeo ut ad plagas cæli metentur exitus vel ingreſſus. aditus qui dimittit ad paſtus, in ortum deſtinatur: qui excipit revertentes, occaſum verſus eſt: ut lux & morantes excitet, & receptui non denegetur. Levaturæ alvum, adverſis flatibus ſubvolant, quibus proluvies longius auferatur. judicant inter advenas. ſi Græcus eſt, propius accedunt, &, quantum intelligi datur, velut civi, blandius adulantur: ſiquis erit gentis alterius, involant, & impugnant. Ædem ſacram omni die celebrant ſtudio hujuſmodi. aquis imbuunt plumas, aliſque impendio madefactis confluunt rorulentæ: ita ædem excuſſo humore purificant. tunc pennulis ſuperplaudunt. inde diſcedunt quaſi peracta religione. Ob hoc credunt Diomedis ſocios aves factos. ſanè ante adventum Ætoli ducis, nomen Diomedis non habebant: inde ſic dictæ ſunt. Italicus excurſus per Liburnos, quæ gens Aſiatica eſt, procedit in Dalmatiæ pedem: Dalmatia in li-

mitem

mitem Illyricum, in quo ſinu Dardani ſedes habent, homines ex Trojana proſapia, in mores barbaros efferati. At ex altera parte per Ligurum oram in Narbonenſem provinciam pergit, in qua Phocenſes quondam fugati Perſarum adventu, Maſſiliam urbem, Olympiadę quadrageſima-quinta, condiderunt. C. Marius bello Cimbrico factis manu foſſis invitavit mare, pernicioſamque ferventis Rhodani navigationem temperavit: qui amnis præcipitatus Alpibus, primò per Helvetios ruit, occurſantium aquarum agmina ſecum trahens, auctuque magno, ipſo quod invadit, freto turbulentior, niſi cum fretum ventis excitatur. Rhodanus ſævit & cum ſerenum eſt, atque ideo inter tres Europę maximos fluvios & hunc computant. Aquæ quoque Sextiæ eo loco claruerunt, quondam hyberna conſulis, poſtea excultæ mœnibus. Quarum calor olim acrior exhalatus, per tempora evaporavit, nec jam par eſt famæ priori. Si Græcos cogitemus, præſtat reſpicere litus Tarentinum: unde à promontorio quod Acran Iapygian vocant, Achaiam curſum deſtinantibus citiſſima navigatio eſt. Flectendus hinc ſtylus eſt: terrarumque vocant alia, & longum eſt, ut moratim inſularum omnium oras legamus, quaſcunque pro-

mon-

montoria Italica proſpectant: quamvis ſparſæ receſſibus amœniſſimis, & quodam naturæ quaſi ſpectaculo expoſitæ, non erant omittendæ. Sed quantum reſidendum eſt, ſi dilatis quæ præcipua ſunt, per quandam deſidiam, aut e ** Pandatariam aut Prochytam dicamus, aut ferri feracem Iluam, aut Caprariam, quam Græci Αἰγίλαν dicunt, au Planaſiam, de facie ſupina freti ſic vocatam, f ** [vel ab Vlyſſis erroribus,] vel Columbariam, avium hujus nominis matrem, vel Ithaceſiam, quæ Vlyſſis proditur ſpecula, vel Ænariam, & Inarimen ab Homero nominatam, aliaſque non ſecus lætas: inter quas Corſicam plurimi in dicendo latius circumvecti pleniſſima narrandi abſolverunt diligentia: nihilque omiſſum quod retractari non ſit ſupervacuum: ut exordium incolis Ligures dederint, ut oppida ibi extructa ſint, ut colonias ibi deduxerint Marius & Sulla: ut ipſam Liguſtici ſinus æquor alluat. Sed hæc faceſſant.

## IN CAP. VIII.

a *Ovilia*] Iidem, Novalia.

b *Arunci*] Antiq. lectio, Aurunci. Tzetzes in Hiſtor. Dionyſium ſecutus Αὐρούγκους appellat.

c *Littora portuoſa*] Alias, Littorum. M. ſ, laterum.

d *Polyden*] Fortè de ea urbe loqui voluit de qua

qua ait Stephanus, Πολίειον, πόλις Ἰταλίας, ἡ πρότερον Σίρις καλουμένη. quanquam alibi ſcribat, Πολίειον, ἀπὸ τοῦ ἐν Ἰλίῳ πολιάδος Ἀθηνᾶς. O. vet. lib. legitur, Polyclen.

e *Pompeios* ] M. ſ. Pompoios.

f *Naulochi* ] Vet. lib. Aulochi. Et paulo poſt, *Quod hiatu terræ hauſtum* ] Iidem, Quod hiatus terræ hauſtu.

g *Pelope* ] Diſertè vet. lib. Pelopidis : idque retineo.

h *Iapidas ab Iapide* ] Sic antiq. lib. ſed vulgatis Stephanus aſſentitur.

i *Argillam* ] M. ſ. Agillam. nec aliter Virgilius & Martianus.

k *A Phalero* ] Ab Haleſo, alias : quod & vet. lib. agnoſcunt, & docet Ovidius.

l *Vel ſacro miſſus* ] Haut dubiè ſincera eſt m. ſ. ſcriptura, Ver ſacrum miſſus. idque olim etiam à Pithœo I. C. poſt Adr. Turnebum, ex conjectura fuit obſervatum.

m *Brutiis* ] Vet. lib. Tiburtiis, lego Bruttiis.

n *Digitiorum* ] Antiquus liber, Digidiorum.

o *Petiliam* ] Græcis Πετηλία.

p *Sallentinos à Liciis* ] Membranæ, A Sallectiis. fortè, A Salſiis. Stephano Σαλήσιοι gens Pæonum.

q *Caulonam* ] Vet. lib. Cauloniam. & ſic Stephanus & Mela.

r *Aſſeverat* ] Cod. ſcrip. Refert.

ſ *Vmbros* ] Vmbrios vet. lib. Scribo, Ὀμβρίους.

t *Par ſententia eſt inter auctores* ] Hæc verba vet. libro deſunt.

v *Leucoſiam* ] Dionyſius lib. 1. Ῥωμαϊκ. ἀρχαιολογ. hanc inſulam, Λευκωσίαν nominat : illius con-

contextum Camers mendoſum arbitratur, eumque ex Solino caſtigat. ego à Camerte diſcedo, quantum Hypanis Veneto diſſidet Eridano. Dionyſium enim emendatum, Solinum vitio non carere affirmo. quia in m. ſ. reperi Leocatiam: quæ vox ex Leucaſia fuit depravata. Mineus Capella, Contra Peſtanum, inquit, Leucaſia eſt, à Sirene ibi ſepulta nominata. Strabo quoque, idoneus vero auctor, lib. II, Αἰθαλία τε καὶ Πλανασία, καὶ Ἴλουα: καὶ Πιθηκοῦσαι, καὶ Προχύτη, καὶ Κάπρεαι, καὶ Λευκασία. Poſtremò Ovidius Leucaſiæ meminit: & apud Silium lib. VIII. ſcribendum,

*-nunc ſeſe oſtendere miles*
*Leucaſiæ è populis.*

x *Ab uxore Lavinia Lavinium eſſe nuncupatum*] Æquè ſignificanter antiq. lib. Ab uxore Lavinium: eliſis tribus reliquis vocibus.

y *Qua* Ἀφροδίτη] Adr. Turnebus vult hoc loco legi, Frutis. ut Venus Frutis dicta ſit à fruendo, unde & Veneris Frutæ templum, frutinal nominatum. quam lectionem ait ſe ex membranarum penu depromſiſſe. quod ipſum mihi Cornelius Valerius, Lovanii litterarum profeſſor erudiiſſimus affirmavit ſibi quoque eveniſſe. idque eo facilius credo, quia in Lipſiano lib. Frittis legitur. Puto igitur omnino Turnebi ſententiæ acquieſcendum.

z *Anno ſeptimo patris indigetis*] Vet. lib. patriſque: quam encliticam malim, anno, ſubjungere.

a a *Heriphile*] Tibullus,

*Eriphile Phœbo grata quod admonuit.*

In m. ſ. lib. legitur, Eroſilia. Vnde ſuſpicor ſcribendum Herophile. quam conjecturam Lactantius lib. I. confirmat.

b* *Lon-*

b * *Longius proceſſit* ] Vet. lib. Abit.

c * *Linguis ſæpius projectis* ] Membranæ habent, longius, unde conjecto, Longius à ſe projectis ac procurrentibus diſtinctum promontoriis, &c.

d * *Admittit* ] Vet. lib. eodem ſenſu. accipit.

e * *Paſſim notemus* ] Scriptus liber habet, ſparſim. hoc eſt, ut ait Siſenna, ſaltuatim ac vellicatim.

f * *Crathe flumine Scyllæ matre* ] Vet. lib. Crateide, Plinius ait, Cratæis fluvius, mater, ut dixêre, Scyllæ. Camers hoc loco apud Solinum reponit, patre. Nolo quicquam acerbius in illum proferre: tantum dico, hànc quam adduxi Plinianam eſſe lectionem, illius falſam & ſpuriam. prærerea ſummum poëtam ſcripſiſſe in Odyſſea,

- βωστρεῖν δὲ Κράταιιν
Μητέρα τῆς Σκύλλης.

Arbitror itaque, Homeri, Plinii, & Solini traditione adductus, in martiani lib. VI. reponendum, Cætera Italiæ memoranda nec poëtæ tacent, ut Scyllæum oppidum, cum Crateide flumine, quod Scyllæ mater fuit.

g * *Colligit* ] Vet. lib. Colligitur.

h * *In Acroceraumiis metas habet* ] M. ſ. In agro Ceraunio metam habet: ut agrum Ceraunium dicat, quemadmodum Plinius montes Ceraunios.

i * *Viſendo fonte* ] O. c. antiqui, Viſentio.

k * *Montem Soractem* ] In vet. libro eſt, Montem Soractis.

l * *Exultant* ] Inſultant, lego. quia in vet. lib. habetur, inſultatur.

m * *Miniſterium munificentia Senatus honoratum Hirpis perpetuo omnium munerum vacationem dedit* ] M. ſ. Miſterium m. ſ. honorata H. perpetuo conſulto.

Digitized by Google

ſulto. o. m. v. dedit.

n* *Angitiam, Anguitiam* ] Vet. cod. & ſic legitur in antiq. Silii editione : & Vibius Sequeſter ait, Anguiæ, vel Anguitiæ : ſed Servius ab angendis ſerpentibus dictam voluit : unde vulgata ſcriptura aſtruitur.

o* *Dicit fuiſſe* ] Vox poſterior non eſt in v. lib. & poteſt abeſſe.

p* *Calabriam cherſydris* ] Vet. lib. habent chelydris : atque ita legi oportere ex Virgilii III. Georg. patet.

q* *Ferunt coaleſcere* ] In membranis eſt, convaleſcere.

r* *Suctúque* ] V. lib. Sucóque. Plinius ſcribit, Aluntur primo bubuli lactis ſuco.

ſ* *Funebri* ] Cod. ſcripti, Fellebri. novè formata voce, à fellando : de quo poſtea.

t* *Et anticipatus obtutu nocentis, licet clamandi votum habeat* ] In v. lib. eſt, & a. o. aſpectus noc. l. c. voluntatem h. Mox ſequitur, *Spontivo damno*. Cod. vet. Spontaneo damno amittit.

v* *Calculi* ] Ex vet. lib. lapidis.

x* *Exquiſitius* ] Iidem, Exequentius.

y* *Sedat* ] antiqua lectio, Placat.

z* *Hercule illic quieſcente, deum juſſiſſe ne ſtreperent* ] Paullo aliter vet. lib. Herculi i. quieſcenti d. i. ne obſtreperent.

a** *Ubi in ſupera attolluntur, natalibus derogatis lapides fiunt* ] In vet. lib. pro Natalibus, eſt Naturalibus ſaxis. Unde ſuſpicor caſtigandum, Naturalibus aquis.

b** *Excuduntur* ] Antiq. lib. Excluduntur. forte, Exculpuntur.

c** *Cui nigri coloris ſuperficies, quam* ] Cui nigri color facies propria, quā. Sic habent antiq. codices

d** *Congreges* ] Quid ſi, qua voce etiam infra utitur, gregatim, legamus? vet. liber, Greges, continet. Sequenti linea, *Duces duæ ſunt*. Quæ huc pertinent, in vet. lib. maſculino cuncta genere efferuntur: quod etiam Plinio conſentaneum eſt. Paulo poſt, *Cum fœtuum*. Alii excuſi, Fœtificum. m. ſ. vero, Fœticum. Poſt paucas lineas, *Excavarent*. Vet. lib. excitaſſent. Quod aliquanto poſt ſequitur, *Inde diſcedunt*, m. ſ. impersonaliter, Diſceditur.

e** *Pandatariam* ] Mendoſus eſt Strabo lib. 2. ubi hæc inſula Πανδαρία vocatur. nam à Mela, Plinio, Martiano, & Suetonio, Pandataria, A Ptolemæo, Πανδατωρία: à Dione lib. 54. Πανδατηρία vocatur: cui Tacitus lib. 4. & Antoninus in Itinerario conſentiunt. In vet. lib. Pandotoria eſt.

f** *Vel ab Vlyſſis erroribus* ] Nequaquam hæc in vet. cod. habentur: qui pro, quæ Vlyſſis proditur ſpecula, tantum, Vlixis ſpeculam.

## CAP. IX.

### *De Corſica, & Catochite lapide.*

VErum ager Corſicanus, quod in eo [agro] unicum eſt, ſolus edit quem Catochiten dicunt lapidem, ſatu digniſſimum. major eſt ceteris qui ad ornatum deſtinantur, nec tam gemma quam cautes. idem impoſitas manus detinet, ita ſejunctis corporibus adnectens, ut cum ipſis hæreat à quibus tangitur. Sed ei ineſt

eſt velut de glutino lentiore neſcio quid par atque gummi. Accepimus Democritum Abderiten oſtentatione ſcrupuli hujus frequenter uſum, ad probandam occultam naturæ potentiam, in certaminibus quæ contra Magos habuit.

## CAP. X.

### *De Sardinia. De Solifuga. De Sardonia herba. De admirandis aquarum viribus.*

SARDINIA quoque, quam apud Timæum Sandalioten legimus, *a* Ichnuſan apud Chryſippum, in quo mari ſita ſit, quos incolarum auctores habeat, ſatis celebre eſt. Nihil ergo attinet dicere ut Sardus [ab] Hercule, & Norax [à] Mercurio procreati, cum alter ab Libya, alter abuſque Tarteſſo Hiſpaniæ in hoſce fines permeaſſent, à Sardo terræ, à Norace Noro oppido nomen datum. Mox Ariſtæum regnando his proximum *b* in urbe Carali, quam condiderat ipſe, conjuncto populo utriuſque ſanguinis, ſejuges uſque ad ſe gentes ad unum morem conjugaſſe, imperium ex inſolentia nihil aſpernatas. *c* Sed ut hæc & Iolaum, qui ad id locorum agros ibi inſedit, præterea & Ilienſes & Locrenſes tranſeam: Sardinia eſt quidem abſque ſerpentibus, ſed quod aliis locis ſerpens

 eſt,

Digitized by Google

eſt, hoc Solifuga *d* Sardis agris. animal perexiguum, ſimileque araneis forma, Solifuga dicta, quod ſolem fugiat. in metallis argentariis plurima eſt. nam ſolum illud argenti dives eſt. *e* occultim reptat, & per imprudentiam ſuperſedentibus peſtem facit. Huic incommodo accedit & herba Sardonia, quæ in defluviis fontanis provenit largius juſto: ea ſi edulio fuerit, *f* veſcentibus nervos contrahit, rictu ora diducit, ut *g* qui mortem oppetunt, [velut] ridentium facie intereant. Contra quicquid aquarum eſt, varie commodis ſervit. ſtagna piſculentiſſima, hybernæ pluviæ in æſtivam penuriam reſervantur. nam homo Sardus opem plurimam de imbrido cælo habet. *h* hoc collectaneum depaſcitur, ut ſufficiat uſui, ubi defecerint ſcaturigines, *i* quæ ad victum uſurpari ſolent. Fontes [ſane] calidi & ſalubres aliquot locis efferveſcunt, qui medelas afferunt, aut ſolidant oſſa fracta, aut abolent à Solifugis inſertum venenum, aut etiam ocularias diſſipant ægritudines. Sed qui oculis medentur, & coarguendis valent furibus. nam quiſquis ſacramento raptum negat, lumina aquis attrectat. ubi perjurium non eſt, cernit clarius: ſi perfidia abnuit, detegitur facinus cæcitate, & *k* captus oculis admiſſum tenebris fatetur.

IN

# IN CAP. X.

a *Ichnuſam apud Chryſippum* ] Habetur in vet. lib. Iχνῦσαν apud Criſpum. Plinius neutram lectionem aſtruit. etenim à Myrſilo Ichnuſan ad ſimilitudinem veſtigii appellatam ſcribit. Potuit nihilominus à Criſpo quoque ita nominari. ſane grammatici ex Salluſtii hiſtoria adducunt talia verba: Sardinia in Africo mari facie veſtigii humani, in orientem quam in occidentem latior prominet. Poſt quæ verba forte ſequebatur, Inde Ichnuſam nuncupatam. Porro hanc appellationem apud Martianum Capellam ego reponendam cenſeo, ubi legitur, de Sardinia, Denique Sandaliotes eſt appellata, & ſignoſa, quod utrunque veſtigii formam ſignat.

b *In urbe Carali* ] Vet. lib. habent, In urbe Caralis. ante dixit, montem Soractis.

c *Sed & hic Ariſtæus Iolaon creat, qui*, &c. ] Ab Hermolai calumniis Solinum m. ſ. lectio vindicat: quæ, quia Solini propria eſt, ſibi nequaquam Solinus repugnat. ea eſt hujuſmodi, Sed ut hæc, & Iolaum, qui ad id locorum ibi inſedit, præterea & Iolenſes & Locrenſes tranſeam, &c.

d *Sardois agris* ] Vet. lib. Sardis agris. Infra ait, Sardus homo. Virgilius autem,

*Ergo ego Sardois videar tibi amarior herbis.*

Servius, In Sardinia naſcitur quædam herba, ut Salluſtius dicit, quæ Sardoa dicitur.

e *Occultim reptat* ] In ſcrip. lib. habetur, Occulte exreptat. num legendum, Ex occulto reptat?

f *Veſcentibus* ] In apographis invenio, Neſcientibus.

g *Qui mortem oppetunt* ] Antiq. cod. Qui morte op-

eſt, hoc Solifuga *d* Sardis agris. animal perexiguum, ſimileque araneis forma, Solifuga dicta, quod ſolem fugiat. in metallis argentariis plurima eſt. nam ſolum illud argenti dives eſt. *e* occultim reptat, & per imprudentiam ſuperſedentibus peſtem facit. Huic incommodo accedit & herba Sardonia, quæ in defluviis fontanis provenit largius juſto: ea ſi edulio fuerit, *f* veſcentibus nervos contrahit, rictu ora diducit, ut *g* qui mortem oppetunt, [velut] ridentium facie intereant. Contra quicquid aquarum eſt, varie commodis ſervit. ſtagna piſculentiſſima, hybernæ pluviæ in æſtivam penuriam reſervantur. nam homo Sardus opem plurimam de imbrido cælo habet. *h* hoc collectaneum depaſcitur, ut ſufficiat uſui, ubi defecerint ſcaturigines, *i* quæ ad victum uſurpari ſolent. Fontes [ſane] calidi & ſalubres aliquot locis efferveſcunt, qui medelas afferunt, aut ſolidant oſſa fracta, aut abolent à Solifugis inſertum venenum, aut etiam ocularias diſſipant ægritudines. Sed qui oculis medentur, & coarguendis valent furibus. nam quiſquis ſacramento raptum negat, lumina aquis attrectat. ubi perjurium non eſt, cernit clarius: ſi perfidia abnuit, detegitur facinus cæcitate, & *k* captus oculis admiſſum tenebris fatetur.

IN

## IN CAP. X.

a *Ichnuſam apud Chryſippum* ] Habetur in vet. lib. Ἰχνοῦσαν apud Criſpum. Plinius neutram lectionem aſtruit. etenim à Myrſilo Ichnuſan ad ſimilitudinem veſtigii appellatam ſcribit. Potuit nihilominus à Criſpo quoque ita nominari. ſane grammatici ex Salluſtii hiſtoria adducunt talia verba: Sardinia in Africo mari facie veſtigii humani, in orientem quam in occidentem latior prominet. Poſt quæ verba forte ſequebatur, Inde Ichnuſam nuncupatam. Porro hanc appellationem apud Martianum Capellam ego reponendam cenſeo, ubi legitur, de Sardinia, Denique Sandaliotes eſt appellata, & ſignoſa, quod utrunque veſtigii formam ſignat.

b *In urbe Carali* ] Vet. lib. habent, In urbe Caralis. ante dixit, montem Soractis.

c *Sed & hic Ariſtæus Iolaon creat, qui, &c.* ] Ab Hermolai calumniis Solinum m. ſ. lectio vindicat: quæ, quia Solini propria eſt, ſibi nequaquam Solinus repugnat. ea eſt hujuſmodi, Sed ut hæc, & Iolaum, qui ad id locorum ibi inſedit, prætcrea & Iolenſes & Locrenſes tranſeam, &c.

d *Sardois agris* ] Vet. lib. Sardis agris. Infra ait, Sardus homo. Virgilius autem,

*Ergo ego Sardois videar tibi amarior herbis.*

Servius, In Sardinia naſcitur quædam herba, ut Salluſtius dicit, quæ Sardoa dicitur.

e *Occultim reptat* ] In ſcrip. lib. habetur, Occulte exreptat. num legendum, Ex occulto reptat?

f *Veſcentibus* ] In apographis invenio, Neſcientibus.

g *Qui mortem oppetunt* ] Antiq. cod. Qui morte op-

te oppetunt. Plautus tamen inquit, Atque illa viva vivus ut peſtem oppetas.

h *Hoc collectaneum depaſcitur*] Videtur aliter legendum. nam vet. lib. habent, depoſcit.

i *Quæ ad victum uſurpari ſolent*] Hæc à vet. lib. abſunt.

k *Captus oculis, admiſſum tenebris fatetur*] Manuſcr. codex habet: Captis oculis admiſſum fatetur. De hoc fonte Rhemnius Fannius ait,

*Sardiniæ poſtquam pelago circumflua tellus*
*Fontibus è liquidis præbet miracula mundo:*
*Quod ſanant ægros, pandunt damnantque nefando*
*Perjuros furto, quos tacto flumine cæcant.*

## CAP. XI.

### *De Sicilia, & Peloriade terra, & de aquis memorandis, & montibus.*

SI reſpiciamus ad ordinem temporum, vel locorum, poſt Sardiniam res vocant Siculæ. primo quod utraque inſula in *a* Romanam poteſtatem redacta, iiſdem temporibus provincia facta eſt: cum eodem anno Sardiniam M. Valerius, alteram C. Flaminius prætor ſortiti ſunt. adde quod freto Siculo excipitur nomen *b* Sardi maris. Ergo Sicilia (quod cum primis aſſignandum eſt) diffuſis promontoriis triquetra ſpecie figuratur. Pachynus, aſpectus in *c* Peloponnenſem & meridianam plagam dirigit: Pelorus adverſam veſpero Italiam videt: *d* Lilybæum in

in Africam extenditur. inter quæ Pelorias præſtat. *e* ſoli temperamento egregia, quod neque humido in lutum madeſiat, neq; ſatiſcat in vagum pulverem ſiccitate. Ea ubi introrſum recedit, & in latitudinem panditur, tres lacus obtinet. quorum unus quod piſcium copioſus eſt, non equidem ad miraculum duxerim: ſed quod ei proximus condenſis arbuſtis inter virgultorum opaca feras nutriat, & admiſſis venantibus per terrenos tramites, quibus pedeſtres acceſſus excipit, *f* duplicẽ piſcandi venandique præbeat voluptatem, *g* numeratur inter eximia. tertium ara ſacrum approbat, quæ in medio ſita, brevia dividit à profundis. quâ ad eam pergitur, aqua crurum tenus pervenit: quod ultra eſt, nec explorari licet nec attingi: & ſi fiat, qui id auſus fuerit malo plectitur, *h* quantamque ſui partem ingurgitaverit, tantam it perditum. Ferunt quendam in hæc alta quam longiſſimam poterat jeciſſe lineam: eam ut reciperet, dum merſo brachio niſum adjuvat, cadaver manum factam. Peloritana ora habitatur colonia *i* Tauromenia, quam priſci Naxum vocabant. Oppidum Meſſana Rhegio Italiæ oppoſitum eſt, quod Rhegium à dehiſcendi argumento Ῥήγιον Græci dictitabant. *k* Pachyno multa thynnorum ineſt copia [echinis, & o-

mnibus mari nantibus piſculentiſſimum,] ac propterea ſemper captura larga. *l* Lilybitano Lilybæum oppidum decus eſt, Sibyllæ ſepulcro. Sicaniæ diu ante Troiana bella Sicanus rex nomen dedit, advectus cum ampliſſima Hiberorum manu. Poſt Siculum Neptuni filium, in hanc plurimi Corinthiorum, Argivorum, Ilienſium, Dorienſium, Cretenſium confluxerunt: inter quos & Dædalus fabricæ artis magiſter. Principem urbium Syracuſas habet, in qua etiam cum hyberno conduntur ſerena, nullo non die ſol eſt. Adde quod Arethuſa fons in hac urbe eſt. Eminet montibus Ætna & Eryce. Vulcano Ætna ſacer eſt: Eryx Veneri. In Ætnæ vertice hiatus duo ſunt, crateres nominati, per quos eructatus erumpit vapor, præmiſſo prius fremitu: qui per æſtuantes cavernarum latebras longo mugitu intra terræ viſcera devolvitur: *m* nec ante ſe flammarum globi attollunt, quam interni ſtrepitus antecedant. Mirum hoc eſt: nec illud minus, quod in illa ferventis naturæ pervicacia miſtas ignibus nives profert: & licet vaſtis exundet incendiis, aprica canicie perpetuo brumalem detinet faciem. Ita invicta in utroque violentia, nec calor frigore mitigatur, nec frigus calore diſſolvitur. *n* Sunt & alii montes duo, Nebrodes & Ne-

& Neptunius. E Neptunio ſpecula eſt in pelagus Tuſcum, & Adriaticum: *o* Nebroden damulæ & hinnuli gregatim pervagantur. inde Nebrodes. Quicquid Sicilia gignit, ſive ſoli ſive hominis ingenio, proximum eſt iis quæ optima judicantur: niſi quod fœtus terræ Centuripino croco vincitur. Hîc primum inventa comœdia eſt: hîc & cavillatio mimica in ſcena ſtetit: hîc domus Archimedis, qui juxta ſyderum diſciplinam machinarius *p* commentor fuit. *q* hîc Lais illa quæ eligere patriam maluit quam fateri. Gentem Cyclopum vaſti teſtantur ſpecus. Læſtrygonum ſedes adhuc ſic vocantur. Ceres inde magiſtra ſationis *r* frumentariæ. Hîc ibidem *ſ* campus Ennenſis in floribus ſemper, & omni vernus die: quem propter demerſum eſt foramen, quo Ditem patrem *t* ad raptus Liberæ exeuntem, *v* fama eſt luce hac uſum. Inter *x* Catanam & Syracuſas certamen eſt de illuſtrium fratrum memoria, quorum nomina ſibi diverſæ partes adoptant. Si Catanenſes audiamus, *y* Anaphius fuit, & Amphinomus: ſi, quod malunt Syracuſæ, *z* Æmathiam putabimus, & Critonem. Catanenſis tamen regio cauſſam dedit facto: in quam ſe cum incendia Ætnæ protuliſſent, juvenes duo ſublatos parentes evexerunt

inter flammas illæſi ignibus. horum memoriam ita poſteritas munerata eſt, ut ſepulcri locus nominaretur Campus piorum. De Arethuſa & Alpheo verum eſt hactenus quod conveniunt fons & amnis. Fluminum miracula abunde varia ſunt. Dianam, qui ad Camerinam fluit, *a** niſi habitus pudicæ hauſerit, non coïbunt in corpus unum latex vineus & latex aquæ. Apud Segeſtanos *b** Erbeſſus in medio flumine ſubita exæſtuatione fervet. *c** Acin quamvis demiſſum Ætna, nullus frigore antevertit. *d**Himeram cæleſtes mutant plagæ: amarus denique eſt dum in Aquilonem fluit, dulcis, ubi ad Meridiem flectitur. Quanta in aquis, tanta [eſt] novitas in ſalinis. Salem Agrigentinum ſi igni junxeris, diſſolvitur uſtione: cui ſi liquor aquæ proximaverit, crepitat veluti torreatur. Purpureum Ætna mittit: in Pachyno tranſlucidus invenitur. Cetera ſalinarum metalla quæ ſunt aut Agrigentino aut Centuripis proximantia, funguntur cautium miniſterio. nam illinc exciduntur ſigna ad facies hominum, vel deorum. Thermitanis locis inſula eſt arundinum ferax, quæ accommodatiſſimæ ſunt in omnem ſonum tibiarum: ſive Præcentorias facias, quarum locus eſt ad pulvinaria præcinendi: ſive Vaſcas, quæ foraminum

minum numeris Præcentorias antecedunt: ſive Puellatorias, quibus à ſono clariore vocamen datur: ſive Gingrinas, quæ breviores licet, ſubtilioribus tamen modis inſonant: aut Milluinas, quæ in accentus exeunt acutiſſimos: aut Lydias, quas & Turarias dicunt, vel Corinthias, vel Ægyptias, aliaſve à muſicis per diverſas officiorum & nominum ſpecies ſeparatas. In Haleſina regione fons aliâs quietus & tranquillus cum ſiletur, ſi inſonent tibiæ, exultabundus ad cantus elevatur, &, quaſi miretur dulcedinem vocis, ultra margines intumeſcit. Gelonium ſtagnum tetro odore abigit proximantes. Ibi & fontes duo: alter, ſi ſterilis ſumſerit, fœcunda fiet: alterum, ſi fœcunda hauſerit, vertitur in ſterilitatem. Stagnum Petrenſium ſerpentibus noxium eſt, homini ſalutare. In lacu Agrigentino oleum ſupernatat. hoc pingue hæret arundinum comis de aſſiduo volutabro, è quarum capillamentis legitur unguentum medicum contra armentarios morbos. Nec longè inde collis Vulcanius, in quo qui divinæ rei operantur, ligna vitea ſuper aras ſtruunt, nec ignis apponitur in hanc congeriem, cum e* proſicias intulerint. ſ* ſi adeſt deus ſacrorum probator, ſarmenta, licet viridia, ignem ſponte concipiunt, &

nullo inflagrante halitu, à numine fit incendium: ibi epulantibus alludit flamma, quæ flexuoſis exceſſibus vagabunda, quem contigerit non adurit. nec aliud eſt quam imago nuncia perfecti rite voti. Idem ager Agrigentinus eructat limoſas ſcaturigines, &, ut venæ fontium ſufficiunt rivis ſubminiſtrandis, ita in hac Siciliæ parte ſolo nunquam deficiente, æterna rejectatione terram terra evomit. Achaten lapidem Sicilia primum dedit in Achatis fluminis ripa repertum, non vilem: cum ibi tantum inveniretur. quippe interſcribentes eum venæ naturalibus ſic notant formis, ut cum optimus eſt, varias præferat rerum imagines. Vnde anulus Pyrrhi regis, qui adverſus Romanos bella geſſit, non ignobilis famæ fuit. cujus gemma Achates erat, in quo novem Muſæ cum inſignibus ſuis ſingulæ & Apollo tenens citharam videbantur, non impreſſis figuris, ſed ingenitis. nunc diverſis locis apparet. Dat Creta quem *g* * Curalliachatem vocant, Curallio ſimilem: ſed illitum guttis auro micantibus, & ſcorpionum ictibus reſiſtentem. Dat India reddentem nunc nemorum, nunc animalium facies: quem vidiſſe, oculis favet, quique intra os receptus ſedat ſitim. Sunt & qui uſti redolent myrrhæ odorem. *h* * Hæmachates ſangui-

Digitized by Google

ſanguineis maculis irrubeſcit: ſed qui maxime probantur, vitream habent perſpicuitatem, ut Cyprius. nam qui ſunt facie cerea abundantes, trivialiter negliguntur. Omnis ambitus hujus inſulæ clauditur ſtadiorum tribus millibus.

## IN CAP. XI.

a *Romanam poteſtatem*] Arbitrium, in vet. lib continetur.

b *Sardoi*] Iiſdem, Sardi maris: ut ſupra, Sardis agris.

c *Peloponneſum*] Subjungit, Plagam. quare melius vet. lib. Peloponnenſem.

d *Lilybæus*] M. ſ. quemadmodum Pomponius lib. II. & Antonius, Lilybæum. Orpheus Λιλύβηον.

e *Soli temperamento egregia*] Oppidò vetuſta lectio placet, Laudata unico ſoli temperamento.

f *Duplicem piſcandi venandique*] An quia venari piſcarique gentium jure cuilibet liberum eſt, iccirco non Duplicem, ſed, Publicam, in ſcripto cod. legitur?

g *Numeratur inter eximia. Tertium ara ſacrum*] Vet. lib. alia longe ſententia, Inter eximia numeratur tertius: ara ſacrum.

h *Quantamque ſui partem*] Aſcribam vet. lib. lectionem, ut, ſi cui placeat, is illam, (licet enim per me) amplectatur: Quantamque ſui partem gurgiti intimaverit, tantam ſe perditurum. Iidem pro, Longiſſimam, habent, longiſſime.

i *Taurominia*] Egregie membranæ, Tauromenia. & ſic repone apud Plinium ſæpe, & Iuvenalem lib. I. nam Ptolemæus de hac lib. III. ait,

Ταυ-

Digitized by Google

Ταυρομενίων κολώνια: quemadmodum & ceteri ſcriptores Græci & Antoninus.

k *Pachino multa tunnorum ineſt copia, echinis & omnibus mari nantibus piſculentiſſimum, ac propterea ſemper captura larga*] Pro his omnibus ſcripti libri tantummodo continent, Pachyno multa tinnorum ineſt copia, ac propterea captura larga.

l *Lilybitano*] In vet. lib. continetur, Lilibitano Lilibeo oppido decus eſt Sibyllæ ſepulcrum.

m *Antè, ſe flammarum globi attollunt*] Sic quædam membranæ: aliæ, Nec antè flammarum globi attolluntur.

n *Laudant alios montes duos Nebrodem & Neptunium*] Hoc pacto in m. ſ. legitur.

o *Nebrodi damarum copia nomen dedit, quem damæ & hinnuli gregatim pervagantur, inde Nebrodes dictus*] Ex vet. lib. rejectis ſuperfluis & adulterinis lubens emendarim, Nebroden damulæ & inulei gregatim pervagantur: inde Nebrodes.

p *Commentator*] Antiq. ille lib. Commentor, habet.

q *Hîc Lais illa, quæ eligere patriam maluit quam fateri*] Anthus, De viris illuſtribus, teſtatur Laidem, cum Craſti, quæ Siciliæ urbs eſt, nata foret, Corinthi agere, Corinthiamque dici maluiſſe. ſic enim hunc Solini locum accipio.

r *Frumentariæ*] M. ſ. Fructuariæ. & quidem fructuum nomen eſſe generaliſſimum, nemo eſt qui ignoret.

ſ *Campus Ætnenſis*] Vet. cod. Hennenſis. lege, Ennenſis. quia Proſerpina juxta Ennam rapta fuit. (Diodorus, Γενέσθαι δὲ μυθολογοῦσι τῆς κόρης τὴν ἁρπαγὴν ἐν τοῖς λειμῶσι τοῖς κατὰ τὴν Ἔνναν, &c.) & Cl. Claudianus, inſignis poëta, ait in lib. De raptu Proſerpinæ, Enna parens florum, &c. nam

nam hoc malo, quam Ætna, propter relata à M. Tullio lib. 4. in Verrem: quæ, quia nimis multa ſunt, non aſcribam.

t *Ad raptus Proſerpinæ libere exeuntem*] Vox, Proſerpinæ, optime in vet lib. non eſt: ſed tantum, Ad raptus Liberæ exeuntem. Quo quid queat eſſe elegantius? annon enim Proſerpinam, etiam Liberam vocatam & Cicero & Arnobius teſtantur, & verò certiſſimum eſt?

v *Fama eſt in lucem auſum*) In m. ſ. eſt, Fama eſt luce hauſum: itaque ſcribatur, Fama eſt luce hac uſum

x *Catinam*] Apud omnes ſcriptores, in quorum lib. Catina habetur, reponerem Catana, ex Plutarcho, Strabone, Æliano, Ptolemæo, Stephano, ceteris.

y *Anapias*] Antiq. cod. Anaphius. Meliora Claudiani exemplaria continent, Cur non Amphinomo, cur non tibi, fortis Anaphi, &c. Valerius Max. Anapum vocat. à Stobæo, Λόγῳ οζ, Φιλόνομος & Καλλίας.

z *Emanthiam*] Vet. lib. Emantium: item, Cretonem, pro, Critonem.

a* *Niſi habitus pudicæ hauſerit*] Rhemnius Fannius grammaticus περιήγησιν οἰκουμένης Dionyſii Latine reddidit, quo in opere multa de ſuo, quæ in Græco ſcriptore hoc quidem tempore non habentur, immiſcuit: qualia ſunt quæ de fonte iſto memorat in hunc modum,

*Dianæ fons eſt, Camerina gignitur unda,*
*Quem ſiquis manibus non caſtis hauſerit, unquam*
*Lætifico triſtis non miſcet pocula Baccho.*

Quorum verſuum inſtinctu, credo hoc loco legendum, Si manus impudicæ hauſerint. Confirmatur

matur ea conjectura nonnihil hac m. ſ. ſcriptura, Si habitus impudicæ hauſerit.

b * *Herbeſus* ] Membranæ continent Helbeſus. Erbeſſus, ut Græci.

c * *Acin* ] Ac eundem, lib. ſcripti : ut etiamnum iſtud de Erbeſſo dicatur.

d * *Himereum* ] Membranæ, Hiemereum. perquam lubentir ſcriberem Himeram. Stephanus, ἔστι καὶ ποταμὸς Ἱμέρας, ὡς Νικάνωρ. Sequeſter, Himera Tauromenitanorum oppido Himeræ dedit nomen. hoc flumen in duas partes findi ait Steſichorus : una in Tyrrhenum mare, altera in Libycum decurrit parte. Itaque hæc verba emendanda puto.

e * *Porricias* ] V. lib. Proſicias. Hoc eſt, auctore Feſto, proſecta. Arnobius, eruditus ſcriptor, in libris contra Gentes, has partes, Proſicias quoque nuncupavit. ſic & Inſicia Latini dixerunt. Varro : Inſicia ab eo quod inſecta caro, ut in carmine Saliorum. Item & Proſiciem. Varro Rerum divinarum lib. XI. Proſiciem extorum vel in menſam porricere.

f * *Si adeſt deus ſacrorum probator, ſarmenta, &c.* ] Hæc ut antiquà, ſic germana eſt lectio. vet. cod. etiam paullo poſt continent, Nullo inflagrante halitu ab ipſo numine fit accendium. aliter quam vulgati.

g * *Coraliachatem.* ] Scribe ex vet. lib. Curalliachatem : nec non, Curallio. Siquidem Orpheus κουράλλιον nominavit.

h * *Achates ſanguineis* ] Sincera eſt antq. lib. lectio. Hæmachates Hic etenim lapis inter Achatis ſpecies à Plinio lib. XXXVII. recenſetur.

CAP.

## CAP. XII.

### *De Inſulis Vulcaniis.*

IN freto Siculo Ἡφαιςίαι inſulæ XXV. millibus paſſuum ab Italia abſunt. Itali Vulcanias vocant. nam & ipſæ natura ſoli ignea, per occulta commercia aut mutuantur Ætnæ incendia, aut ſubminiſtrant. Hîc dictæ ſedes deo ignium. Numero ſeptem ſunt. Liparæ nomen dedit rex Liparus, qui eam ante Æolum rexit. Alteram, Hieram vocaverunt: ea præcipuè Vulcano ſacra eſt, & plurimum colle eminentiſſimo nocte ardet. Strongyle tertia, Æoli domus, vergit ad ſolis exortus, minimè angulosa, quæ flammis liquidioribus differt à ceteris. hæc cauſſa efficit, quod ex ejus fumo potiſſimum incolæ præſentiſcunt, quinam flatus in triduo portendantur, quo factum ut Æolus rex ventorum crederetur. Ceteras, Didymen, Ericuſam, Phœnicuſam, Euonymon, quoniam ſimiles ſunt, dictas habemus.

CAP.

## CAP. XIII.

### *Ex tertio Europæ ſinu, Epirus, Ætolia, Peloponneſus, Attica, Bœotia, Phocis multæ inſulæ, & in his memoranda omnia.*

TErtius Europæ ſinus incipit ab Acrocerauniis montibus, deſinit in Helleſpontum. In eo apud Moloſſos, ubi Dodonæi Iovis templum eſt, Tomarus mons eſt, circa radices nobilis centum fontibus, ut Theopompo placet. In Epiro ſacer fons eſt, frigidus ultra omnes aquas, & ſpectatæ diverſitatis, nam ſi in eum ardentem demergas facem, extinguit: ſi procul ac ſine igni admoveas, ſuopte ingenio inflammat. *a* Dodone Iſmaro celſa eſt. Delphi Cephiſſo flumine, Caſtalio fonte, [ & ] Parnaſſi jugis celebres. Acarnania Aracyntho eminet. Hanc ab Ætolia Pindus dividit, qui Acheloum parit, cum primis Græciæ amnibus præditum veteri claritate. nec injuria: cum inter calculos, quibus ripæ ejus micant, inveniatur Galactites, qui ſcrupulus ipſe ater, ſi teratur, reddit ſuccum album ad lactis ſaporem. Fœminis nutrientibus illigatus fœcundat ubera: ſubnexus parvulis,

Digitized by Google

lis, largiuſculos hauſtus facit ſalivarum: intra os receptus liqueſcit? cum ſolvitur tamen, memoriæ bonum perimit. quem poſt Nilum Achelous dat, *b* tertium nemo. Propter oppidum Patras *c* Scioëſſa locus, novem collium opacitate umbroſus, & radiis ſolis fermè inviſus: nec aliam ob cauſſam memorabilis. In Laconia ſpiraculum eſt Tænaron. & Tænaron eſt promontorium adverſum Africæ, in quo fanum eſt Methymnæi Arionis, quem delphine eo advectum imago teſtis eſt, ad effigiem caſus & veri operis expreſſa ære: præterea tempus ſignatum. Olympiade enim undetrigeſima, qua in certamine Siculo idem Arion victor ſcribitur, idipſum geſtum probatur. Eſt & oppidum Tænaron nobili vetuſtate. Præterea aliquot urbes, inter quas Leuctra, non obſcura jam pridem Lacedæmoniorum fœdo exitu: Amyclæ, ſilentio ſuo quondam peſſundatæ: Sparta, inſignis cum Pollucis & Caſtoris templo, tum etiam Othryadis illuſtris viri titulis: *d* Therapnæ, unde primum cultus Dianæ: Pitane, quam *e* Arceſilaus *f* Philoſophus inde ortus prudentiæ ſuæ merito in lucem extulit: Anthea, & Cardamylæ, ubi quondam fuit Thyrra, nunc Locus dicitur: in quo anno XVII. regni Romuli, inter Laconas & Argivos me-

memorabile fuit bellum. Nam Taygeta mons & flumen Eurotas notiora ſunt quam ut ſtylo egeant. Inachus Achaiæ amnis Argolicum ſecat tractum, quem rex Inachus à ſe nominavit: qui exordium Argivæ nobilitati primus dedit. Epidauro decus eſt Æſculapii ſacellum, cui incubantes ægritudinum remedia capeſſunt de monitis ſomniorum. Pallanteum Arcadiæ [oppidum,] quod Palatio noſtro per Euandrum Arcada appellationem dederit, ſat eſt admonere: in qua montes Cyllene, & Lycæus, Mænalus etiam diis alumnis, inclaruerunt: inter quos nec Erymanthus in obſcuro eſt. Inter flumina, Erymanthus Erymantho monte demiſſus eſt, & Ladon ille. Herculis pugnæ hîc planè g clareſcunt. Varro perhibet, fontem in Arcadia eſſe, cujus interimat hauſtus. h In hac terrarum parte, de avibus hoc ſolum eſſe non indignum relatu comperimus, quod cum aliis locis merula furva ſit, circa Cyllenem candidiſſima eſt. Nec lapidem ſpreverimus, quem Arcadia mittit: Aſbeſto nomen eſt, ferri colore: qui accenſus ſemel, extingui nequit. In Megarēſium ſinum Iſthmos exit, ludis quinquennalibus & delubro Neptuni inclytus, quos ludos ea propter inſtitutos ferunt, quod finibus quinque Peloponneſi oræ alluuntur: à ſepten-

ptentrione, Ionio: ab occidente, Siculo: à brumali occidente, Ægæo: à ſolſtitiali oriente, Myrtoo: à meridie, Cretico. hoc ſpectaculum per Cypſelum tyrannum intermiſſum, Corinthii Olympiade quadrageſimanona ſolemnitati priſtinæ reddiderunt. Ceterum Peloponneſon à Pelope regnatam, nomen indicio eſt. ea ut platani folium receſſibus & prominentiis figurata, divortium facit inter Ionium & Ægæum mare, quatuor non amplius millibus diſpeſcens utrumque litus, excurſu tenui, quem Iſthmon dicunt ob anguſtias. Hinc Hellas incipit, quam proprie veram *i* volunt eſſe Græciam. Quæ nunc Attica, Acte prius dicta. ibi Athenæ, cui urbi ſaxa Scironia propinqua ſunt, porrecta ſex millibus paſſuum, ob honorem ultoris Theſei, & memoriam nobilis pœnæ, ſic nominata. Ex iſtis rupibus Ino, ſe cum Palæmone filio in profunda præcipitem jaculata, auxit maris numina. Nec Atticos montes in partem tacebimus. eſt Icarius, eſt Brileſſus, eſt Lycabetus, & Ægialus: ſed Hymetto meritiſſime attribuitur principatus, quod apprime florulentus, eximio mellis ſapore & externos omnes & ſuos vincit. Callirhoën ſtupent fontem: nec ideo *k* Enneacrunon fontem alterum nulli rei numerant. Athenienſibus judicii locus

cus eſt Ariopagus. Marąthon campus factus memorabilis opinione prælii cruentiſſimi. [Et] multæ quidem inſulæ objacent Atticæ continenti : ſed ſuburbanæ ferme ſunt, Salamis, Sunium, Cos, Ceos, quæ, ut Varro teſtis eſt, ſubtilioris veſtis amicula, arte lanificę ſcientiæ, prima in ornatum fœminarum dedit. Bœotia Thebis enitet. Thebas condidit Amphion, non quod lyra ſaxa duxerit: (neque enim par eſt [id] ita geſtum videri) ſed quod affatus ſuavitate homines rupium incolas, & incultis moribus rudes, ad obſequii civilis pellexerit diſciplinam. Vrbs iſta numinibus apud ſe ortis gloriatur, ut perhibent qui ſacris carminibus Herculem & Liberum celebrant. Apud Thebas Helicon lucus eſt, Cithæron ſaltus, amnis *l* Iſmenus: fontes, Arethuſa, Oedipodia, Pſammate, Dirce: ſed ante alios Aganippe & Hippocrene, quos Cadmus litterarum repertor primus, quoniam equeſtri exploratione [primus] deprehendiſſet, dum rimatur *m* quænam adiſſet loca: incenſa eſt licentia poëtarum, ut pariter utrumque diſſeminaretur, *n* & quod aperti forent alitis equi ungula, & quod poti inſpirationem facerent litterarum. Eubœa inſula laterum objectu efficit Aulidis portum, ſæculis traditum Graiæ conjurationis memoria.

moria. Bœoti iidem ſunt qui Leleges fuerunt: per quos defluens Cephiſſus amnis in maria conditur. In hac continentia Opuntius ſinus, Lariſſa oppidum, *o* Delphi, Rhamnus quoque, in qua Amphiarai fanum, & Phidiacæ ſignum Dianæ. Varro opinatur duo in Bœotia eſſe flumina, natura licet ſepari, miraculo tamen non diſcrepante: quorum alterũ ſi ovillum pecus debibat, *p* pulli fieri coloris quod induerit: alterius hauſtu, quæcunque vellerum fuſca ſunt, in candidũ verti. addit [etiam] videri ibi puteum peſtilentem, cujus liquor mors eſt haurientibus. Perdices ſane cum ubiq; liberæ ſint, ut aves univerſæ, in Bœotia non ſunt: nec cum volant, ſui ſunt juris, ſed in ipſo aëre, quaſi tranſire non audeant, metas habent. inde ultra notatos [jam] terminos nunquam exeunt, nec in Atticum ſolum tranſmeant. Hoc Bœotiis proprium. nam quæ communia ſunt omnibus, generatim [poſt] perſequemur. Concinnantur à perdicibus nidi munitione ſollerti, ſpineis enim fruticibus ac ſurculis receptus ſuos veſtiunt: ut animalia quæ infeſtant, arceantur à ſpinis ſurculorum. ovis ſtragulum pulvis eſt, ad quæ clanculo revertuntur: ne indicium loci converſatio frequens faciat. plerumque fœminæ rranſvehunt partus, ut mares fallant,

lant, qui eos impatientius affligunt, ſæpiſſime adulantes. Dimicatur circa connubium, victoſque credunt fœminarum vice venerem ſuſtinere, ipſas libido ſic agitat, ut, ſi ventus à maſculis flaverit, fiant prægnantes odore. Tunc ſi quis hominum ubi incubant propinquaverit, egreſſę matres venientibus ſeſe ſponte offerunt: &, ſimulata debilitate vel pedum vel alarum, quaſi ſtatim capi poſſint, greſſus fingunt tardiores. hoc mendacio ſolicitant obvios & eludunt, quoad provecti longius à nidis avocentur. Nec in pullis ſtudium ſegnius ad c avendum. cum [ enim] viſos ſe perſentiſcunt, reſupinati glebulas pedibus attollunt: quarum obtentu tam callidè proteguntur, ut lateant [ etiam ] deprehenſi.

## IN CAP. XIII.

a *Dodone Iſmaro celſa eſt* ] Aliis legendum videtur, Dodone, ut Maro dicit, Iovi ſacra eſt. Quomodo ſi ſcripſiſſet Solinus, poſſet hinc non planè ab veritate alienum argumentum deſumi, non omnes verſus qui in hortorum cuſtodem deum conſcripti, Virgilii operibus adjungi ſolent, non eſſe Maronianos. in uno equidem eorum epigrammate legitur. Dodone tibi Iupiter ſacrata eſt. quem tum haut dubiè verſum noſter innuiſſet: verum ut ſubſiſtam facit vet. codex, in quo legitur, Dodone, ut Maro, celſa eſt. Non enim Virgilii carmen occurrit, quo Dodone celſa nominetur.

b *Ter-*

Digitized by Google

b *Tertium nemo*] In membranis habetur. Nec alter alius. utrumque eodem ſenſu.

c *Scioëſſa*] Vet. lib. eſſe. Fortè, eſt: ut nobiliſſimum locum nominare noluerit: ſed tantum voluerit περιφραστικῶς deſcribere. Porro membranæ quædam pro, locus, continent, lucos.

d *Theramne*] Therapnæ, Vet. lib. quomodo putarim apud Plinium lib. IV. cap. V. corrigendum. Nec moveor Stephani auctoritate: cujus ego unius codicem mendoſum potius quam Euripidis, Coluthi, Iſocratis, Pauſaniæ, atque Strabonis, arbitror, qui unanimi conſenſu Θεράπνας vocant.

e *Archeſilaus*] Quamvis ſit in vet. lib. Archelaus, lego tamen, Arceſilaus. Diogeni Laertio Ἀρκεσίλαος dicitur.

f *Stoicus*] Mendoſe quidem cod. antiq. Sophicus: unde nihilominus vera queat lectio deprehendi, quam reor eſſe Philoſophus. Etenim fuiſſe Solinum tam ineruditum, ut Stoicum vocaret hominem, ex mente omnium ſcriptorum, Academicæ ſectæ deditiſſimum, ne ipſa quidem Suada facilè mihi perſuadeat: nedum homines quidam, quodvis potius vadimonium parati deſerere, quam ullam quamvis futilem & inanem Solini reprehendendi anſam omittere.

g Aliquanto poſt, pro *Clareſcunt*, vet. lib. Claræ ſunt.

h *In hac terrarum parte de avibus hoc ſolum eſſe non indignum relatu comperimus*] Aliter membranæ, videlicet, in eadem parte d. a. h. ſ. eſt n. i. relatu.

i *Volunt eſſe Græciam*] In vet. lib, invenio, Habent Græciam.



Digitized by Google

k *Cruneſon fontem* ] A Pauſania in Attic. Vitruvio lib. I I X & Plinio lib. I V. docemur, hoc loco Enneacrunon fontem reponere. Quod deinde ſequitur, *Præcipitem* ] M ſ. præceps.

l *Iſmenus* ] Sic vet. lib. & Plinius, & Seneca in Thebaide, & St. Papinius : non Iſmenius.

m *Quænam adiſſet loca* ] Vet. lib, Quænam inſideret loca.

n *Scilicet quod eorum alter alitis equi ungula ſolicitatus foret, alter potus facundia animas irrigaret, & quod aperta foret alitis equi ungula, & quod poti inſpirationem facerent litterariam* ] Quis non videat hoc loco idem bis turpiter inculcari? receptum tamen hactenus fuit ut ita legeretur : ſed optima exemplaria, jam olim in membranis elegantiſſimè deſcripta, rectè continent, Vt pariter utrumque diſſeminaretur, & quod aperti forent alitis equi ungula, & quod poti inſpirationem facerent litterarum.

o *Delphiramne* ] Quanquam ſic quidam vulgati, vet. aut. cod. Delphæ Rhamnæ contineant : ex Pauſaniæ tamen Ἀτ]ικ. legendum patet, Delphi, Rhamnus. Ceterum ille Phidiæ iſtud opus eſſe, non Dianæ, ſed Nemeſis affirmat.

p *Pullum fieri coloris quem induerit* ] Locus caſtigatior erit, ſi ex vet. lib. legatur, Pulli fieri coloris quod induerit. Hoc eſt, vellus quo pecus amicitur. Præter Ariſtotelem & Senecam, philoſophos primarios, probat hoc ipſum Fannius,

*Bœotum ſequitur finis, qua dicitur unda*
*Eſſe poteſtatis diverſæ. namque duobus*
*Fluminibus vertit vervecum lana colorem :*
*Hoc fuſcat niveas, hoc albat gurgite nigras,*

CAP.

## CAP. XIIII.

### *De Theſſalia, & Magneſia, & altiſsimis montibus, & Philippo Macedonum Rege, cui alter oculus ad Methonem erutus eſt.*

THeſſalia eadem eſt & Hæmonia, quam Homerus Πελασγικὸν Ἄργος nominat. ubi genitus eſt Hellen, à quo reges Hellenes nominati. hujus à tergo Pieria ad Macedoniam protenditur, quæ devicta ſub Macedonum venit jugum. Multa ibi oppida, flumina multa. De oppidis egregia ſunt, Phthia, Lariſſa, Theſſalia & Thebæ. De amnibus, Peneus, qui præter Oſſam Olympumque decurrens, collibus dextra lævaque molliter curvus, nemoroſis convallibus, *a* Theſſalica facit Tempe, undiſque apertior Macedoniam ac Magneſiam interluens, in Thermæum ſinum decidit. Theſſaliæ ſunt Pharſalici campi, in quibus civilium bellorum detonuerunt procellæ. Ac ne in montes notos eamus, Pindum, & Othryn agitent qui Lapitharum originem perſequuntur: Oſſam, quos *b* Centaurorum ſtabulis immorari juvat: Pelion autem nuptiale convivium Thetidis atque Pelei in tantum notitiæ obtulit, ut taceri de eo

magis mirum ſit. Nam Olympum ab Homero non per audaciam celebratum docent quæ in eo viſitantur. Primum excellenti vertice tantus attollitur, ut ſumma ejus cælum accolæ vocent. Ara eſt in cacumine, Iovi dicata, cujus altaribus ſiqua de extis inferuntur, nec difflantur ventoſis ſpiritibus, *c* nec humentibus pluviis diluuntur: ſed volvente *d* altero anno, cujuſmodi relicta fuerint, ejuſmodi reperiuntur: & omnibus tempeſtatibus à corruptelis aurarum vindicatur quicquid ibi ſemel eſt deo conſecratum. Litteræ in cinere ſcriptæ uſque ad alteram anni ceremoniam permanent. In regione Magneſia, Methone oppidum [ ſitum ] eſt, quod cum obſideret Philippus Alexandri Macedonis Magni pater, damnatus eſt oculo jactu ſagittæ quam jecerat Aſter oppidanus, *e* inſcriptam ſuo nomine, locoque vulneris, quem petebat. Populum iſtum callere artem ſagittariam credere poſſumus, vel de Philoctete, quoniam Melibœa in hoc pede computatur. Sed ne tranſeamus præſidium poëtarum, fons Libethrus & ipſe Magneſiæ eſt.

## IN CAP. XIIII.

a *Theſſalica facit Tempe*] Vet. lib. Theſſalica f. amœnum Tempe.

b *Centaurorum ſtabulis*] Hoc invenitur in ſcri-

ptis

ptis libris: & eſt non fucatum aut adulterinum, ſed vere γνήσιον. ad Virgilii enim lib. 6. carmen reſpexit,

*Centauri in foribus ſtabulant.*

Ut & Papinius in Achilleide,

*Centauri ſtabula alta patent.*

Neque mirum ſtabula Centauris tribui, cum Sophocles in Trachiniis ſcripſerit, Ὅδ' οἰῶ ὁ θὴρ Κένταυρος. &, Ἐγὼ γὰρ, ὧν ὁ θὴρ με Κένταυρος, πονῶν.

c *Nec pluviis diluuntur* ] Ut ſpiritibus, ſic pluviis epithetum addiderat: id in vet. lib. reperitur, qui, Nec humentibus pluviis diluuntur.

d *Altero* ] Deeſt hoc m. ſcripto: quemadmodum quod ſequitur, *Alexandri.*

e *Inſcriptam ſuo nomine, locoque vulneris, quem petebat* ] Ita vet. lib. egregié.

## CAP. XV.

## *De Macedonia, & Regum ſucceſſione, ac Pæantide lapide.*

QVi Edonii [quondam] populi, quæque Mygdonia erat terra, aut Pierium ſolum, vel Æmathium, nunc omne, uniformi vocabulo, Macedonica res eſt: & partitiones quæ ſpecialiter antea ſejugabantur, Macedonio nomini contributæ, factæ ſunt corpus unum. Igitur Macedoniam præcingit Thracius limes: meridiana Theſſali & Epirotæ tenent, à veſperali plaga, Dardani ſunt &

Illyrii: qua ſeptentrione tunditur, Pæonia ac Pelagonia protegitur: à Triballis, montanis exceſſibus aquilonio frigori objecta. inter ipſam, & Thraciam, Strymon amnis facit terminum, qui ab Hæmi jugis irrigatur. Verum ut ſileam aut Rhodopen Mygdonium montem, aut Athon claſſibus Perſicis navigatum, continentique abſciſſum mille quingentorum paſſuum longitudine, ſimul & de auri venis & argenti, quæ optimæ in agris Macedonum & plurimæ eruuntur: Oreſtidem dicam. Populi ſunt, qui ut *a* Oreſtidæ dicerentur, inde cœptum. à Mycenis profugus matricida, cum abſceſſus longius deſtinaſſet, natum ſibi in Æmathia parvulum, de Hermione, quam in omnes caſus ſociam adſciverat, hîc mandaverat occulendum. adolevit puer in ſpiritu regii ſanguinis, nomen patris ſui referens: occupatoque quicquid eſt quod procedit in Macedonicum ſinum, & Adriaticum ſalum, terram cui imperaverat Oreſtidem dixit. Admonet Phlegra, ubi antequam oppidum fieret, rumor eſt militia mundi dimicatum cum gigantibus, ut penitus perſequamur quantis probationibus ibidem imperii, indicia divinæ expeditionis in hoc ſæculo perſeveraverint. illic ſiquando, ut accidit, nimbis torrentes excitantur,

tur,

tur,& aucta aquarum pondera,ruptis obicibus, valentius[ſe]in campos ruunt,eluvione oſſa etiam nunc ferunt detegi : quæ ſunt ad inſtar corporis humani, ſed modo grandiore : quæ ob enormem magnitudinem monſtroſi exercitus jactitant exſtitiſſe : idque adjuvatur argumento ſaxorum immanium *b* quibus oppugnatum cælum crediderunt. Pergam ad reſidua, quæ in Theſſaliam & *c* Æmoniam porriguntur. Sunt enim arrectiora quam uſquam proceritas montana attolli valeat : nec eſt in terris omnibus quod merito ad iſtas eminentias comparetur: quippe quas ſolas diluvialis irruptio,cum univerſa obduceret humido ſitu, intactas reliquit. Durant veſtigia non languidæ fidei, quibus apparet hos locos ſuperſtites undoſæ tempeſtati fuiſſe.nam in latebroſis rupium cavaminibus, quæ fluctuum confligiis tunc adeſa ſunt, reduviæ conchyliorum reſederunt,& alia multa quæ affatim mari incito expuuntur:ita ut ſint licet facie mediterranea, appareant tamen ſpecie litorali. Nunc de incolis reddam. Æmathius, qui primus in Æmathia accepit principatum, ſeu quia indago originis ejus ævo diſperiit, ſeu quia ita res eſt,genuinus terræ habetur.Poſt hunc inMacedoniis exortum Æmathiæ nomen perſtitit. ſed Mace-



Digitized by Google

do, Deucalionis maternus nepos: qui ſolus cum domus ſuæ familia morti publicæ ſuperfuerat, vertit vocamen, Macedoniamque à ſe dixit. Macedonem Caranus inſequitur, dux Peloponneſiacæ multitudinis, qui juxta reſponſum datum à deo, ubi caprarium pecus reſediſſe adverterat, urbem condidit, quam dixit Αἴγας, in qua ſepeliri reges mos erat, nec alter excellentium virorum buſtis apud Macedonas priſcos dabatur locus. Succedit Carano Perdicca, II & XX. Olympiade, primus *d* rex nominatus. Cui Alexander Amyntæ filius dives habitus. nec immerito. ita enim affluenter ſucceſſus ejus proficiebant, ut ante omnes Apollini Delphos, Iovi Elidem ſtatuas aureas dono miſerit. voluptati aurium indulgentiſſime deditus: ſic ut plurimos qui fidibus ſciebant, dum vixit, in uſum oblectamenti donis tenuerit liberalibus, inter quos & Pindarum lyricum. Ab hoc Archelaus regnum excepit, prudens rei bellicæ, navalium etiam commentor præliorum. hic Archelaus in tantum literarum amator fuit, ut Euripidi tragico conſiliorum [ſuorum] ſummam crederet: cujus ſuprema non contentus proſequi ſumtu funeris, crinem tonſus eſt, & mœrorem quem animo conceperat, vultu prodidit. Idem Archelaus

Pythias

Digitized by Google

Pythias & Olympicas palmas quadrigis adeptus, Græco potius animo quam regali gloria illa præ ſe tulit. Poſt Archelaum Macedonica res diſſenſione jactata in Amyntæ regno ſtetit, *e* cui tres liberi: ſed Alexander patri ſuccedit. quo exemto, Perdiccæ primum data copia *f* ampliſſimæ poteſtatis: qui obiens hereditarium regnum fratri Philippo reliquit, quem captum oculo dextro apud Methonem ſupra diximus. cujus debilitatis omen præceſſerat. nam cum nuptias ageret, acciti tibicines carmen Cyclopeum quaſi de colludio concinuiſſe traduntur. Hic Philippus Magnum procreat *g* Alexandrum: quamlibet Olympias Alexandri mater nobiliorem ei patrem acquirere affectaverit, cum ſe coïtu draconis conſitam affirmaret. Ita tamen & ipſe egit ut deo genitus crederetur. peragravit orbem, rectoribus Ariſtotele & *h* Calliſthene uſus: ſubegit Aſiam, Armeniam, Iberiam, Albaniam, Cappadociam, Syriam, Ægyptum: Taurum Caucaſumque tranſgreſſus eſt: Bactros domuit: Medis & Perſis imperavit: cepit Indiam, emenſus omnia ad quæ Liber & Hercules acceſſerant. Forma ſupra hominem auguſtiore, cervice celſa, lætis oculis & illuſtribus, malis ad gratiam rubeſcentibus *i* reliquis corporis non ſine

majeſtate quadam decoris. victor omnium, vino & ira victus. ſic morbo vinolentiæ apud Babylonem, humiliore quam vixerat fortuna, exemtus eſt. Poſt quem qui fuerunt, magis ad ſegetem Romanæ gloriæ, quam ad hereditatem tanti nominis ortos invenimus. Macedonia lapidem gignit quem Pæantidem vocant. hunc eundem & concipientibus & parientibus opitulari fama prodiga eſt. circa Tireſiæ ſepulcrum plurimus invenitur.

## IN CAP. XV.

a *Oreſtidæ*] Vet. lib. & Plinius, & Stephanus, Oreſtæ. A Stephano eadem quæ à Solino commemorantur. Attigit etiam aliqua ex parte in Oreſte Euripides,

- σὲ δ' αὖ χρεὼν,
Ὀρέστα, γαίας τῆσδ' ὑπερβαλόνθ' ὅρους,
Παῤῥάσιον οἰκεῖν δάπεδον, ἐνιαυτοῦ κύκλον.
Κεκλήσεται δ' ἢ σῆς φυγῆς ἐπώνυμον,
Ἀζᾶσιν, Ἀρκάσιν τ' Ὀρέστειον καλεῖν.

Aliquanto poſt, b *Quibus oppugnatum cælum crediderunt*] Vet. lib. Quibus oppugnandum impetitum cælum crediderunt: unde quis conjiciat, cum antea, Quibus impetitum cælum crediderunt, ſcriptum foret, ſupra ſecundam vocem inter lineas, interpretationis loco, Oppugnatum, poſitum: inde eam vocem in contextum irrepſiſſe, poſteaque in, Oppugnando, mutatam fuiſſe.

c *Æmoniam porriguntur*] In vet. lib. eſt. Athamaniam contendunt.

d *In*

Digitized by Google

d *In Macedonia* ] Hæc ex v. lib. ſide inducenda apparet: ſicut quod ſequitur, *ampliandis opibus.* non, quia apertiorem ſententiam non reddant, ſed quia gloſſæ ſunt, quibus bonos libros non convenit maculari.

e *Cui tres liberi* ] Num ita, an, ut m. ſ. habet, filii, legas? hoc intereſt, quod liberorum nomine etiam nepotes ac pronepotes contineantur.

f *Ampliſsimæ poteſtatis*] Additur in ἀπογράφῳ, *indipiſcundæ*: quam vocem, cum non intelligeretur, fuiſſe ſublatam apparet, licet ſit Latina, & Latinis ſcriptoribus familiaris.

g *Alexandrum* ] Vt ſupra à vet. lib. tantum Magnum vocat.

h *Caliſthene* ] Lege ex Arriano, *Calliſthene.*

i *Reliquis corporis liniamentis* ] Cum gloſſa ſit, in vet. lib. non habetur.

## CAP. XVI.

### *Thracum mores, & Inſtituta, & Provinciæ ſitus ac natura,*

NVnc in Thraciam locus [eſt] pergere, & ad validiſſimas Europæ gentes vela obvertere: quas qui ſedulo experiri velint, non difficulter deprehendent, Thracibus barbaris ineſſe contemtum vitæ, ex quadam naturalis ſapientiæ diſciplina. concordant omnes ad interitum voluntarium, dum nonnulli eorum putant obeuntium animas reverti: alii, non extingui, ſed beatas magis fieri. Apud

plurimos luctuoſa ſunt puerperia. denique recens natum fletu parens excipit: contraverſum læta ſunt funera, adeo ut exemtos gaudiis proſequantur. Vxorum numero ſe viri jactant, & *a* honoris loco ducunt multiplex conjugium. Quæ fœminæ tenaces ſunt pudicitiæ, defunctorum inſiliunt conjugum rogos, &, quod maximum inſigne ducunt caſtitatis, præcipites in flammas eunt. Nupturæ non parentum arbitrio tranſeunt ad maritos: ſed, quæ præ aliis ſpecie valent, *b* ſubarrari volunt, &, licentia taxationis admiſſa, non moribus nubunt, ſed præmiis: quas formæ premit dedecus, dotibus emunt quibus conjungantur. Vterque ſexus epulantes, focos ambiunt, herbarum quas habent ſemine ignibus ſuperjecto. Cujus nidore perculſi pro lætitia habent imitari ebrietatem ſenſibus ſauciatis. De ritu iſta ſunt: de locis & populis quæ ſequuntur. Strymonem accolunt dextro latere *c* Danthelatæ. Beſſorum quoque multa nomina aduſque Neſtum amnem, qui radices Pangæi circumfluit. Hebrum Odryſarum ſolum fundit, qui fluvius excurrit inter Briantas, *d* Dolongios, Thynos, Corpillos, alioſque barbaros, tangit & Ciconas. Deinde Æmus ſex millibus paſſuum arduus, cujus averſa Mœſi, Getæ, Sarmatæ,

Scythæ

Scythæ & plurimæ inſidunt nationes. Ponticum litus Sithonia gens obtinet, quæ nato ibi Orpheo vate *e* decus addidit nomini: quem ſive ſacrorum ſive cantuum ſecreta in Serrio promontorio agitaſſe tradunt. Deinde ſtagnum Biſtonium: nec longe regio Maronea, in qua Tinda oppidum fuit, equorum Diomedis ſtabulum: ſed ceſſit ævo, ſolumque turris veſtigium adhuc durat. Inde non procul urbs Abdera, quam Diomedis ſoror [&] condidit, & à ſe ſic vocavit. Mox Democriti domus phyſici, ac, ſi verum rimere, ideo nobilior. Hanc Abderam, Olympiade prima & triceſima ſenio collapſam, Clazomenii ex Aſia, ad majorem faciem reſtitutam, obliteratis quæ præceſſerant, nomini ſuo vindicarunt. Locum Doriſcon illuſtrem reddidit Xerxis adventus: quod ibi recoluit militis ſui numerum. Polydori tumulum oſtendit Æmus, in parte quam Aroteres Scythæ celebrant. Quondam urbem Geraniam, *f* Cattuzan barbari vocant: unde à gruibus Pygmæos ferunt pulſos. manifeſtum ſane eſt in ſeptentrionalem plagam hyeme grues frequentiſſimas convolare. nec piguerit meminiſſe quatenus expeditiones ſuas dirigant. Sub quodam militiæ eunt ſigno, & ne pergentibus ad deſtinata vis flatuum

reni-

renitatur, arenas devorant, ſublatiſque lapillulis ad moderatam gravitatem ſaburrantur. tunc contendunt in altiſſima, ut de excelſiore ſpecula metentur quas petant terras. Fidens meatu præit catervas, ut volatus deſidiam caſtiget, voceque cogat agmen. Ea ubi òbraucata eſt, ſuccedit alia. Pontum tranſituræ, anguſtias captant: & quidem eas. nam promtum eſt oculis deprehendere quæ inter Tauricam ſunt & Paphlagoniam: id eſt inter Carambim & κριοῦ μέτωπον. Cum trans medium alveum adventaſſe ſe ſciunt, ſcrupulorum ſarcina pedes liberant. ita nautæ prodiderunt, compluti ſæpe ex illo caſu imbre ſaxatili. Arenas non prius revomunt quam ſecuræ ſedis ſuæ fuerint. Concors cura omnium pro fatigatis: adeo ut ſiquæ defecerint, congruant univerſæ, laſſaſque ſuſtollant, uſque dum vires otio recuperentur. Nec in terra cura ſegnior. Excubias nocte dividunt, ut exſomnis ſit decima quæque. Vigiles ponduſcula digitis amplectuntur, quæ ſi forte exciderint, ſomnum coarguant. quod cavendum erit, clangor indicat. Ætatem in illis prodit color. nigreſcunt [enim] ſenectute. Veniamus ad promontorium Χρυσόκερας, Byzantio oppido nobile, antea Lygos dictum: quod à Dyrrhachio abeſt ſeptingentis

gentis undecim millibus paſſuum. tantum enim patet inter Adriaticum mare, & Propontidem. In Cænica quoque regione non longe à Flaviopoli colonia, Byziæ oppidum, g quondam arx Terei regis: hinc inviſum hirundinibus, & deinceps alitibus illis inacceſſum. quanquam & Thebas quod illa mœnia ſæpius capta ſint, negent ſubire. Nam inter cetera habere illas quiddam præſcium, inde dinoſcitur, quod lapſura non appetunt culmina, & aſpernantur peritura quoquomodo tecta. Minime certe à diris avibus impetuntur, nec unquam præda ſunt, ut ſacræ. Cibos nunquam ſumunt reſidentes, ſed in aëre capiunt eſcas & hauriunt. Alter Iſthmos in Thracia eſt ſimilibus anguſtiis, & pari latitudine arti maris, cujus litora duæ urbes utrinque ſecus oſtentant. Propontidis oram inſignit Pactye, Melanem ſinum Cardia: quæ quod in cordis faciem ſita ſit, dicta Cardia eſt. Omnis autem magnus Helleſpontus ſtringitur in ſtadia ſeptem, quibus ab Europa Aſiaticam plagam vindicat. Hîc quoque urbes duæ, Abydos Aſiæ eſt, [&] Seſtos Europæ. Deinde contraria inter ſe promontoria, Maſtuſia Cherroneſi, ubi finitur Europæ ſinus tertius: Sigæum Aſiæ, in quo tumulus eſt *h* Cynoſſema dictus, Hecubæ ſepulcrum,

pulcrum, & turris Proteſilai delubro data. Finibus Thraciæ à ſeptentrione Iſter obtenditur, ab oriente Pontus ac Propontis, à meridie Ægæum mare.

IN CAP. XVI.

a *Honoris loco ducunt*] Quædam membranæ, Judicant.

b *Subhaſtari volunt*] Jo. Camers, Sunt exemplaria, inquit, quæ *Subarrari habeant*. quod ipſum ego quoque in Lipſii cod. inveni. Non recordor apud veteres ſcriptores hanc vocem legere, quæ in canonibus frequens eſt. Julianus Pontifex II. Decret. parte, Si quis deſponſaverit uxorem, vel ſubarraverit. Innocentius III. cap. XIV. de deſponſat. impub. Quidam filiam ſuam, circiter XII. annos habentem, cuidam nobili deſponſavit: qui ſubarravit eandem, conſenſu mutuo accedente. Deinde paullo inferius, Quamvis ab ipſo viro eadem fuerit ſubarrata. Gregorius etiam, Si quis uxorem deſponſaverit, vel eam ſubarraverit. Arbitror ſubarrationem genus quoddam coëmtionis, ſeu donationis, matrimonii contrahendi gratia introductum. Equidem quod Julianus, Innocentius & Gregorius ſubarrare dicunt, illud ipſum in decretis concilii Tiburienſis donare vocatur. ſic enim in eo ſcribitur, De Francia nobilis quidam homo, nobilem mulierem de Saxonia, lege Saxonum, duxit in uxorem: verum quia non eiſdem legibus utuntur Saxones & Francigenæ, cauſſatus eſt quod eam non ſua, id eſt Franconum, lege deſponſaverat, vel acceperat, vel donaverat: dimiſſaque illa, aliam ſuperduxit. Hanc autem coëmendi conſuetudinem, vel donandi, vel ſubarrandi (hic enim illa confundo) Burgundionibus

Digitized by Google

bus & Saxonibus tempeſtate illa tritam fuiſſe ex tit. XIV. & XXXIV. legum, quas Burgundiones à Gundobaldo rege acceperunt, & tit. VI. IX. ac XVII. legum Saxonicarum notum eſt. Quod igitur Solinus ait Thracum uxores ſubarrari velle, hoc ita intelligo: nolle eas cuiquam nubere niſi prius certam aliquam pecuniæ ſummam obtulerit, ut ea accepta, ſi placeat, in offerentis manum conveniant. Porro ab hoc loco non eſt alienum quod Xenophon teſtatur Ἀναβ. ζ. Thraces ſolitos uxores futuras emere: quanquam eo non hæc magis quam illa lectio confirmetur.

c *Denſalatæ*] Plinius uno loco, Denſelatas, alio, Denſcletas, quemadmodum Capella, nominat. Cicero in Piſonem, Denteletas. Livius lib 39. & 40. Dentelethas. Ptolemæus, Δηθηλάζας. Strabo & alii plerique, Δανθηλῆτας.

d *Dolancas*] In m. ſ. eſt, Dolongos. Stephanus aliique, Δολογκίους.

e *Decus addidit nomini*] O. vet. lib. Inter principes judicatur.

f *Cattruſan*] Cathizon vet. lib. Ejus urbis incolas Plinius Catizos vocat: ſed alia Solini exemplaria hanc Catturan appellant: quibus Stephanus conſentit.

g *Quondam arx Terei regis, nunc inviſum & inacceſſum hirundinibus, & deinceps alitibus aliis*] In vet. lib. legitur: Quondam area Terei regis, inviſum hirundinibus, & deinceps alitibus, illis inacceſſum.

h *Cynoſſema*] Vet. lib. Cynoſema. Non ſatis emendate. nam Thucydidi, & Heroni, ſeu, ſi mavis, Sabino ſophiſtæ, κυνόσημα dicitur. Auſonius etiam,

*Quicunque hoc noſtrum σῆμα κυνὸς legitis.*

## CAP. XVII.

*Inſulæ, Claros, cujus facies Ægæo Mari nomen dedit, Cythera, Creta, in qua multa referuntur quæ tum ad animalium omnium genera, tum ad plantas pertineant: Caryſtos cum aquis Hellopiis mire ſalubribus, Cyclades, Sporades, Atho montis umbra.*

INter Tenedum & Chium eſt Claros inſula, quâ Ægæus ſinus panditur: ad dextra Antandrum navigantibus ſaxum eſt. hoc enim verius quam inſula meruit cognominari. id quoniam viſentibns procul *a* capreæ ſimile creditur, quam Græci *αἶγα* nuncupant, Ægæus [ab eo] ſinus dictus eſt.] A *b* Phalacro Corcyræ promontorio ad navis effigiem ſcopulus eminet, in quem transfiguratam Vlyſſis navem crediderunt. Cytheræ, quæ à Malea abeſt quinque millibus paſſuum, Porphyris antea nomen fuit. *c* Pronius eſt Cretam dicere, quam abſolvere in quo mari jaceat. Ita enim circumflui illius nomina Græci permiſcuerunt, ut dum aliis alia inferunt, pene oblimaverint univerſa. Quanta poſſumus tamen fide in deſignanda operam locabimus, nequid hæreat ſub ancipiti. Inter ortum porrigitur & occaſum

tractu

Digitized by Google

tractu longiſſimo, hinc Græcia, illinc Cyrenis objacentibus. à ſeptentrione Ægæis, & ſuis, id eſt Creticis, æſtibus verberatur: ab auſtro Libycis undis perfunditur & Ægyptiis. *d* non ſtipata centum urbibus, ſicut perhibent qui prodige lingua largiti ſunt, ſed magnis & ambitioſis oppidis: quorum principatus eſt penes Gortynam, Cydona, *e* Cnoſſon, Therapnas, *f* Dium, Lyctum. Doſiades eam à Crete Nympha Heſperidis filia, Anaximander à Crete rege Curetum, Crates Aëriam prius dictam, mox Curetim, nonnulli etiam à temperie cœli Μακαρόνησον appellatam prodiderunt. *g* Prima mari potuit navibus & ſagittis, prima litteris jura junxit. Pyrrhicen docuit, Pyrrho repertore. Equeſtres turmas prima docuit laſcivas vertigines implicare: ex qua diſciplina bellicæ rei uſus datus [eſt.] Studium muſicum inde cœptum, cum Idæi Dactyli modulos crepitu ac tinnitu æris deprehenſos in verſificum ordinem tranſtuliſſent. Albet jugis montium Dyctinnæi & Cadiſchi, qui ita excandeſcunt ut eminus navigantes magis putent nubila. Præter ceteros Ida eſt, qui ante ſolis ortum ſolem videt. Varro in libro quem De litoralibus fecit, etiam ſuis temporibus affirmat ſepulcrum Iovis ibi viſitatum. Cretes Dianam reli-

giosiſſi-

gioſiſſime venerantur, Βεͅλθομάρτιν gentiliter nominantes, quod ſermone noſtro ſonat virginem dulcem. Ædem numinis præterquam nudus veſtigia nullus licito ingreditur. ea ædes oſtentat manus Dædali. Gortynam amnis Lethæus præterfluit, quo Europam Tauri dorſo Gortyni ferunt vectitatam. hidem Gortyni & Cadmum colunt, Europæ fratrem: ita enim memorant. Videtur hic, & occurrit, ſed die jam veſperato, auguſtiore ſe facie viſendum offerens. Cnoſſii Minervam civem deam numerant, primumque *h* apud ſe fruges ſatas affirmant, audacter cum Atticis contendentes. Ager Creticus ſilveſtrium caprarum copioſus eſt, cervo eget: lupos, vulpes aliaque quadrupedum noxia nunquam educat. ſerpens nulla: larga vitis: mira ſoli indulgentia: arborarii proventus abundantes. nam in hujus tantum inſulæ parte repullulant cæſæ cupreſſi. Herba ibi eſt quæ ἄλιμος dicitur: ea admorſa diurnam famem prohibet. proinde & hæc Cretica eſt. Phalangium aranei genus eſt: ſi niſum quæras, nulla vis eſt: ſi poteſtatem, ictum hominem veneno interficit. Lapis quoque Idæus Dactylus dicitur inſulæ iſtius alumnus, coloris ferrei, humano pollici ſimilis. Avem noctuam Creta non habet: & ſi in-

ſi invehatur, emoritur. Caryſtos aquas calentes habet, quas ἐλλοπίας vocant: & Caryſtias aves, quæ flammas impune involant: carbaſa etiam quæ inter ignes valent. Chalcis eadem habita eſt apud priſcos, ut Callidemus auctor eſt, ære ibi primum reperto. Titanas in ea antiquiſſime regnaſſe oſtendunt ritus religionum. Briareo enim rem divinam Caryſtii faciunt, ſicut Ægæoni Chalcidenſes. nam omnis ferme Eubœa Titanum fuit regnum. Cycladas autumant inde dictas, quia, licet ſpatiis longioribus à Delo projectæ, in orbem tamen circa Delum ſitæ ſunt, & orbem κύκλον Graii ferunt. Ios Homeri tumulo ceteras antecedit. Meminiſſe hoc loco par eſt, poſt primum diluvium Ogygii temporibus notatum, cum novem & amplius menſibus diem continua nox inumbraſſet, Delon ante omnes terras radiis ſolis illuminatam, ſortitamque ex eo nomen, quod prima reddita foret viſibus. Inter Ogygium ſane & Deucalionem medium ævum D C. annis datur. *i* Eadem eſt Ortygia, quæ clariſſima è Cycladum inſularum numero multifariam traditur. nunc Aſteria, à cultu Apollinis: nunc à venatibus Lagia, vel Cynethus: Pyrpole etiam, quoniam & ignitabula ibi & ignis inventa ſunt. In hac primum viſæ coturnices

nices aves, quas ὄρτυγας Græci vocant.] Has eaſdem in Latonæ tutela exiſtimant conſtitutas: nec ſemper apparent. adveniendi habent tempora æſtate depulſa. cum maria tranant, impetus differunt, & metu ſpatii longioris, vires ſuas nutriunt tarditate. Vbi terram perſentiſcunt, coëunt catervatim, deinde globatæ vehementius properant: quæ feſtinatio plerunque exitium portat navigantibus. Accidit enim [plerunque] noctibus, ut vela incidant, & præponderatis ſinibus alveos mergant. Auſtro nunquam exeunt: nam metuunt vim flatus tumidioris. Plurimum ſe aquilonibus credunt, ut corpora pinguiuſcula, atque eo tarda, facilius provehat ſiccior & vehementior ſpiritus. Ὀρτυγομήτρα dicitur quæ gregem ductitat. eam terræ proximantem accipiter videns rapit: ac propterea opera eſt univerſis ut ſollicitent ducem generis externi, per quam fruſtrentur prima diſcrimina. Cibos gratiſſimos habent ſemina venenorum: quam ob cauſſam eas damnavêre prudentium menſæ. Solum hoc animal, præter hominem, morbum patitur comitialem. Eubœa tam modico æſtu dividua eſt à Bœotiæ continenti, ut dubitandum ſit an numerari inter inſulas debeat. Nam latere, quem vocant Euripum, terræ ponte jungitur, & per fabri-

Digitized by Google

ſabricam breviſſimæ machinæ aditur pede. Cenæo promontorio vadit in ſeptentrionem: duobus aliis in meridiem extenditur: quorum Geræſtos ſpectat Atticam, Caphareus prominet in Helleſpontum: ubi poſt Ilii excidium, Argivam claſſem vel Minervæ ira, vel (quod certior prodit memoria) ſydus Arcturi gravibus affecit caſibus. Marmore Paros nobilis, à Delo oppido frequentiſſima, prius tamen Minoia quam Paros dicta. nam ſubacta à Minoë, quoad in Creticis manſit legibus, Minoiam loquebantur. Præter marmor dat & Sardam lapidem, qui marmore quidem præſtat, inter gemmas vero viliſſimus ducitur. Naxon à Delo duodeviginti millia paſſuum ſeparant, in qua Strongyle oppidum. ſed Naxos, Dionyſia prius quam Naxos dicta, vel quod hoſpita Libero patri, vel quod fertilitate vitium vincat ceteras. Sunt præterea Cyclades plurimæ: ſed in ſupra dictis præcipuum eſt quod memoriæ debeatur. De Sporadibus eſt [&] Icaros, quæ Icario mari nomen dedit. hæc inter Samum & Myconum procurrentibus ſaxis inhoſpita, ac nullis ſinibus portuoſa, ob *k* inhumana litora infamis eſt. Vult ergo Varro Icarum Cretem ibi naufragio interiiſſe, & de exitu hominis impoſitum nomen loco. Nam in Samo nihil

nihil nobilius quam Pythagoras civis,qui mox offenſus faſtu tyrannico, relicta domo patria, Bruto conſule (qui reges urbe exegit) Italiam advectus eſt. Melos,quam Callimachus Μιμαλλίδα dixit, omnium inſularum rotundiſſima eſt,juxta Æoliam. Nam Carpathus ipſa eſt,à qua Carpathium ſinum dicimus. Nunquam ita cælum nubilum eſt, ut in ſole Rhodos non ſit. Lemnii Vulcanum colunt, ideo in Lemno metropolis Hephæſtia. Præterea oppidum *m* Myrrhina, in cujus forum mons Athos è Macedonia umbram jacit: quod non fruſtra inter miracula notaverunt, cum Athos à Lemno ſex & octoginta millibus paſſuum ſeparetur. Eſt ſane Athos ſublimis adeo ut altior æſtimetur quam unde imbres cadunt. quæ opinio eo fidem concepit, quod in aris quas cacumine ſuſtinet, nunquam cineres eluuntur, nec quicquam ex aggeribus ſuis perdunt: ſed quo relicti fuerint cumulo permanent. In ſummo & oppidum Acrothon fuit, in quo dimidio longior quam in aliis terris, incolentium ætas *n* prorogabatur: ideo inde homines μακροβίους Græci, noſtri appellavêre longævos.

## IN CAP. XVII.

a *Capræ ſimile* ] Iidem ſcrip. lib. capreæ. Virgilius Georg. II,

*-- capreæque ſequaces.*

b *Phalario* ] Equidem ex Plinio & Græcis, ut hîc, ſic in Capellæ codice, Phalacro repoſuerim. aliud autem eſt promontorium Phalacra, de quo Lycophron & Coluthus Thebanus.

c *Pronius eſt Cretam dicere* ] Antiq. codex, protinus: quod in recentioribus immutatum eſt, vel in, pronius, vel in, promtius. Simile in notis ad Claudianum obſervavimus. cum enim vulgo legatur,

*Promtius imponam glaciali Pelion Oſſæ:*

membranas monui protinus continere: id quomodo explicarim, ibi eſt videre.

d *Conſtipata* ] Vet. lib. ſtipata. legendum exiſtimo, non ſtipata.

e *Gnoſon* ] Lege ex Homero *Cnoſſon.*

f *Scylletion* ] Maxima eſt o. l. inconſtantia, his illud, aliis aliud tradentibus. ſunt qui legant, Cyteum, Lyſſon. Lipſii liber, Scyliſſon. Ego, quia conjicere cuilibet permittitur, emendem, vel Dium, Lyſſon: vel ſane, Dium, Lyctum. Quas duas urbes inter Cretæ eximias Plinius ſtatuit. poſteriorem etiam Homerus Iliad. β,

Λύκτον, Μίλητόν τε, καὶ ἀργινόεντα Λύκαστον.

& Heſiodus in Theogonia,

Πέμψαν δ' ἐς Λύκτον Κρήτης ἐς πίονα δῆμον.

& Florus lib. 99. Livianæ hiſtoriæ.

g *Prima mari potuit navibus* ] Non quod naves primi Cretenſes invenerint: ſed quia primi, Minoë duce, claſſe pugnarunt. Quapropter apud

Senecam noverca privigni amore ſaucia, queſtus ſuos orditur,

*O magna vaſti Creta dominatrix freti.*

Eadem quoque dicenda erunt, ſi quis m. ſ. libri lectionem ſequatur, qui pro, navibus, habet, remis. nam remos à Copis Atticæ populis excogitatos accepimus.

h *Apud ſe fruges ſatas affirmant, audacter cum Atticis contendentes*] Sic vulgo legitur: ſed in vet. lib. non eſt, affirmant: &, contendunt, pro, contendentes.

Quod paulo poſt eſt, *Inſulæ iſtius alumnus*] Inſulæ iſti familiaris, in membranis continetur.

i *Eadem eſt Ortygia, quæ clariſſima è Cycladum inſularum numero multifariam traditur*] Non opinor erraſſe me, qui ex vet. lib. excuſam lectionem ſic caſtigarim.

k *Inhumana litora*] Inhumana litorum. antiq. cod. habet.

*l* Μελάνιδα] Vet. lib. & Plinius. Milanida.

m *Myrina*] Vet. lib. Mirrina. Plinio, Myrrhina, Stephano Μύρινα.

n *Prorogabatur*] M. ſ. continent, porrigebatur.

## CAP. XVIII.

### *Ex quarto Europæ ſinu, Helleſpontus, Propontis, Boſporus Thracius: & mira de delphinis.*

QVartus Europæ ſinus Helleſponto incipit, a Mæotidis oſtio terminatur: atque omnis hæc latitudo quæ Europam Aſiamque dividit, in ſeptem ſtadiorum anguſtias

guſtias ſtringitur. Hic eſt Helleſpontus quem Xerxes ponte navibus facto permeavit. Tenuis deinde Euripus porrigitur ad Aſiæ urbem Priapum quam Magnus Alexander potiundi orbis amore tranſcendit, & potitus eſt. Inde diffuſus æquore patentiſſimo, rurſus ſtringitur in Propontidem: mox in quingentos paſſus coartatur, fitque Boſporus Thracius, quà Darius copias tranſportavit. Hæc profunda delphines plurimos habent, in quibus cauſſæ miraculi multiformes. Ante omnia nihil velocius habent maria, ſic ut plerunque ſalientes tranſvolent vela navium. Quoquo eant, *b* conjuges evagantur: catulos edunt: decimus menſis maturum facit partum. Lucinam æſtivus dies ſolvit: uberibus fœtus alunt: teneros in faucibus receptant: invalidos aliquantiſper proſequuntur: in triceſimum annum vivunt, quod exploratum eſt in experimentum caudis amputatis. Ora non quo ceteræ belluæ loco habent, ſed ferme in ventribus: contra naturam aquatilium ſoli linguas movent. aculeatæ ſunt pennæ dorſuales: cum ira ſubjacet, inhorreſcunt: *c* cum animi conquieſcunt, quibuſdam receptaculis operiuntur. Spirare eos in aquis negant, & vitales auras non niſi in aëre ſupero recuperare. pro voce gemitus eſt ſi-

 milis

milis humano. certum habent vocabulum, quo accepto, vocantes ſequuntur. nam proprie *d* Simones nominantur. voces hominum aquilonis flatu celerius hauriunt: contra auſtro ſpirante auditus obſtruuntur. mulcentur muſica: gaudent cantibus tibiarum: ubicunque ſymphonia eſt, gregibus adventant. D. Auguſto principe, in Campania delphinum puer fragmentis panis primo illexit, & in tantum conſuetudo valuit, ut alendum ſe etiam manibus ipſius crederet: mox cum *e* proluſiſſet puerilis audacia, intra ſpatia eum Lucrini lacus evectitavit: unde effectum ut à Baiano litore equitantem puerum Puteolos uſque veheret. hoc per annos plurimos tandiu geſtum [eſt,] donec aſſiduo ſpectaculo deſineret miraculum eſſe quod gerebatur. ſed ubi obiit puer, ſub oculis publicis deſiderii mœrore delphin interiit. Pigeret hoc aſſeverare, ni Mæcenatis & *f* Fabiani, multorumque præterea eſſet litteris comprehenſum. In *g* Africo mox litore, apud *h* Hipponem Diarrhyton, delphin ab Hipponenſibus *i* paſtus tractandum ſe præbuit, impoſitos quoque frequenter geſtitavit. nec populi tantum manibus acta res eſt. nam etiam proconſul Africę Flavianus, ipſe eum contigit, unguentis etiam delibuit: qua odoris novi-

novitate obſopitus, aliquantiſper pro exanimi jactitatus eſt, multiſque menſibus deſcivit à ſolita converſatione. Apud Iaſſum, urbem Babyloniæ, puerum delphinus adamavit, quem dum poſt aſſueta colludia recedentem impatientius ſequitur, arenis invectus inhæſit. Alexander Magnus amorem illum numinis fuiſſe interpretatus, *k* præfecit puerum Babylone Neptuni ſacerdotio. Iuxta eandem urbem, ut Egeſidemus auctor eſt, alium puerum, Hermiam nomine, per maria ſimiliter inſidentem, cum undoſior fluctus necaſſet, delphin ad terram revexit, & velut fateretur reatum, pœnitentiam ſuam morte multavit, nec reverti voluit amplius in profunda. Suppetunt & alia exempla, ut Arionem tranſeamus, cujus exitum annalium fides comprobat. Ad hæc ſiquando laſciviunt novi fœtus, à majoribus datur adultior cuſtos, quo magiſtro diſcunt eludere impetus incurſantium belluarum. quanquam ibi præter phocas rara bellua eſt. Plurimus thynnus in Ponto: nec alibi pene fœtificant. nuſquam enim citius adoleſcunt, ſcilicet ob aquas dulciores. *l* Illabuntur veris tempore: intrant *m* dextro latere, ſævo exeunt. hoc inde accidere credunt quod dextris oculis acutius cernunt quam ſiniſtris.

## IN CAP. XVIII.

a *Mæotidis* ] Vet. lib. egregie, Mæotis. Quippe Plinius ait, Mæotis oſtio finitur. & Martianus, Mæotis oſtio terminatur.

b *Conjuges evagantur* ] Hoc eſt, ut ait Plinius, conjuga. Ceterum in vet. lib. continetur, non, quoquo eant: ſed, quo coëant: hoc eſt, ut coëant. & ſic pudorem illis à natura inſitum probaret.

c *Cum animi conquieſcunt* ] M. ſ. Cum animus quieſcit, habet.

d *Simones* ] O. vet. lib. Sinomones.

e *Proluiſſet* ] In m. ſ. proluſiſſet, invenio.

f *Fabiani* ] Codicis, ut mea fert ſententia, vitio apud Plinium, lib. IX. cap. IIX. hic, Flavianus dicitur: ſi ejuſdem lib. I. aſſentimur. Hoc loco vet. lib. Fabii, continet.

g *Africano* ] Plinius cum vet. cod. tradit, Africo.

h *Hipponem Diarrhyton* ] Vox poſterior in vet. lib. non eſt: dictum tamen videtur ad alterius Hipponis differentiam.

i *Paſtus* ] In vet. lib. hoc non habetur.

k *Præfecit puerum Neptuni ſacerdotio* ] Plinius ſcribit, Puerum Babylone Neptuni ſacerdotio præfecit. addens locum, ubi ſacerdotio puer præfectus fuit, Babylonem fuiſſe. qua urbe è legitima ſua ſede pulſa, & in maxime alienum deportata, fœdiſſimum mendum Solini codices occupavit: quod ſi depulero, nonnullum me pretium operæ conſecutum arbitrabor. Legitur vulgo, Apud Iaſſum urbem (m. ſ. deeſt hæc vox) Babyloniæ (vet. lib. Babylonem) puerum delphinus adamavit. Quem dum poſt aſſueta colludia recedentem impatientius ſequitur, arenis invectus hæſit (vet. lib.

lib. inhæſit.) Alexander Magnus, amorem illum numinis fuiſſe arbitratus, præfecit puerum (vet. lib. hoc loco inſerunt vocem, lege) Neptuni ſacerdotio. Miſere convulſa hæc eſſe verba, quod viderint alii, probo: quod mederi neglexerint, non probo: quod vero & Solinum reprehenderint, illud non modo non probo, ſed plane temerarium judico. Quis enim ſanus arbitretur, quæ ſana non ſunt, pro vera ſcriptoris mente accipienda? hoc Hermolao Barbaro, homini ſuæ ætatis doctiſſimo, uſu nonnunquam eveniſſe, maxime equidem admiror. Sed ad rem. auſim Jovem ſilicem (quod dicitur) jurare, ita locum hunc à Solino litteris mandatum fuiſſe, Apud Jaſſum puerum delphinus adamavit, quem dum, poſt aſſueta colludia recedentem, impatientius ſequitur, arenis invectus inhæſit. Alexander Magnus amorem illum numinis fuiſſe interpretatus, præfecit puerum Babylone Neptuni ſacerdotio.

l *Illabuntur*] Vet. lib. habent, ingrediuntur.

m *Dextro littore*] M. ſ. lectionem, latere, Ariſtoteles lib. 8. De hiſtor. animal. confirmat: nec me fugit Plinium tradere, dextra thynnos ripa intrare, exire læva.

## CAP. XIX.

### *De Iſtro, Hypani & Boryſthene fluviis, & Scythiæ parte: & de memorandis fere omnibus quæ in his naſcuntur locis.*

ISter Germanicis jugis oritur, effuſus monte qui in *a* Rauracos Galliæ ſpectat: ſexaginta amnes in ſe recipit, omnes

ferme navigabiles : ſeptem oſtiis Pontum influit, quorum primum Peuce, ſecundum Naracuſtoma, tertium Caloſtoma, quartum Pſeudoſtoma. nam Boreoſtoma, ac deinde *b* Stenoſtoma languidiora ſunt ceteris. ſeptimum vero pigrum ac paluſtri ſpecie, non habet quod amni comparetur. priora quatuor adeo magna ſunt ut per longitudinem quadraginta millium paſſuum non miſceantur æquori, *c* dulcemque hauſtum incorrupto detineant ſapore. Per univerſum Pontum Fiber plurimus, quem alio vocabulo dicunt Caſtorem. Lutræ ſimilis eſt, animal morſu potentiſſimum : adeo ut cum hominem invadit, conventum dentium non prius laxet quam concrepuiſſe perſenſerit oſſa fracta. teſticuli ejus appetuntur in uſum medelarum : iccirco cum urgeri ſe intelligit, ne captus proſit, ipſe geminos ſuos devorat. Mittit Pontus [&] gemmas, quas à patria Ponticas dicimus : genere diverſo. aliæ aureas, aliæ ſanguineas habent ſtellas : & *d* hæc quidem quæ inter ſacras habentur, non guttis aſperſæ ſunt, ſed longis colorum ductibus liniuntur : indeque oſtentationi potius quam uſui deliguntur.

IN CAP. XIX.

a *Rauracos* ] Sic in Plinio lib. 4. cap. 12. legendum Iul. Cæſar docet.

b *Spireo-*

Digitized by Google

b *Spireoſtoma* ] Alii vulgares, Stenoſtoma: ſcripti lib. vero, Spilonſtoma.

c *Dulcemque hauſtum incorrupto detineant ſapore*] In vet. lib. Dulcemque hauſtu incorrupto detineant ſaporem.

d *Et hæ quidem inter ſacras habentur. namque oſtentationi potius quam uſui deleguntur. Non guttis aſperſæ ſunt, ſed longis colorum ductibus liniuntur*] Alius in membranis, &, niſi fallor, horum aptior eſt ordo: & hæ quidem quæ i. ſ. h. non guttis aſperſæ ſunt, ſed longis colorum ductibus liniuntur. namque oſtentationi potius quam uſui deliguntur. Si tamen pro, namque, legeretur unde, vel indeque.

## CAP. XX.

### *De Hypani & Boryſthene.*

HYPANIS oritur inter Auchetas, Scythicorum amnium princeps, purus & hauſtu ſaluberrimus, uſque dum *a* Callipidum terminis inferatur, ubi fons Exampeus infamis eſt, amara ſcaturigine: qui Exampeus liquido admiſtus fluori, amnem vitio ſuo vertit, adeo ut ſibi diſſimilis in maria condatur. ita inter gentium opiniones fama de Hypane diſcordat: qui in principiis eum norunt, prædicant: qui in fine experti ſunt, non injuria execrantur. Apud Neuros naſcitur Boryſthenes flumen, in quo piſces egregii ſaporis, & quibus oſſa nulla ſunt, nec aliud quam

cartilagines tenerrimæ. Verum Neuri,ut accepimus, æſtatis temporibus in lupos transfigurantur : deinde exacto ſpatio quod huic ſorti attributum eſt, in priſtinam faciem revertuntur. Populis iſtis deus Mars eſt : pro ſimulacris enſes colunt: homines victimas habent, oſſibus adolent ignes focorum. Geloni ad hos proximant. de hoſtium cutibus & ſibi indumenta faciunt, & equis ſuis tegmina. Gelonis Agathyrſi collimitantur, cærulo picti, fucatis in cærulum crinibus. nec hoc ſine differentia. nam *b* quanto quis altero præſtat, tanto propenſiore nota *c* tinguitur, ut ſit indicium humilitatis minus pingi. Poſt Anthropophagi, quibus execrandi cibi ſunt humana viſcera: quem morem impiæ gentis, adiacentium terrarum prodit triſtiſſima ſolitudo, quas ob nefarium ritum finitimæ nationes metu profugæ reliquerunt: & ea cauſſa eſt ut uſque ad maris jugum quod Tabin vocant, per longitudinem ejus oræ quæ æſtivo orienti objacet, ſine homine terra ſit, & immenſa deſerta, quoad perveniatur ad Seras. Chalybes & Dahæ in parte Aſiaticæ Scythiæ crudelitate ab immaniſſimis nihil diſcrepant. At Albani in ora agentes, qui poſteros ſe Iaſonis credi volunt, & albo crine naſcuntur, caniciem habent auſpicium capil-

capillorum. ergo capillitii color genti nomen dedit. glauca oculis ineſt pupula: ideo nocte plus quam die cernunt. Apud hos populos nati canes feris omnibus anteponuntur: frangunt tauros, leones *d* perimunt, detinent quicquid objectum eſt. Quibus ex cauſſis meruerunt etiam annalibus tradi. Legimus petenti Indiam Alexandro à rege Albaniæ dono duos miſſos, quorum alter ſues ſibi & urſos oblatos uſque adeo ſprevit, ut offenſus degeneri præda, ignavo ſimilis diu accubaret: quem per ignorantiam velut inertem Alexander extingui imperavit: alter vero, monitu eorum qui donum proſecuti fuerant, leonem miſſum necavit. Mox viſo elephanto notabiliter exſultans, belluam primum aſtu fatigavit, deinde cum ſummo ſpectantium horrore terræ affixit. Hoc genus canes creſcunt ad formam ampliſſimam, terrificis latratibus, ultra leonum rugitus inſonantes. Hæc ſunt de canibus Albanis: reliqua communia univerſis. Dominos æqualiter canes omnes diligunt, ſicut exemplis palam factum eſt. In Epiro denique domini percuſſorem in cœtu agnitum latratu canis prodidit. Iaſone Lycio interfecto, canis ipſius aſpernatus cibum inedia obiit. Lyſimachi regis canis flammis ſe injecit, accenſo do-

mini rogo, & pariter igni abſumtus eſt. Garamantum regem ducenti canes ab exilio reduxerunt, præliati adverſus reſiſtentes. Colophonii & Caſtabalenſes canibus in bella productis primas acies inſtruebant. Ap. Iunio, & P. Silio coss. damnatum dominum canis, cum abigi non poſſet, comitatus in carcerem, mox percuſſum, ululatu proſecutus eſt: cumque ex miſeratione populi Romani poteſtas ei cibi fieret; ad os defuncti eſcam tulit: ultimo dejectum in Tyberim cadaver adnatans, ſuſtentare conatus eſt. Canes ſoli nomina ſua ſequuntur & *e* recognoſcunt, itinerum meminerunt. Indi coïtus tempore in ſaltibus canes fœminas religant, ut cum his tigrides coëant. quarum ex primis conceptibus ob nimiam feritatem inutiles partus judicant, itidem ſecundos: *f* ſed tertios educant. Ægyptii canes è Nilo nunquam niſi currentes lambitant, dum à crocodilis inſidias cavent. Inter Anthropophagos in Aſiatica parte numerantur Eſſedones, qui & ipſi nefandis funeſtantur inter ſe cibis. Eſſedonum mos eſt parentum funera cantibus proſequi, & proximorum corrogatis cœtibus *g* corpora ipſa dentibus lancinare, ac pecudum carnibus miſta dapes facere: capitum etiam oſſa auro incincta in poculorum tradere miniſterium.

Digitized by Google

ſterium. Scythotauri pro hoſtiis cædunt advenas. Nomades pabula ſequuntur. Georgi in Europa ſiti agros exercent. Axiacæ perinde in Europa ſiti, neque mirantur aliena, neque ſua diligunt. Satarchæ uſu auri argentique damnato, in æternum ſe à publica avaritia abdicarunt. Scytharum interius habitantium aſperior ritus [eſt.] ſpecus incolunt: pocula non ut Eſſedones, ſed de inimicorum capitibus moliuntur: amant prælia, interemtorum cruorem ex vulneribus ipſis bibunt: numero cædium honor creſcit, *h* quarum expertem eſſe apud eos probrum eſt: hauſtu mutui ſanguinis fœdus ſanciunt, non ſuo tantum more, ſed Medorum quoque uſurpata diſciplina. Bello denique quod geſtum eſt Olympiade nona & quadrageſima, anno poſt Ilium captum ſexcenteſimoquarto, inter *i* Alyattem Lydum, & Aſtyagem Mediæ regem, hoc pacto firmata ſunt jura pacis. Colchorum urbem *k* Dioſcuriadem Amphitus & *l* Telchius aurigæ Caſtoris & Pollucis condiderunt, à quibus Heniochorum gens exorta eſt. Vltra Sauromatas in Aſia ſitos, qui Mithradati latebram, *m* & quibus originem Medi dederunt, confines ſunt *n* Thali his nationibus quas ab oriente contingunt Caſpii maris fauces: quæ fauces mirum in mo-

in modum *o* vacuantur imbribus, creſcunt æſtibus. Heniochorum montes Araxen, Moſchorum Phaſidem fundunt. ſed Araxes brevibus intervallis ab Euphratis ortu caput tollit, ac deinde Caſpium fertur in mare. Arimaſpi circa *p* γῆς κλεῖθρον poſiti, unocula gens eſt. Vltra hos & Rhiphæum jugum regio eſt aſſiduis obſeſſa nivibus. πτεροφόρον dicunt. quippe caſus *q* continuarum pruinarum quiddam ibi exprimit ſimile pennarum. damnata pars mundi, & à rerum natura in nubem æternæ caliginis merſa, ipſiſque prorſus aquilonis conceptaculis rigentiſſima. Sola terrarum non novit vices temporum, nec de cælo aliud accipit *r* quam hyemem ſempiternam. In Aſiatica Scythia terræ ſunt locupletes, inhabitabiles tamen. nam cum auro & gemmis affluant, gryphes tenent univerſa, alites ferociſſimæ, & ultra omnem rabiem ſævientes: quarum immanitate obſiſtente *ſ* ad venas divites acceſſus rarus eſt. quippe viſos diſcerpunt, velut geniti ad plectendam avaritiæ temeritatem. Arimaſpi cum his dimicant, ut intercipiant lapides, quorum non aſpernabimur perſequi qualitates. Smaragdis hic locus patria eſt, quibus tertiam inter lapides dignitatem Theophraſtus dedit. nam licet ſint [&] Ægyptii, & Chalcedonii, & Medici,

dici, & Laconici, præcipuus [tamen] honos eſt Scythicis. nihil his jucundius, nihil utilius vident oculi. in primis virent ultra *t* irrigua gramina, ultra amnicas herbas : deinde obtutus fatigatos coloris reficiunt lenitate. nam viſus quos alterius gemmæ fulgor retuderit, Smaragdi recreant & exacuunt. Nec aliam ob cauſſam placuit ut non ſculperentur, ne offenſum decus imaginum lacunis corrumperetur : quanquam qui verus eſt, difficulter vulneretur. Probantur hoc pacto : ſi aſpectus tranſmittant, ſi cum globoſi ſunt, proxima ſibi inficiant aëre repercuſſo, aut cum concavi ſunt, inſpectantium facies æmulentur : ſi neque umbra, neque lucernis, neque ſole mutentur. Optimos tamen ſortiuntur ſitus, quibus planicies reſupina eſt & extenta. Inveniuntur Eteſiis flantibus. tunc enim detecto ſolo facillime internitent : nam Eteſiæ plurimum arenas movent. Alii minus nobiles in commiſſuris ſaxorum, vel in metallis ærariis apparent, quos Chalcoſmaragdos nuncupant. vitioſi eorum intrinſecus quaſdam ſordes habent, vel plumbo, vel capillamentis, vel etiam ſali ſimiles. *v* Laudantur autem duri & mere virides : proficiunt oleo, quamvis natura imbuantur. Et Cyaneus [lapis] è Scythia eſt optimus, ſi cærulo coruſcabit :.

bit: cujus gnari in marem & fœminam genus dividunt. fœminis nitor purus eſt: mares punctulis ad gratiam interlucentibus auratilis pulviſculus variat. Illic & cryſtallus, quem licet pars major Europæ & particula Aſiæ ſubminiſtrent, pretioſiſſimum tamen Scythia edit. Multus ad pocula deſtinatur, x quamlibet nihil aliud quam frigidum pati poſſit. ſexangulus invenitur. Qui eligunt, puriſſimum captant, ne quid rufum, neve nubilum vel ſpumis obſitum arceat perſpicuitatem: tunc ne duritia juſto propenſior obnoxium fragilitati magis faciat. Putant glaciem coïre, & in cryſtallum corporari: ſed fruſtra. nam ſi ita foret, nec Alabanda Aſiæ, nec Cyprus inſula hanc materiam procrearet, y quibus regionibus incitatiſſimus calor eſt. Livia Auguſti ad magnitudinem centum quinquaginta librarum inter Capitolina donaria cryſtallum dedicavit.

IN CAP. XX,

a *Callipodum*] Ex antiq. cod. & Mela lib. 2. Callipidum.

b *Quanto quis alteri præſtat*] Habent lib. vet. Quanto quis anteit.

c *Tingitur*] Tinguitur, eſt in vet. lib. In vetuſtiſſimis quoque Virgilii membranis ſunt qui ſic ſcribi teſtentur.

d *Perimunt*] Ut vet. lib. premunt. nihil muto. Quod deinde legitur, *Palam factum eſt*, uno verbo membranæ, Patet.

e *Reco-*

e *Recognoſcunt*] Copioſior eſt vetuſta lectio, Sequuntur & recognoſcunt.

f *Tertios educant*] Lego, Sed tertios. quia in vet. lib. &, habetur: quod, cum, ſet, ſcriptum foret, librarius ſubſtituit. Marius Victorinus tradit antiquos pro, ſed, ſcripſiſſe ſet: poſteaque invaluiſſe, ut ſed ſcriberetur. quæ variatio in libris m. ſ. hodieque apparet.

g *Cadavera ipſa dentibus laniare, pecudumque*] Antiq. lib. corpora i. d. lancinare, ac pecudum. Herodotus in Μελπομένη hoc teſtatur, ἐπεὰν ἀνδρὶ ἀποθάνῃ πατὴρ, οἱ προσήκοντες πάντες προσάγουσι πρόβατα. καὶ ἔπειτα ταῦτα θύσαντες, καὶ καταταμόντες τὰ κρέα, κατατάμνουσι καὶ τὸν τοῦ δεκομένου τεθνεῶτα γονέα. ἀναμίξαντες δὲ πάντα, &c. eadem enim quæ Solinus, refert.

h *Quarum expertem eſſe apud eos probrum eſt*] Poteſt antiqua quoque ſcriptura tolerari, Quarum expertem, deſidem eſſe apud eos probatum eſt.

i *Alyathem*] Scribo Alyattem. Herodoto & Euſebio, Ἀλυάττης.

k *Dioſcoriadem*] Ex Græcis & Plin. Dioſcuriadem, caſtigo.

l *Telchius*] M. ſ. habet, Cercius. Straboni Ῥέκας dicitur: ſed & is quem Plinius, Solinus, Ammianus, Amphitum, ille ſolus Amphiſtratum vocat. quare hic neque Straboni, neque m. ſ. aſſentior: ſed vulgatam lectionem plurium ſcriptorum, contra quam ſenſit Pintianus, non mutandam cenſeo.

m *Et qui originem Medis dederunt*] Neminem miror, quod quidem ſciam, animadvertiſſe, falſum his verbis contineri. Medis enim non Sauro-

matæ,

Digitized by Google

matæ, ſed Sauromatis Medi originem dederunt, ut Plinius lib. 6. cap. 7. docet. quamobrem ſatis laudare nequeo vet. lib. ſcripturam, Et quibus originem Medi dederunt.

n *Thalii* ] Vet. lib. atque Plinius Thalos nuncupant.

o *Vacuantur imbribus* ] Quid ſi per tranſlationem legamus, macerantur? ſane in m. ſ. habetur maciantur. & inferius ait, Inter maciem aquarum & plenitudinem. Quod mox ſubjungitur, *Ac dein Caſpium fertur in mare,* ſic vet. lib. continet.

p *Geſglithron* ] Cum Plinius, Geſclithrum. lib. 7. cap, 2. appellet, & m. ſ. Gens clithon, contineat: non dubitavi unquam, neque adhuc dubito, legendum, vel Latinis litteris, Geſclithron, vel Græcis, *γῆς κλεῖθρον*: quibus vocibus orbis ſera ſignificatur.

q *Continuarum ruinarum* ] M. ſ. Continuantium pruinarum.

r *Quam hyemem* ] Pro, quam, vet. lib. niſi, habet.

ſ *Advenis acceſſus difficilis ac rarus eſt* ] Præſtare non dubitem, Solinum ſcripſiſſe, Ad venas divites acceſſus rarus eſt: ut in membranis legitur.

t *Irrigua gramina*] Vet. lib. Aquaticum gramen.

v *Lavantur auſtero mero, ſed viridi proficiunt oleo*] Membranæ continent, Laudantur auſteres & mero viridi, proficiunt oleo, Dubitari non debet mendis utramvis lectionem ſcatere: judico legi poſſe, Laudantur aſperi & mere virides, &c. Vel ſaltem, Laudantur autem duri & mere virides. proficiunt oleo. Utrumque enim iis aſtruitur quæ paullo ante præceſſerunt.

x *Nam fert calorem præcipue*] Hæc etſi vulgo retinian-

tineantur, ex m. ſ. in quibus non habentur, induco. quomodo enim ſi nihil quam frigidum pati poteſt, calorem feret præcipue? atque corrupta hoc loco lectio Mardobeum decepit, qui Camerti ſaxum objecit, in quod, ut res ipſa loquitur, graviter impegit.

y *Quibus regionibus incitatiſſimus calor eſt*] In vet. cod. invenio, Quibus admodum calor jugis eſt.

## CAP. XXI.

### *De Hyperboreis & Rhiphæis, Cimmeriis & Hyrcanis, & Tigribus, Leonibus & Pantheris.*

FAbula erat de Hyperboreis, & rumor irritus, ſi, quæ illinc ad nos uſque fluxerunt, temere forent credita: ſed cum probatiſſimi auctores,*& ſatis vero idonei ſententias pares faciant, nullus falſum reformidet. De Hyperboreis itaque loquemur. Incolunt pone Pterophoron, quem ultra aquilonem accepimus jacere: gens beatiſſima. eam Aſiæ quidam magis quam Europæ dederunt: alii ſtatuunt mediam inter utrumque ſolem, Antipodum occidentem, & noſtrum renaſcentem. quod aſpernatur ratio, tam vaſto mari duos orbes interfluente. Sunt igitur in Europa, apud quos mundi cardines eſſe credunt, & ex-

& extimos ſyderum ambitus, ſemeſtrem lucem, averſum tantum una die ſolem. quanquam exiſtant qui putent non quotidie ibi ſolem, ut nobis, ſed vernali æquinoctio exoriri, auctumnali occidere: ita ſex menſibus infinitum diem, ſex aliis continuam eſſe noctem. De cælo magnam clementiam auræ ſpirant ſalubriter, nihil noxii flatus habent. domus ſunt nemora vel luci. in diem victum arbores ſubminiſtrant. diſcordiam neſciunt. ægritudine non inquietantur. ad innocentiam omnibus æquale votum. mortem accerſunt, & voluntario interitu caſtigant obeundi tarditatem. quos ſatietas tenet vitæ, *a* epulati delibutique, è quadam rupe præcipitem caſum in maria deſtinant. hoc ſepulturæ genus optimum arbitrantur. Ajunt etiam ſolitos per virgines probatiſſimas *b* primitias frugum Apollini Delio miſſitare: verum hæ, quoniam perfidia hoſpitum non illibatæ reveniſſent, devotionis quam peregre proſequebantur, pontificium mox intra fines ſuos receperunt. Altera in Aſia gens eſt ad initium orientis æſtivi, ubi deficiunt Rhiphæorum montium juga, Hyperboreis ſimilis [quos] dicunt Arimphæos, & ipſi arbuſtorum frondibus gaudent. baccas edunt: juxta viros ac fœminas tædet crinium: itaque uterque ſexus

comas

comas tondet. Amant quietem, non amant lædere. Sacri habentur, attrectarique eos etiam à ferociſſimis nationibus, nefas ducitur. quicunque periculum à ſuis metuit, ſi ad Arimphæos transfugerit, tutus eſt, velut aſylo tegatur. Vltra hos Cimmerii, & gens Amazonum porrecta ad Caſpium mare: quod dilapſum per Aſiaticæ plagæ terga, Scythicum irrumpit Oceanum. Magnis deinde ſpatiis intercedentibus oſtia Oxi fluminis Hyrcani habent: gens ſylvis aſpera, copioſa immanibus feris, *c* fœta tigribus. quod beſtiarum genus inſignes maculis notæ, & pernicitas, memorabile reddiderunt. fulvo nitent: hoc fulvum nigrantibus ſegmentis interundatum, varietate adprime decet. pedum motum neſcio velocitas an pervicacia magis adjuvet. nihil tam longum eſt quod non brevi penetrent: nihil adeo antecedit quod non ilico aſſequantur. ac maxime potentia earum probatur, cum maternis curis incitantur, cum catulorum inſiſtunt raptoribus: ſuccedant ſibi equites licet, & aſtu quantolibet amoliri prædam velint, niſi in præſidio maria fuerint, fruſtra eſt auſum omne. *d* Notantur frequentiſſime, ſiquando latrones ſuis aſportatis catulis renavigantes vident, in litore irrita rabie cernuari, velut propriam tarditatem voluntaria

Digitized by Google

luntaria caſtigantes ruina: quanquam defectu univerſæ viæ, vix unus queat ſubtrahi. Pantheræ quoque numeroſæ ſunt in Hyrcania, minutis orbiculis ſuperpictæ: ita ut oculatis ex fulvo circulis, vel cærula vel alba diſtinguatur tergi ſupellex. Tradunt odore earum & contemplatione armenta mire affici, atque ubi eas perſentiſcant, properato convenire, nec terreri niſi ſola oris torvitate. quam ob cauſſam Pantheræ, abſconditis capitibus, quæ corporis reliqua ſunt, ſpectanda præbent, ut pecuarios greges ſtupidos in obtutu populentur ſecura vaſtatione. Sed Hyrcani, ut hominibus intentatum nihil eſt, frequentius eas veneno quam ferro necant, Aconito carnes illinunt, atque ita per compita ſpargunt ſemitarum: quæ ubi eſæ ſunt, fauces earum angina obſidentur. ideo gramen παρδαλιαγχὲς appellaverunt. ſed Pantheræ adverſus hoc virus excrementa humana devorant, & ſuopte ingenio peſti reſiſtunt. Lenta illis vivacitas, adeo ut ejectis interaneis, mortem diu differant. In his ſilveſtribus & Pardi ſunt, ſecundum à Pantheris genus, noti ſatis, nec latius exſequendi: quorum adulterinis coïtibus degenerantur partus leænarum, & leones quidem procreantur, ſed ignobiles.



Digitized by Google

## IN CAP. XXI.

**Et ſatis idonei*] Unam vocem vet. lib. addit, Et ſatis vero idonei.

a *Epulati delibutique de rupe nota præcipitem caſum in mare profundum deſtinant* ] Antiq. codices, Epulati delibutique erumpunt, ac præcipitem caſum in maria deſtinant. Cetera placent: tantum pro, erumpunt, ac, ſubſtituo, è quadam rupe. tunc legetur, e. d. q; è quadam rupe præcipitem c. i. m. d. Quod probabunt qui Plinium lib. 4. legent. De Hyperboreis Clemens στρωμ. lib. I. Τοὺς δὲ Ὑπερβορέους Ἑλλάνικος ὑπὲρ τὰ Ῥίπαια ὄρη οἰκεῖν ἱστορεῖ. διδάσκεσθαι δὲ αὐτοὺς δικαιοσύνην, μὴ κρεοφαγοῦντας, ἀλλ' ἀκροδρύοις χρωμένους. τοὺς ἑξηκονταετεῖς οὖν ἔξω πυλῶν ἄγοντες ἀφανίζουσιν.

b *Primitias*] Vet. cod. primitiva.

c *Fœta trigibus* ] Idem habet, fera tigribus.

d *Notantur frequentiſſime, ſiquando latrones ſuis aſportatis catulis renavigantes vident, in litore irrita rabie ſe dare præcipites, velut propriam tarditatem voluntaria caſtigantes ruina: quanquam de fœtu univerſo vix unus queat ſubtrahi* ] Quam multa verba aſcripſi, in tam multis fere vulgata ſcriptura ab antiqua recedit. in vet. enim lib. quædam mutantur, alia tolluntur, adduntur etiam nonnulla, hac ratione: Notantur frequentiſſime, ſiquando latrones ſuos renavigantes vident, in litore irrita rabie cernuari: velut propriam tarditatem voluntaria caſtigantes ruina. quanquam, defectu univerſæ viæ, vix unus queat ſubtrahi. Quod non video cur minus ſequi debeamus: quia Cernuari interpretor, eouſque ſævire, donec ſe mortuas ad ter-

ram

ram affligant, & calces, ut ait Perſius, extendant. quam interpretationem confirmat Philoſtratus, illas tradens ὠρύεσθαι πρὸς τῇ θαλάττῃ, καὶ ἐνίοτε ἀποθνήσκειν. Varro hoc vocabulo uſus eſt. De vita populi Romani lib. 1. Etiam pelles bubulas oleo perfuſas percurrebant, ibique cernuabant. Aliquanto poſt, *Armenta*, continetur in m. ſ. greges. Aliud eſſe gregem, aliud armentum, Ulpianus libro ſextodecimo ad edictum docuit. Item paulo poſt. *Pecuarios*, deeſt hæc vox vet. lib. qui pro In obtutu, continent In obtutum. Sequitur, *Gramen παρδαλιαγχὲς appellaverunt*. qui vet. lib. aſſentietur, leget, Gramini nomen Pardaliancen dederunt. Conſulendi, Ariſtoteles Hiſt. animal. l. 9. & Dioſcorides l. 4. & Nicolaus Leonicenus de Plinii & aliorum medicorum erroribus epiſt. prima.

## CAP. XXII.

### *De ortu marium internorum. De inſula Apollinitarum. De ſpatiis inter Scythas & Indos. De formis hominum. De Cervis, & Tragelaphis.*

QVoniam in Ponticis rebus ſumus, non erit omittendum unde mediterranea maria caput tollant. Exiſtimant enim quidam ſinus iſtos à Gaditano freto naſci, nec aliam eſſe originem, *a* quam inundationem irrumpentis Oceani: cujus ſpiritu pervagante apud aliquot mediterranea litora, ſicut in Italiæ parte, fieri acceſſus vel receſſus. qui contrarium ſentiunt,

tiunt, omnem illum fluorem ajunt à Ponticis faucibus inundare: idque fulciunt argumento non inani, quod æſtus è Ponto profluus nunquam reciprocetur. Inſula Apollinitarum LXXX. millibus paſſuum abeſt à Boſporo Thraciæ citra Iſtrum ſita, ex qua *b* M. Lucullus Apollinem Capitolinum nobis extulit. Ante Boryſthenem Achillis inſula eſt, cum æde ſacra: quam ædem nulla ingreditur ales, & quæ forte advolaverint, raptim *c* fugam properant. Oceanum ſeptentrionalem, ex ea parte qua à Paropamiſo amne Scythiæ alluitur, Hecatæus Amalchium appellat: quod gentis illius lingua ſignificat congelatum mare. Philemon à Cimbris ad promontorium Rubeas Mori maruſam dicit vocari: hoc eſt, mortuum mare. Vltra Rubeas quicquid eſt, Cronium nominant. Mare autem Caſpium ex altero Ponti latere ultra Maſſagetas & Apellæos Scythas, eſſe in Aſiatica plaga, dulce hauſtu, Alexandro Magno probatum eſt: mox Pompeio Magno, qui bello Mithradatico, ſicut commilito ejus Varro tradit, ipſis hauſtibus periclitari fidem voluit. Id evenire *d* produnt è numero fluminum, quorum tanta copia ibi confluit ut naturam maris vertant. Non omiſerim, quod per idem tempus [eidem Magno] licuit ex India

N dicbus.

diebus octo à Bactris uſque Icarum flumen, quod influit in Oxum amnem, pervenire: deinde ad mare Caſpium: inde per Caſpium ad Cyri amnis penetrare fluentum, qui Iberiæ & Armeniæ fines interluit. Itaque à Cyro, diebus non amplius quinque, itinere terreno ſubvectis navibus ad alveum Phaſidis pertendit: per cujus excurſus *e* in Pontum uſque Indos advehi liquidò probatum eſt. Auctor eſt Xenophon Lampſacenus, à litore Scytharum in inſulam Balthiam triduo navigari. ejus magnitudinem immenſam, & pene ſimilem continenti. Nec longe Oonas ſeparari: quas qui habitent, vivant ovis avium marinarum, & avenis vulgo naſcentibus. *f* Deinde ſunt & aliæ propter conſtitutæ inſulæ: quarum Hippopodes indigenæ humana uſque ad veſtigium forma in equinos pedes deſinunt. Eſſe illic & *g* Phaneſiorum gentem, quorum aures adeo in effuſam magnitudinem dilatentur, ut viſcerum illis reliqua contegant, nec amiculum aliud ſit quam ut membra membranis aurium veſtiant. Ante quam digrediamur ab Scythia, religio eſt præterire quænam feræ ſint peculiares Scythiæ. Cervi plurimi in hac terra. igitur de cervis proſequamur. Mares generis hujuſce, cum ſtatum tempus venerem inci-

incitavit, ſæviunt rabie libidinis efferati. Fœminæ licet prius conſerantur, non concipiunt ante Arcturi ſydus. nec qualibet partus ſuos educant. Teneros ſtudioſe occulunt, & abſconditos inter profunda fruticum vel herbarum, pedum verbere caſtigant ad latendum. Cum maturuerit ad fugam robur, exercitio docent curſus, & aſſueſcunt *b* ſalire per abrupta. Acceptis canum latratibus ſecundo vento vias dirigunt, ut odor cum ipſis recedat. Mirantur ſibilum fiſtularum. Rectis auribus acutiſſime audiunt, ſummiſſis vero nihil. Stupent omnia: propterea facilius obvios ſe præbent ſagittantibus. Si maria tranant, non aſpectu petunt litora, ſed olfactu: infirmos ponunt in ultimo, & laſſorum capita clunibus per vices ſuſtinent. E cornibus quod dextrum fuerit, efficacius eſt ad medelam. ſi fugare angues geſtias, utrum velis, uras: quæ uſtrina præterea nidore vitium aperit & detegit, ſi cui ineſt morbus comitialis. Pro ætate ramos augent. id incrementem per ſex annos perſeverat: deinceps numeroſiora non poſſunt fieri cornua, craſſiora poſſunt. quæ quidem caſtratis nunquam creſcunt, nec tamen excidunt. Dentes indicant ſenectutem, cum aut pauci inveniuntur aut nulli. Serpentes hauriunt, & ſpiritu na-

rium extrahunt de latebris cavernarum. i Dictamnum ipſi prodiderunt, dum eo paſti excutiunt accepta tela. herbam quoque quam Cynaren vocant, contra noxia edunt gramina. Adverſus venena mirificum eſt *k* hinnulei coagulum occiſi in matris utero. Patuit eos nunquam febreſcere: quam ob cauſſam confecta ex medullis eorum *l* unguina ſedant calores hominum languentium. Legimus plurimos matutinis diebus cervinam carnem deguſtare ſolitos, ſine febribus longævos fuiſſe: quod demum proderit ſi uno vulnere fuerint interfecti. Ad dignoſcendam vivacitatem Alexander Magnus torques plurimis cervis innexuit, qui poſt annum centeſimum capti, necdum ſenii indicium præferebant. Eadem pene ſpecie ſunt quos Tragelaphos dicunt, ſed non alibi quam circa Phaſidem apparent: tantum quod illi villoſos habent armos, & menta promiſſis hirta barbis.

## IN CAP. XXII.

a *Quam eliquia irrumpentis Oceani: cujus ſpiritu pervadente apud aliquot mediterranea littora, ſicut in Italiæ partibus*] Ita legitur in membranis: in quibus etiam poſt aliquot verba, Qui contraria, &, Hocque fulciunt, continetur.

b *M. Lucullus*] Prænomen vet. lib. non agnoſcit. Idem. intulit, pro extulit.

c *Fu-*

c *Fugam properant*] Cum alioqui inſula avibus abundet. Euripides, -ἣ

Πνοαῖσι ζεφύρε τὺν
Πολυόρνιθον ἐπ' αἶαν,
Λευκὰν ἀκτὰν Ἀχιλῆος,
Δρόμους καλλισταδίους, Εὔ-
ξεινε κατὰ πόντον.

In vet. lib. continetur, fuga properant.

d *Produnt*] Pro, produnt, vet. lib. habent Probatum eſt.

e *In Pontum uſque venientes in India liquidò probatum eſt invehi poſſe*] Propria Solini verba in emendatiſſimo illo codice Iuſti Lipſii, ante quadringentos annos ſcripto, habentur, In Pontum uſque Indos advehi liquidò probatum eſt.

f *Perinde alias propter conſtitutas æque inſulas*] Lubenter ordinem verborum atque adeo ipſa verba ſic immutem, Deinde ſunt & aliæ propter conſtitutæ inſulæ. Vet. ſane libri à vulgata lectione recedunt.

g *Phaneſiorum*] Vet. lib. Haneſiorum. De his populis Iſidorus ait, Panotii apud Scythiam eſſe feruntur, tam diffuſa aurium magnitudine, ut eis omne corpus contegant. Pan enim Græco ſermone, omne, otia àures dicuntur. Unde cuipiam videri queat hîc Panotiorum legendum, præſertim cum Melæ & Plinii exemplaria, ab invicem, imo à ſeipſis diſſentiant. Strabo quoque aliter appellat, ſed nomine tamen ab aurium magnitudine deducto.

h *Salire*] Vet. lib. hoc non habet: pro vulgata tamen & recepta lectione Plinius facit, lib. 8. cap. 32. Aliquanto poſt, *Per ſex annos*, m. ſ. in ſexennes perſeverat.

i. *Dictamnum*] Licet in m. ſ. legatur Diptamnum, lego Dictamnum. Theophraſto & Alex. Aphrodiſeo, δίκταμνος. Virgilius lib. 12. ejus operis quod Iliadi non modo comparetur, ſed merito præferatur etiam,

*Dictamnum genitrix Dictæa carpit ab Ida.*

ibi enim ſecius legi nequit.

k *Hinnuli*] Vet. liber, Hinnulei. Horatius, Fugis hinnuleo me ſimilis Chloe.

l *Vnguenta*] M. ſ. unguina. Utitur hac voce Taurus Æmilianus, & Plinius ipſe.

## CAP. XXIII.

### *De Germania. De avibus Hercinijs, Biſontibus, & Vris. De Alcibus, & inſulis Oceani ſeptentrionalis, ac de Succino, lapide Callaite, & Ceramniarum generibus.*

a MOns Sevo, ipſe ingens, nec Rhiphæis minor collibus, initium Germaniæ facit: hunc Ingevones tenent, à quibus primis poſt Scythas nomen Germanicum conſurgit. Dives virorum terra, frequens populis numeroſis & immanibus: extenditur inter Hercinium ſaltum, & rupes Sarmatarum: ubi incipit, Danubio, ubi deſinit, Rheno perfunditur. De internis ejus partibus, Albis, Gutallus, Viſtula, amnes altiſſimi præcipitantur in Oceanum. Saltus Hercinius aves gignit, qua-

quarum pennæ per obſcurum emicant & interlucent: quamvis obtenta nox [obtegat &] denſet tenebras. unde homines loci illius plerumque nocturnos excurſus ſic deſtinant, ut illis utantur ad præſidium itineris dirigendi: præjactiſque per opaca callium, rationem viæ moderentur indicio plumarum fulgentium. In hoc tractu ſane & in omni ſeptentrionali plaga biſontes frequentiſſimi, *b* qui bubus feris ſimiles, ſetoſi colla, jubas horridi, ultra tauros pernicitate [vigentes] capti aſſueſcere manu neſciunt. Sunt & Vri, quos imperitum vulgus vocat Bubalos: cum Bubali pene ad cervinam faciem in Africa procreentur. iſtis porro quos Vros dicimus, taurina cornua in tantum [modum] protenduntur, ut demta, ob inſignem capacitatem, inter regias menſas potuum gerula fiant. Eſt & Alces mulis comparanda, adeo propenſo labro ſuperiore, ut niſi recedens in poſteriora veſtigia, paſci nequeat. Scandinavia inſula eregione Germaniæ mittit animal quale Alces: ſed cui ſuffragines, ut elephantis, flecti nequeunt, propterea non cubat cum dormiendum eſt: tamen ſomnolentum arbor ſuſtinet, *c* quæ ad prope caſuram ſecatur: ut fera, dum aſſuetis fulcimentis innititur, faciat ruinam. ita capitur, alioqui difficile eſt

eam *d* manu capi. nam in illo rigore poplitum incomprehenſibili fuga pollet. De Germanicis inſulis Scandinavia maxima eſt: ſed nihil in ea magnum præter ipſam. Gleſſaria dat cryſtallum, dat & ſuccinum, quod Germani gentiliter vocant gleſſum. qualitas materiæ hujus ſummatim antea. Germanico autem Cæſare omnes Germaniæ oras ſcrutante, comperta arbor eſt pinei generis, cujus mediale auctumni tempore ſuccino lacrymat. Succum eſſe arboris, de nominis qualitate capeſſas: pinum vero unde ſit genitum, ſi uſſeris, odor indicabit. *e* Pretium operæ eſt id ſcire, ne longius Padaneæ ſilvæ credantur lapidem fleviſſe. hanc ſpeciem in Illyricum barbari intulerunt: quæ cum per Pannonica commercia uſu ad Tranſpadanos homines foret delata, quod ibi primũ noſtri [eam] viderant, ibi etiam natam putaverunt. Munere Neronis principis apparatus omnis ſuccino inornatus eſt. nec difficulter: cum per idem tempus 13. millia librarum rex Germaniæ dono ei miſerit. Rude primum naſcitur & corticoſum, deinde incoctum adipe lactentis ſuis expolitur ad quem videmus nitorem. Pro facie habet nomina. melleum dicitur & falernum, utraque de ſimilitudine [aut] vini aut utique mellis. In aperto eſt quod rapiat folia,

lia, quod trahat paleas: quod vero medeatur multis vitalium incommodis, medentium docuit diſciplina. [Et] India habet ſuccinum, ſed plurimum optimumque Germania. Quoniam ad inſulam Gleſſariam veneramus, à ſuccino cœptum. Nam in Germaniæ continentibus Callais reperitur: quam gemmam Arabicis anteponunt. vincit enim gratia. Arabes quidem dicunt non alibi eam deprehendi, quam in nidis avium, quas μελαγκορύφους vocant. quod nullus recipit, cum apud Germaniæ populos, quamvis rara, in ſaxis tamen appareat. Honore & pretio ad Smaragdos viret. Pallidum nihil jucundius aurum decet. *f* Cerauniorum porro genera diverſa ſunt. Germanicum candidum eſt, ſplendet tamen cærulo: &, ſi ſub divo habeas, fulgorem rapit ſyderum.

## IN CAP. XXIII.

a *Mons Sevo*] Falluntur qui Suevo ſcribunt, contra Plinium. nam Beroſus etiam ille Annii, quiſquis fuit, Sevum vocat illum qui monti nomen impoſuit.

b *Qui boves feris ſimiles*] Lego, Qui bubus feris ſimiles. nam nec antiq. lectionem probo. Qui equabus feris ſimiles.

c *Quæ prope caſura ſecatur*] In membranis continetur, quæ ad prope caſuram ſecatur. hoc eſt, ut ait Cæſar lib. 6. De bello Gallico, Inciditur tantum ut ſumma ſpecies ejus ſtantis relinquatur.

tur. Poſſet etiam quis ſuſpicari emendandum, quæ ad ſpeciem prope caſuræ ſecatur.

d *Manu capi*] Vet. lib. mancipari. Ibidem paulo poſt, *Mediale*] medullam Plinius dicit.

e *Pretium operæ eſt ire longius, ne, &c.*] Caſtigo, Pretium operæ eſt ſcire, ne longius, &c. ſcire, ex m. ſ. cetera ex conjectura. Paulo poſt, *Abſque ſuccino*] Prius vocabulum auctoris menti adverſatur, nec in vet lib. habetur. quare expungatur.

f *Ceraunìarum porro genera diverſa ſunt. Germanica candida eſt, ſplendet tamen cæruleo*] In quibuſdam cod. antiq. diſſentit, habet enim, Ceraunio-rum: item, Germanicum candidum: præterea, cærulo. Claudianus Ceraunia neutro genere dixit,

-- *Pyrenæiſque ſub antris*
*Ignea fulmineis legere Ceraunia Nymphæ.*

## CAP. XXIV.

## *De Gallia, unde in univerſum orbem terrarum aditus patet: & de oleo medico.*

GALLIÆ inter Rhenum & Pyrenæum, item [inter] Oceanum & montes *a* Gebennam ac Iuram porriguntur: felices præpinguibus glebis, ac commodæ proventibus fructuariis, pleræque conſitæ vitibus & arbuſtis, omni ad uſum animantium fœtu beatiſſimæ: riguæ aquis fluminum & fontium: ſed fontanis interdum ſacris & vaporantibus. Infamantur ritu incolarum, qui, ut ajunt (veri enim peri-

periculum non ad me recipio) *b* deteſtabili ſacrorum ritu, non ad honorem ſed potius ad injuriam religionis, humanis litant hoſtiis. Ex iſto ſinu quoquo orbis velis exeas: in Hiſpanias & in Italiam terra marique, in Africam mari tantum. Si Thracia ſit petenda, excipit ager Rheticus opimus & ferax, *c* Brigantino lacu nobilis. inde Noricus frigidus & parcius fructuoſus: qua ſubducitur à jugis Alpium, admodum lætus. Tum Pannonia viro fortis, & ſolo plano læta atque uber, Dravo Savoque inclytis amnibus circumflua. Mox Myſiæ, quas majores noſtri jure Cereris horreum nominabant: in quarum parte quæ Pontica eſt, apparet herba qua inficitur oleum, quod vocant medicum. hoc ad incendium excitatum ſi obruere aqua geſtias, ardet magis, nec alio ſopitur quam jactu pulveris.

IN CAP. XXIV.

a *Gebennam ac Iuram*] Vet. lib. ac Juris. Non eſt quod quis legat Juribus: quanvis Camers dicat etiam numero plurium, Jura, pro monte inveniri. hoc enim tale eſt, ut illi qui è veratro jus propinandum neget, ſit ei maxime injurius.

b *Deteſtabili ſacrorum ritu non ad honorem, ſed potius ad injuriam*] Pro, ad injuriam, vet. lib. injuria. reliquis omnibus quæ antecedunt omiſſis.

c *Brigantino lacu nobilis*] Vet. lib. hæc deſunt, ut & quæ ſequuntur, *Qua ſubducitur à jugis Al-*

 *pium*

*pium admodum lætus.* item , *ubertoque , Dravo Savoque inclytis amnibus circumflua.* Quæ cuncta (ut mihi videtur) adulterina ſunt : præſertim ſecundum illud, qua ſubducitur, &c. ſententiam enim obſcuram & inconcinnam reddit.

## CAP. XXV.

## *De Britannia, & lapide Satage.*

FInis erat orbis ora Gallici litoris : niſi Britannia inſula , non qualibet amplitudine , nomen pene orbis alterius mereretur. *a* octingentis enim & amplius millibus paſſuum longa porrigitur : ita ut eam in Calidonicum uſque angulum metiamur : in quo receſſu Vlyſſem Calidoniæ appulſum manifeſtat ara Græcis litteris inſcripta voto. Multis inſulis nec ignobilibus circundatur , quarum Hybernia ei proximat magnitudine. Inhumana eſt, ritu incolarum aſpero : aliâs ita pabuloſa , *b* ut pecua, niſi interdum à paſcuis arceantur , in periculum agat ſatias. illic nullus anguis, avis rara. gens inhoſpita & bellicoſa. ſanguine interemtorum hauſto prius, victores vultus ſuos oblinunt. fas ac nefas *c* eodem animo ducunt. Puerpera ſiquando marem edidit , primos cibos gladio imponit mariti , inque os parvuli ſummo mucrone auſpicium alimentorum leviter infert , & gentilibus votis optat , non aliter

ter quam in bello & inter arma mortem oppetat. Qui ſtudent cultui, dentibus mari nantium belluarum inſigniunt enſium capulos. candicant enim ad eburneam claritatem. nam præcipua viris gloria eſt in armorum nitela. Apes nuſquam. advectum inde pulverem, ſeu lapillos, ſiquis ſparſerit inter alvearia, examina favos deſerunt. *d* Mare quod Hyberniam & Britanniam interluit, undoſum & inquietum toto in anno, non niſi æſtivis pauculis diebus eſt navigabile. navigant autem vimineis alveis, quos circundant ambitione tergorum bubalorum. quantocunque tempore curſus tenebit, navigantes eſcis abſtinent, pro freti latitudine: idque in viginti millia paſſuum diffundi, qui fidem ad verum ratiocinati ſunt, æſtimarunt. * Siluram quoque inſulam ab ora quam *e* gens Britanna Dumnani tenent, turbidum fretum diſtinguit: cujus homines etiam nunc cuſtodiunt morem vetuſtum. nundinas ac numum refutant: dant res, & accipiunt: mutationibus neceſſaria potius quam pretiis parant. deos percolunt. ſcientiam futurorum pariter viri ac fœminæ oſtentant. *f* Thanatos inſula *g* alluitur freto Gallico: à Britanniæ continente, æſtuario tenui ſeparata: frumentariis campis felix, & gleba uberi: nec tan-

tantum *h* ſibi ſoli, verum & aliis ſalubris locis. nam cum ipſa nullo ſerpatur angue, aſportata inde terra, quoquo gentium invecta ſit, angues necat. Multæ & aliæ circum Britanniam inſulæ, è quibus Thule ultima: in qua æſtivo ſolſtitio, ſole de Cancri ſydere faciente tranſitum, nox pene nulla: brumali ſolſtitio perinde nullus dies, ut ortus junctus ſit occaſui. Vltra Thulen accepimus pigrum eſſe & concretum mare. A Calydoniæ promontorio Thulen petentibus, bidui navigatio eſt. Inde excipiunt Hæbudes inſulæ, quinque numero: quarum incolæ neſciunt fruges, piſcibus tantum & lacte vivunt. Rex unus eſt univerſis: nam quotquot ſunt, omnes anguſta interluvie dividuntur. Rex nihil ſuum habet, omnia univerſorum: ad æquitatem *i* certis legibus ſtringitur: ac ne avaritia divertat à vero, diſcit paupertate juſtitiam, utpote cui nihil ſit rei familiaris: verum alitur è publico. nulla illi datur fœmina propria, ſed per viciſſitudines in quamcunque commotus fuerit, uſurariam ſumit. unde ei nec votum, nec ſpes conceditur liberorum. Secundam à continenti ſtationem Orcades præbent, quæ ab Hæbudibus porro ſunt ſeptem dierum totidemque noctium curſu, numero tres. vacant homine:

mine: non habent ſilvas, tantum junceis herbis inhorreſcunt: cetera earum nudæ arenæ & rupes tenent. Ab Orcadibus Thulen uſque, quinque dierum ac noctium navigatio eſt. Sed Thule larga, & diutina pomona copioſa eſt. Qui illic habitant, principio veris inter pecudes pabulis vivunt, deinde lacte. in hyemem *k* conferunt arborum fructus. utuntur fœminis vulgo, certum matrimonium nullis. Circuitus Britanniæ, quadragies octies ſeptuagintaquinque millia [ paſſuum ] ſunt: in quo ſpatio magna & multa flumina ſunt, fonteſque calidi opiparo exſculpti apparatu ad uſus mortalium: quibus fontibus præſul eſt Minervæ numen, in cujus æde perpetui ignes nunquam *l* caneſcunt in favillas, ſed ubi *m* ignis tabuit, vertitur in globos ſaxeos. Præterea ut taceam metallorum largam variamque copiam, quibus Britanniæ ſolum undique generum pollet venis locupletibus, Gagates hîc plurimus optimuſque eſt lapis: ſi decorem requiras, nigro gemmeus: ſi qualitatem, nullius ferè ponderis: ſi naturam, aqua ardet, oleo reſtinguitur: ſi poteſtatem, attritu calfactus applicita detinet, æque ut ſuccinum. Regionem partim tenent barbari, quibus per artifices plagarum figuras jam inde à pueris variæ anima-

animalium effigies incorporantur, inſcriptiſque viſceribus, hominis incremento pigmenti notæ creſcunt: nec quicquam magis patientiæ loco nationes feræ ducunt, quam ut per memores cicatrices plurimum fuci artus bibant.

## IN CAP. XXV.

a *Octingenta enim & amplius millia paſſuum longa detinet* ] Hæc lectio in ſcrip. cod. invenitur.

b *Vt pecuaria niſi interdum æſtate à paſtibus arceantur* ] Vet. lib. habent, Ut pecua niſi interdum à paſcuis arceantur. Nonius Marcellus ſcribit, Pecora & pecua, ita ut pecudes, veteres dixerunt.

c *Eodem animo ducunt* ] Eodem loco, vet. lib. in quorum uno omnia quæ uſque, Apes nunquam, ſequuntur, non habentur.

d *Sed mare quod inter hanc & Britanniam interluit, undoſum inquietumque, toto in anno, niſi pauculis diebus non eſt navigabile* ] Si non multo, certe paullo elegantius ſic in vet. lib. quam in impreſſis hactenus, legitur. quemadmodum etiam non multo poſt, *Eſcis abſtinent, pro freti latitudine. idque in 20. millia paſſuum diffundi*, &c. in iiſdem habetur: qui numerus Plinianæ traditioni convenit.

* *Silurum* ] Vet. lib. & quidam vulgati, Siluram. Inſulæ iſtius à Polydoro Virgilio in Britannica hiſtoria mentio fit.

e *Gens Britanna detinet* ] Quidam excuſi libri, Gens Britanna nunc tenet. m. ſ. autem, Gens Britanniadum tenet. Quid ſi legamus, gens Britanna Dumnani tenent? Dumnæ incolæ Dumnani dicuntur.

f *Atha-*

Digitized by Google

f *Athanatis*] Alii, Thanatos. Polydoro, Tanetos. mendoſe vet. lib. Accanos.

g *Alluitur*] Vet. lib. aſpiratur.

h *Sibi ſoli verum*] M. ſ. ſibi, ſed.

i *Certis legibus*] Vet. lib. continent, cunctis legibus. Aliquanto poſt, *Uſurariam.* id etenim quod ab uxoribus ſubditorum rex capiebat, uſuram veteres vocarunt. Plautus in Amphitruone,

*Uſuramque ejus corporis cœpit ſibi.*

Unde alia ſcena dixit,

*Cum Alcumena uxore uſuraria.*

Itaque nequeo illis aſſentiri qui in argumento ejus comœdiæ, Uſuariam, pro Uſurariam, legunt.

k *Conferunt*] Vet. lib. Compergunt. Forte congerunt.

l *Caneſcunt*] M. ſ. caſſeſcunt.

m *Cinis tabuit*] Ratio poſtulat vet. libris adhæreamus, in quibus bene legitur Ignis tabuit. Non enim illic ignes ad cineres rediguntur.

## CAP. XXVI.

## *De Hiſpania, Gaditano freto, interno mari, & Oceano.*

REverſum ad continentem res Hiſpanicæ vocant. terrarum plaga comparanda optimis, *a* nullis poſthabenda frugis & ſoli copia, ſive vinearios proventus reſpicere, ſive arborarios velis. Omni materia affluit, quæcunque aut pretio ambitioſa eſt, aut uſu neceſſaria. Argentum vel aurum ſi requiras, habet: ferrariis nunquam deficit, nec cedit vitibus, vincit

olea.

Digitized by Google

olea. Dividua eſt provinciis tribus, ſecundo Punico bello noſtra facta. Nihil in ea otioſum, nihil ſterile. quicquid cujuſcunque modi negat meſſem, viget pabulis: etiam quæ arida ſunt ac ſterilia, rudentum materiem nauticis ſubminiſtrant. non coquunt ibi ſales, ſed effodiunt. depurgant in minium nitelas pulveris. fucant vellera, ut ad ruborem merum deputent cocci venenum. In Luſitania promontorium eſt, quod alii Artabrum, alii Vlyſſipponenſe dicunt: hoc cælum terras & maria diſtinguit, terris Hiſpaniæ latus finit: cælum & maria hoc modo dividit, quod à circuitu ejus incipiunt Oceanus Gallicus & frons ſeptentrionalis, Oceano Atlantico & occaſu terminatis. Ibi oppidum Vlyſſippo, ab Vlyſſe conditum. ibi Tagus flumen. Tagum ob arenas auriferas ceteris [amnibus] prætulerunt. In proximis Vlyſſipponis equæ laſciviunt mira fœcunditate. nam ſpirante Favonio vento concipiunt, & ſitientes viros aurarum ſpiritu maritantur. Iberus amnis toti Hiſpaniæ nomen dedit, Bætis, provinciæ, uterque nobilis. Carthaginem apud Iberos, quæ mox colonia facta eſt, Pœni condiderunt, Tarraconem Scipiones: ideo caput eſt provinciæ Tarraconenſis. Luſitanum litus *b* pollet gemma Ceraunio plurimum,

quod

quod etiam Indicis præferunt: hujus [Ceraunii] color eſt è Pyropo: qualitas igni probatur: quem ſi ſine detrimento ſui perferat, adverſus vim fulgurum creditur opitulari. Caſſiterides inſulæ ſpectant adverſum Celtiberiæ latus, plumbi fertiles. Sunt & tres Fortunatæ, è quibus ſolum vocabulum ſignandum fuit. Ebuſus [è Balearibus] quæ à Dianio abeſt ſeptingenta ſtadia, ſerpentem non habet: ut pote cujus terra ſerpentes fuget. Colubraria, quæ Sucronem verſus eſt, fœta eſt anguibus. Bocchoris regnum Baleares fuerunt, uſque ad everſionem Phrygum, cuniculis animalibus quondam copioſæ. In capite Bæticæ, ubi extremus eſt noti orbis terminus, inſula à continenti c ſeptingentis paſſibus ſeparatur, quam Tyrii à rubro profecti mari Erythræam, Pœni lingua ſua Gadir, id eſt ſepem, nominarunt. In hac Geryonem habitaſſe plurimis monimentis probatur: tametſi quidam putent Herculem boves ex alia inſula abduxiſſe, quæ Luſitaniam contuetur. Sed Gaditanum fretum à Gadibus dictum. Atlanticus æſtus in noſtrum mare diſcidium orbis immittit. Nam Ὠκεανὸς, quem Græci ſic nominant à celeritate, ab occaſu ſolis irrumpens, lævo latere Europam radit, Africam dextro, ſciſſiſque Calpe & Abila

Paulo poſt, Ἄξενος, ex vet. lib. corrige, Axinus. Ait poëta quidam, cujus hoc tempore nomen non occurrit,

*Dictus ab antiquis Axinus ille fuit.*

f *Æthiopicus*] M.ſ. Ægyptius. Alibi ait, Excipitur Ægyptio mari.

g *Suſpenſus altius ſuſtollatur*] Credo non abſurdum fore ſi legatur, Impenſius ſuſtollatur. M.ſ. quidem continent, Suſpenſius ſuſtollatur: rejecto altius, quaſi ſpurio & notho.

h *Ancipiti concurrentium quæſtione*] Rectiſſime optimus liber ſcriptus, Ancipiti concurrentium quæſtionum ambage.

i *Defectiones*] Vet. lib. eliquia, forte deliquia.

## CAP. XXVII.

## *De Libya, hortis Heſperidum, ac monte Atlante.*

DE Hiſpania excurſus in Libyam: nam Belone progreſſos, quod Bæticę oppidum eſt, ultra interjacens fretum *a* trium & triginta millium paſſuum Tingi excipit, Mauritaniæ nunc colonia: & cujus primus auctor Antæus eſt. Porro quia in illo ambitu Ægyptium finitur pelagus, & Libycum incipit, placuit ut Africam Libyam diceremus. quidam tamen Libyam à Libya, Epaphi filia, Africam autem ab Afro Libys Herculis filio, potius dictam receperunt. Lix quoque colonia in eodem tractu conſtituta eſt, ubi Antæi

Digitized by Google

Antæi regia, qui implicandis explicandiſque nexibus humi melius ſciens, velut genitus matre terra, ibidem ab Hercule victus [& exſtinctus] eſt. Nam de hortis Heſperidum, & pervigili dracone, ne famæ licentia vulneretur, fides & ratio hæc eſt. Flexuoſo meatu æſtuarium è mari fertur, adeo ſinuoſis lateribus tortuoſum ut viſentibus procul lapſus angueos fracta vertigine mentiatur. Itaque quod hortos appellavêre, circumdat: unde pomorum cuſtodem interpretantes, ſtruxerunt iter ad mendacium fabulandi. Sed hæc inſula *b* ſinuata ſinibus alvei procurrentis, & in quibuſdam æquoris ſpiris ſita, præter arbores oleaſtri ſimiles, & aram ſacram Herculi, aliud nihil præfert quod propaget vetuſtatis memoriam. Verum ultra frutices aureos, & metalla frondentia, illud magis mirum, quod *c* ſolum inferiore libra depreſſius, nunquam tamen acceſſus freti ſuperlabitur, ſed obſtaculo naturalis repaguli in ipſis marginibus hæret unda, & intimis orarum ſuperciliis ſponte fluctus *d* ingruentes ſiſtuntur: ita ſpectando loci ingenio nimirum planicies maneat ſicca, quamvis prona ſupervenniant æquora. Sala oppidum imminet Salæ flumini: ab hoc per Autololum gentem iter eſt in Atlanticas ſolitudines. At-

las

las mons è media arenarum conſurgens vaſtitate, & eductus in vicina lunaris circuli, ultra nubila caput condit. quâ ad Oceanum extenditur, cui à ſe nomen dedit, e manat fontibus, nemoribus inhorreſcit, rupibus aſperatur, ſqualet jejunio, humo nuda nec herbida: quâ Africam contraverſus eſt, felix naſcentibus ſponte frugibus, arboribus proceris opaciſſimus, quarum odor gravis, comæ cupreſſi ſimiles veſtiuntur lanugine, ſericis ſ velleribus nihilo viliore. In eo latere & herba Euphorbia copioſa, cujus ſuccus proficit ad ocularìam claritatem, & multiplex præſidium ſanitatis: nec mediocriter percellit vim venenorum. Vertex ſemper nivalis. ſaltus ejus quadrupedes ac ſerpentes feræ, & cum his elephanti occupaverunt. Silet per diem univerſus, nec ſine horrore ſecretus eſt: lucet nocturnis ignibus, choris Ægipanum undique perſonatur: audiuntur [&] cantus tibiarum, & tinnitus cymbalorum per oram maritimam. A Lixa abeſt quinque & ducentis millibus paſſuum, Lixa Gaditano freto centum duodecim millibus: habitatus antea, ut indicat loci facies, quondam cultu exercita, in qua uſque adhuc vitis & palmæ extant veſtigia. apex Perſeo & Herculi pervius, ceteris inacceſſus: ita fidem

ararum inſcriptio palam facit. Quâ ſpectat occaſum, inter ipſum & flumen Anatim g per quadringenta octuagintaſex millia paſſuum infames beſtiis ſilvæ obſidentur. Amnes circa eum non tacendi: qui licet ſeparentur intervallis amplioribus, tranſierunt tamen in quoddam Atlantici montis miniſterium. Aſana marino hauſtu, Bambothum Crocodilis & Hippopotamis refertum. i Vltra Niger eſt amnis, qui atro colore exit per intimas & exuſtas ſolitudines; quæ torrente perpetuo, & ſole nimio plus quam ignito, nunquam ab æſtu vindicantur. Hæc de Atlante, quem Mauri Dirin nominant, & Hannonis Punici libri, & noſtri annales prodiderunt, Iuba etiam k Ptolemæi filius, qui utriuſque Mauritaniæ regno potitus eſt. Suetonius quoque Paulinus ſummam huic cognitioni impoſuit manum, qui ultra Atlantem primus & pene ſolus Romana ſigna circumtulit.

IN CAP. XXVII.

a *Trium & triginta*] Vet. lib. Trium & trecenta. Item pro Excipit continent Excipitur. Vulgatam lectionem Martianus aſtruit, ſcribens, Velonenſis (lego Belonenſis) Beticæ civitas triginta tribus millibus à Tingi oppido diſparatur. Neutram Antoninus probat. ejus enim verba ſunt, De Hiſpaniis à Bellone trajectus in Tingi Mauritaniam ſtadia ccxx.

b *Sinna-*

Digitized by Google

b *Sinuata finibus alvei procurrentis* ] M. ſ. Inſinuata ſ. a. recurrentis.

c *Solum inferiore libra depreßius, nunquam tamen acceſſus freti ſuperlabitur* ] Verbum hoc paſſive ſumitur in vet. lectione, quæ eſt talis, Solum inferiore licet libra depreſſum, nunquam tamen acceſſu freti ſuperlabitur.

d *In gyrum reſiſtunt. Ita ſpectando loci ingenio nimirum planicies manet ſicca* ] Membranæ, Ingruere ſiſtuntur. Spectandum nimirum ingenium loci, &c. Ne hoc quidem animo meo ſatisfacit. quare ſubſtituo, Ingruentes ſiſtuntur: ut ſpectando nimirum ingenio loci, planicies maneat ſicca, &c.

e *Manat fontibus* ] Si quidem ſqualoris & ſterilitatis terrarum cauſa eſt, nimia ſiccitas, & inde hæc Atlantis pars, aliquanto poſt, *jejunio ſqualere* dicitur, ecquid impedit quominus Vacat legamus?

f *Velleribus* ] Hoc, ut & Multiplex præſidium ſanitatis, in vet. lib. deſideratur.

g *Per* CCCCXCVI M. *paſſuum infames beſtiis ſilvæ obſident* ] Vet. lib. per quadringenta & LXXXVI. m. paſſuum infames beſtiis ſilvæ obſidentur. Præclare, ſi pro, VI, monade ſublata, ex Plinio, V. reponatur.

i *Vltra adhuc amnis, qui atro* ] Scio in m. ſ. uterque amnis atro, legi: nihilominus Plinii auctoritate ſcribo, Ultra Niger eſt amnis, qui atro.

k *Ptolemæi filius* ]Lego cum Plinio, pater. Strabo, Ἰούβας παρέλαβε τὴν ἀρχὴν, δόντος τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος καὶ ταύτην αὐτῷ τὴν ἀρχὴν πρὸς τῇ πατρῴᾳ. υἱὸς δ' ἦν Ἰούβα τοῦ πρὸς Καίσαρα τὸν θεὸν πολεμήσαντος μετὰ Σκιπίωνος. Ἰούβας



Digitized by Google

μὲν οὖν γηραιὸς ἐτελεύτησε τὸν βίον, διαδέδεκται δὲ τὴν ἀρχὴν υἱὸς Πτολεμαῖος.

## CAP. XXVIII.

## *De Mauritania, de Elephantis.*

E Provinciis Mauritaniis Tingitana, quâ ſolſtitiali plagæ obvia eſt, quaque porrigitur ad internum mare, exurgit montibus ſeptem: qui à ſimilitudine fratres appellati, freto imminent. hi montes elephantis frequentiſſimi ſunt. monet à principio hoc animantium genus dicere. Igitur elephanti juxta ſenſum humanum intellectum habent, memoria pollent, ſyderum ſervant diſciplinam: luna niteſcente gregatim amnes petunt, mox aſperſi liquore, ſolis exortum motibus, quibus poſſunt, ſalutant: deinde in ſaltus revertuntur. Duo eorum genera ſunt: nobiliores indicat magnitudo, minores nothos dicunt. candore dentium intelligitur juventa: quorum alter ſemper in miniſterio eſt, alteri parcitur, ne hebetatus aſſiduo repercuſſu, minus vigeat, ſi fuerit dimicandum. cum venatu premuntur, a pariter confringunt utroſque, ut ebore damnato non requirantur. hanc enim ſibi cauſſam periculi ineſſe ſentiunt. oberrant agminatim. natu maximus ducit agmen: ætate

ætate proximus cogit ſequentes. flumen tranſituri minimos antemittunt, ne majorum ingreſſus alveum atterant, & profundos depreſſis vadis gurgites faciant. Venerem ante annos decem fœminæ, ante quinque, mares neſciunt. biennio coeunt quinis nec amplius in anno diebus: non prius ad gregarium numerum reverſuri, quam vivis aquis abluantur. propter fæminas numquam dimicant: nulla enim noverunt adulteria. Ineſt illis clementiæ bonum. quippe ſi per deſerta vagabundum hominem forte invenerint, *b* ductus uſque ad notas vias præbent: vel, ſi confertis pecoribus occurſitent, itinera ſibi blande & placida manu faciunt, ne quod obvium animal interimant. at conflictu fortuito ſiquando pugnatur, non mediocrem habent curam ſauciorum: nam feſſos vulneratoſque in medium receptant. Cum capti venerint in manus hominum, manſueſcunt hauſto ordei ſucco. maria tranſineaturi in naves non prius ſubeunt quam de reditu illis ſacramentum luatur. Indicos elephantos Mauritani timent, & quaſi parvitatis ſuæ conſcii, aſpernantur ab his videri. non annis decem, ut vulgus, ſed biennio, ut Ariſtoteles definit, utero graveſcunt: nec amplius quam ſemel gignunt: nec plures quam ſingulos. Vi-

vunt in annos trecentos. impatientiſſimi frigoris. truncos edunt: lapides hauriunt, gratiſſimas in cibatu palmas habent. odorem muris vel maxime fugiunt: pabula etiam quæ à muſculis contacta ſunt, recuſant. ſi quis caſu chamæleontem devoraverit, vermem elephantis veneficum, oleaſtro ſumto peſti medetur. duriſſimum dorſo tergus eſt, ventri mollius. ſetarum hirſutiæ nullæ. Inter hos & dracones jugis diſcordia. denique inſidiæ hoc aſtu præparantur: ſerpentes propter ſemitas deliteſcunt, per quas elephanti aſſuetis callibus evagantur: atque ita, prætermiſſis prioribus, poſtremos adoriuntur, ne, qui anteceſſerint, queant [ultimis] opitulari. ac primum pedes nodis illigant, ut laqueatis cruribus impediant gradiendi facultatem. nam elephanti, niſi præventi hac ſpirarum mora, vel arboribns ſe vel ſaxis applicant, ut e pondere nitibundo attritos necent angues. Dimicationis præcipua cauſſa eſt, quod elephantis, ut ajunt, frigidior ineſt ſanguis, & ob id à draconibus avidiſſime torrente captantur æſtu. quamobrem nunquam invadunt niſi potu gravatos, ut, venis propenſius irrigatis, majorem ſumant de oppreſſis ſatietatem. nec aliud magis quam oculos petunt, quos ſolos expugnabiles ſciunt: vel interiora

riora aurium, quod is tantum locus defendi non poteſt proboſcide. Itaque cum ebiberint ſanguinem, dum ruunt belluæ, dracones obruuntur. ſic utrinque fuſus cruor terram imbuit: fitque pigmentum quicquid ſoli tinxerit, quod cinnabárim vocant. Elephantes Italia anno urbis conditæ quadringenteſimo ſeptuageſimoſecundo in Lucanis primum, bello Epirotico, vidit, & boves lucas inde dixit. Cæſarienſi coloniæ Cæſaria ineſt, à D. Claudio deducta, Bocchi prius regia, poſtmodum Iubæ, indulgentia populi Romani, dono data. Ineſt & oppidum Siga, quod habitatum Siphaci fuit. Nec ab Icoſio taciti recedamus. Hercule enim illac tranſeunte, viginti qui à comitatu ejus deſciverant, locum deligunt, jaciunt mœnia: ac, ne quis impoſito à ſe nomine privatim gloriaretur, de condentium numero urbi nomen datum.

IN CAP. XXVIII.

a *Pariter confringunt utroſque*] Affligunt, vet. lib. continent. cujus verbi vires notiſſimæ ſunt.

b *Ductus*] Vet. lib. ductum.

c *Pondere nitibundo attritos*] Ab antiquo librario ſcriptum fuit, Niſu ac pondere attritos.

## CAP. XXIX.

### *De Numidia, & in ea urſi.*

QVod eſt à flumine Ampſaga, Numidiæ datur. hujus incolæ quamdiu erarunt pabulationibus vagabundis, Nomades dicti ſunt. Vrbes in ea quamplurimæ nobileſque, ſed Cirta eminet: dein Cullu purpurario fuco, Tyriis velleribus comparata. Omnis hæc regio finibus in Zeugitanum limitem deſinit. qua parte ſilveſtris eſt, feras educat; qua jugis ardua, equos alit. Eximio etiam marmore prædicatur. Numidici urſi [forma] ceteris præſtant, rabie duntaxat & villis profundioribus. nam genitura par eſt quoquo loco genitis. eam protinus dixero. Coeunt non itidem quo quadrupedes aliæ: ſed apti amplexibus mutuis, velut humanis conjugationibus copulantur. Deſiderium veneris hyems ſuſcitat. ſecreti honore reverentur mares gravidas, & in iiſdem licet foveis, partitis tamen per ſcrobes ſe cubationibus dividunt. Lucinæ illis properatius tempus eſt: quippe uterum trigeſimus dies liberat. unde evenit ut præcipitata fœcunditas informes creet partus. Carnes pauxillulas edunt, quibus color candidus, oculli nulli: & de

ſeſtina

feſtina immaturitate tantum rudis ſanies, exceptis unguium lineamentis: has lambendo ſenſim figurant, & interdum ad pectora fovent, ut aſſiduo incubatu calefactæ animalem trahant ſpiritum. interea cibus nullus. Sane diebus primis XIIII. matres in ſomnum ita concidunt, ut nec vulneribus excitari queant. Enixæ quaternis latent menſibus: mox egreſſæ in diem liberum, tantam patiuntur inſolentiam lucis, ut putes obſitas cæcitate. Invalidum urſis caput, vis maxima in brachijs, & lumbis: unde interdum poſticis pedibus inſiſtunt. Inſidiantur alvearibus apum: maxime favos appetunt, nec avidius aliud quam mella captant. Cum guſtavêre mandragoræ mala, moriuntur: ſed eunt obviam, ne malum in perniciem convaleſcat, & formicas vorant ad recuperandam ſanitatem. Siquando tauros adoriuntur, ſciunt quibus potiſſimum partibus immorentur: nec aliud quam cornua aut nares petunt. cornua, ut pondere defatigent: nares, ut acrior dolor ſit in loco teneriore. M. *a* Meſſalla cos. L. Domitius Ænobarbus curulis ædilis urſos Numidicos centum, & totidem Æthiopas venatores in circo Romano edidit: idque ſpectaculum inter memorabiles titulos annotatur.



Digitized by Google

## IN CAP. XXIX.

a *M. Meſſalla* ] Collegam hujus M. Valerii Meſſallæ Nigri, Dio. Plinius & Caſſiodorus vocant M. Pupium Piſonem : quem non arbitror à Solino prætermiſſum fuiſſe.

## CAP. XXX.

### *De Africa, & de omnibus in ea memoria dignis.*

OMnis Africa à Zeugitano pede incipit, promontorio Apollinis Sardiniæ contraverſa, promontorio Mercurii procedens in frontem Sicanam. Proinde extenta in duas prominentias, quarum altera Promontorium candidum dicitur: alteram, quæ eſt in Cyrenaica regione, Phicuntem vocant. Ea per ſinum Creticum oppoſita Cretæ inſulæ, contra Tænaron Laconicæ excurrit arenis. Catabathmos Ægypto inſinuata cui proxima Cyrenenſis extenditur inter duas Syrtes, quas inacceſſas vadoſum ac reciprocum mare efficit: cujus ſali defectus vel incrementa haud promtum eſt deprehendere: ita incertis motibus nunc in brevia reſcinditur dorſuoſa, nunc æſtibus inundatur inquietis. Varro auctor eſt, perflabilem ibi terram ventis penetrantibus, ſubitam vim ſpiritus

Digitized by Google

tus citiſſimi aut revomere maria, aut ſorbere. Omnis hæc plaga ab Æthiopia & terminis Aſiæ, Nigri flumine, qui Nilum parit ab Hiſpania freto ſcinditur: latere quo ad meridiem vergit, fontium inops, & infamis ſiti: altrinſecus quà ſeptentrionem patitur, aquarum larga: in agro Byzacæno, qui patet paſſuum ducentis vel amplius millibus, glebis ita præpinguibus, ut jacta ibi ſemina cum incremento centeſimæ frugis renaſcantur. Externos in ea plurimos conveniſſe, argumentum de urbibus & locis dabimus. Borion promontorium, *a* quod Aquilone cæditur, Græci advenæ ſic vocaverunt. Hipponem, Rhegium poſtea dictum, item Hipponem alterum, de interfluente freto Diarrhyton nuncupatum, nobiliſſimà oppida equites Græci condiderunt. Clypeam civitatem Siculi exſtruunt, & Aſpida primum nominant. Veneriam etiam, in quam Veneris Erycinæ religiones tranſtulerunt. Achæi Tripolin lingua ſua ſignant de trium urbium numero, *b* Oëæ, Sabratæ, Leptis magnæ. Philænis fratribus à laudis cupidine Graium vocamen datum. Adrymeto atque Carthagini auctor eſt à Tyro populus: ſed quæ ſuper Carthagine veraces libri prodiderunt, hoc loco reddam. Vrbem iſtam, ut Cato in oratione Senatoria



Digitized by Google

autumat, cum rex Hiarbas rerum in Libya potiretur, Eliſſa mulier exſtruxit, domo Phœnix, & Carthadam dixit, quod c Phœnicum ore exprimit civitatem novam: mox ſermone verſo in morem Punicum, & hæc, Eliſſa, & illa, Carthago dicta eſt: quæ poſt annos ſeptingentos trigintaſeptem exciditur, quam fuerat exſtructa. deinde à C. Graccho colonis Italicis data, & Iunonia ab eo dicta: aliquantiſper ignobilis, humili & languido ſtatu: demum in claritatem ſecundæ Carthaginis, interjectis centum & duobus annis, M. Antonio & P. Dolabella conſulibus enituit, alterum poſt urbem Romam terrarum decus. Verum ut ad Africam redeamus, ipſa ſuo cingitur angulo. Interna ejus plurimæ quidem beſtiæ, ſed principaliter leones, tenent: d qui, ut Ariſtoteles perhibet, ſoli ex eo genere quod dentatum vocant, vident protinus atque naſcuntur. quorum trifariam genus ſcinditur: nam breviores & jubis criſpi, plerumque ignavi ſunt & imbelles: longiores, & coma ſimplici, acres magis ac potentes. At hi quos creant Pardi, in plebe remanent, jubarum inopes. Pariter omnes parcunt à ſagina, primum quod alternis diebus potum, alternis cibum capiunt, ac frequenter, ſi digeſtio non eſt inſecuta, ſolitæ cibationi ſuperpo-

perponunt diem: tum, quod carnes juſto amplius devorant, cum gravantur, inſertis in ora unguibus ſponte protrahunt. Sane & cum fugiendum eſt, in ſatietate idem faciunt. Senectam defectio probat dentium. Nam clementiæ indicia multa ſunt. proſtratis parcunt, in viros potius quam in fœminas ſæviunt: infantes non niſi in magna fame perimunt. nec à miſericordia ſeparantur. aſſiduis deniq; exemplis patet eos peperciſſe, cum multi captivorum aliquot leonibus obviis intacti repatriaverint. Gætulæ etiam mulieris nomen Iubæ libris comprehenſum eſt, quæ obteſtata occurſantes feras, immunis rediit. Averſi coëunt. nec hi tantum, ſed & Lynces, & Cameli, & Elephanti, & Rhinocerotes, & Tigrides. Leænæ fœtu primo catulos quinque edunt: deinde per ſingulos partus numerum decoquunt annis inſequentibus: ſed poſtremo, cum ad unum materna fœcunditas recidit, ſterileſcunt in æternum. Animos leonum frons & cauda indicant, ſicut e motus equini de auribus intelliguntur. dedit enim has duas notas generoſiſſimo cuiq; natura. Vis ſumma in pectore eſt; firmitas in capite præcipua. Cum premuntur à canibus, contemtim recedunt, ſubſiſteteſque interdum, ancipiti receſſu diſſimulant timorem;

idque

idque agunt, ſi in campis patentibus ac nudis urgeantur. nam ſilveſtribus locis, quaſi teſtem ignaviæ non reformident, quanta poſſunt ſe fuga ſubtrahunt. Cum inſequuntur, niſum ſaltu adjuvant : cum fugiunt, non valent ſalire. Gradientes, mucrones unguium vaginis corporum claudunt, ne acumina attritu retundantur. hoc adeo cuſtodiunt, ut non niſi adverſis falculis currant. Septi à venantibus, obtutu terram contuentur: quo minus conſpectis venabulis terreantur. Nunquam limò vident, minimeque [ ſe ] volunt aſpici. Cantus gallinaceorum, & rotarum timent ſtrepitus, ſed ignes magis. Leontophonos vocari accepimus beſtias modicas, quæ captæ exuruntur, ut earum cineris aſpergine carnes pollutæ, jactæque per compita concurrentium ſemitarum, leones necent, ſi quantuluncunque ex illis ſumſerint. propterea leones naturali eas premunt odio, atque ubi facultas data eſt, morſu quidem abſtinent, ſed dilaniatas exanimant pedum niſibus. Spectaculum ex his primus Romæ edidit Scævola P. F. in curuli ædilitate. Hyænam quoque mittit Africa, cui cum ſpina riget, collum continua unitate flecti nequit, niſi toto corpore circumacto. Multa de ea mira. Primum, quod ſequitur ſtabula paſtorum, & au-

& auditu aſſiduo addiſcit vocamen, quod exprimere poſſit imitatione vocis humanæ, ut in hominem aſtu accitum nocte ſæviat. Vomitus quoque humanos mentitur, falſiſque ſingultibus ſolicitatos ſic canes devorat: qui forte ſi venantes umbram ejus, dum ſequuntur, contigerint, latrare nequeunt, voce perdita. Eadem hyæna inquiſitione corporum ſepultorum buſta eruit. Præterea promtius eſt marem capere: fœminis enim ingenita eſt callidior aſtutia. Varietas multiplex ineſt oculis, colorumque mutatio: in quorum pupillis lapis invenitur (hyænium dicunt) præditum illa poteſtate, ut cujus hominis fuerit linguæ ſuppoſitus, prædicat futura. Verum hyæna quodcumque animal ter luſtraverit, movere ſe non poteſt. quapropter magicam ſcientiam ineſſe ei pronuntiaverunt. In Æthiopiæ parte coit cum leæna: unde naſcitur monſtrum cui *f* Crocottæ nomen eſt. Voces hominum & ipſa pariter affectat, nunquam *g* connivet aciem orbium: ſed in obtutu ſine nictatione contendit. In ore gingiva nulla, dens unus, atq; perpetuus, qui ut nunquam retundatur, naturaliter capſularum modo clauditur. Inter ea quæ dicunt herbatica, eadem Africa Onagros habet, in quo genere ſinguli imperitant gre-

gregibus fœminarum. Æmulos libidinis ſuæ metuunt: inde eſt quod gravidas ſuas ſervant, *h* ut in editis maribus, ſiqua facultas fuerit, generandi ſpem morſu detruncent. quod caventes fœminæ, in receſſibus partus occulunt. Africa ſerpentibus adeo fœcunda eſt, ut mali hujus merito illi potiſſimum palma detur. Ceraſtæ præferunt *i* quadrigemina cornicula, quorum oſtentatione, veluti eſca illice, ſolicitatas aves perimunt. nam reliqua corporis de induſtria arenis contegunt, nec ullum indicium ſui præbent, niſi ex ea parte qua invitatis dolo paſtibus necem præpetum aucupentur. *k* Amphisbæna conſurgit in caput geminum, quorum alterum in loco ſuo eſt, alterum in ea parte qua caudą: quæ cauſſa efficit ut capite utrinque ſecus nitibundo ſerpat tractibus circularis. Iaculi arbores ſubeunt, è quibus vi maxima turbinati, penetrant animal quodcumque obvium fortuna fecerit. Scytale tanta refulget tergi varietate, ut notarum gratia videntes retardet: & quoniam reptando pigrior eſt, quos aſſequi nequit, miraculo ſui capiat ſtupentes. in hoc tamen ſquamarum nitore hyemales exuvias prima ponit. Plures diverſæque Aſpidum ſpecies [ſunt,] verum diſparis affectus ad nocendum. Dipſas ſiti interficit. Hypnale,
quod

Digitized by Google

quod ſommo necat, teſte etiam Cleopatra, emitur ad mortem: aliarum virus, quoniam medelas admittit, minus famæ meretur. Hæmorrhois morſu ſanguinem elicit, & diſſolutis venarum commerciis, quicquid animæ eſt evocat per cruorem. Preſter quem percuſſerit, diſtenditur, enormique corpulentia necatur, extuberatus. Ictus Sepium [ſtatim] putredo ſequitur. Sunt & Ammoditæ, eſt & Cenchris, Elephantiæ, Cherſydri, Chamædracontes. Poſtremo quantus nominum, tantus mortium numerus. Nam ſcorpiones, ſcinci, lacertique vermibus non ſerpentibus aſcribuntur. Monſtra hæc ſi bibant, clementius feriunt. habent affectus. non temere niſi conjuges evagantur. capto altero vel occiſo, uter ſuperfuerit, efferatur. Subtiliora ſunt capita fœminis alvi tumidiores, peſtis nocentior: maſculus æqualiter teres eſt, ſublimior etiam mitiorque. Igitur anguibus univerſis hebes viſus eſt. Raro in adverſum contuentur. nec fruſtra, cum oculos non in fronte habeant, ſed in temporibus: adeo ut citius audiant, quam [quid] aſpiciant. De gemma Heliotropio inter Æthiopiam, Africam, [&] Cyprum certamen fuit, quænam mitteret generis hujus eminentiſſimam, deprehenſumque [eſt] documentis plurimis Æthiopicam aut

aut Libycam palmam tenere. Viridi colore eſt, non ita acuto, ſed nubilo magis & repreſſo, ſtellis puniceis ſuperſperſa. Cauſſa nominis de effectu lapidis eſt, & poteſtate. Dejecta in labris æneis, radios ſolis mutat ſanguineo repercuſſu, extraque aquam *l* ſplendorem ejus abjicit & avertit. Etiam illud poſſe dicitur, ut herbæ ejuſdem nominis mixta, & præcantationibus legitimis conſecrata, eum à quocumque geſtabitur, ſubtrahat viſibus obviorum. Inter Syrtes, quamvis terra pergentibus, iter ſyderibus deſtinatur: nec aliter curſus pateſcit. nam putris ſoli faciem aura mutat, & minimo licet vento, tantam diverſitatem flatus efficit, ut ſubinde *m* everſis ſitibus locorum, nulla indicia agnitioni relinquantur: cum modo quæ fuerant tumulis ardua, in valles reſidunt: modo quæ vallibus preſſa, cætu pulveris aggerantur. Ita etiam continens naturam maris ſui patitur. nec intereſt ubi potius ſint procellæ: cum ad exitium viantium elementis congruentibus, in terris flabra ſæviant, in mari terræ. Vtræque Syrtes ducentis quinquaginta millibus paſſuum ſeparantur: aliquanto clementior, quæ minor eſt. Cn. denique Servilio, C. Sempronio, coss. inter hæc vadoſa claſſem Romanam impune

ne accepimus perfretaſſe. In hoc ſinu Meninx inſula, poſt Minturnenſes paludes C. Mario fuit latebra. Supra Garamantes Pſylli fuerunt, contra noxium virus muniti incredibili corporis firmitate. ſoli morſibus anguium non interibant, &, quamvis dente lethali appetiti, incorrupta durabant ſanitate. Recens etiam editos ſerpentibus offerebant: ſi eſſent partus adulterini, matrum crimina plectebantur, interitu parvulorum: ſi pudici, probos ortus à morte paterni ſanguinis privilegium tuebatur, ſic originis fidem probabant venenis indicantibus. Sed hæc gens interiit à Naſamonibus capta: neque quicquam aliud præter opinionem de veſtigio nominis ſui Pſylli reliquerunt. Naſamoniten lapidem Naſamones dant, ſanguineum univerſum, nigris venulis adumbratum. In intimo receſſu Syrtis majoris circa Philænorum aras Lotophagos fuiſſe didicimus: nec incertum eſt. A Philænorum aris non procul palus eſt, quam Triton amnis influit, ubi ſpeculatam ſe artium deam crediderunt. Major Syrtis oſtentat oppidum, (Cyrenas vocant) quod *n* Battus Lacedæmonius Olympiade prima & quadrageſima, rege Martio res Romanas tenente; anno poſt Trojam captam quingenteſimo ſexageſimooctavo condidit,

quæ

quæ domus Callimachi, poëtæ fuit & patria. Inter hoc oppidum & templum Ammonis, millia paſſuum quadringenta ſunt. Templo fons proximat Soli ſacer, qui humoris nexibus humum ſtringit, favillam etiam in ceſpitem ſolidat. in qua gleba non ſine miraculo lucus emicat, undique ſecus agris arentibus. Illic & lapis legitur: Ammonis vocant cornu. nam ita tortuoſus eſt & inflexus ut effigiem reddat cornu arietini. fulgore aureo eſt. prædivina ſomnia repræſentare dicitur ſubjectus capiti incubantium. Et arbor eſt Metops nomine, ex qua profluit lentus humor, quem à loco Ammoniacum nominamus. Apud Cyrenenſes præterea *o* Syrpe gignitur odoratis radicibus, virgulto herbido magis quam arbuſto: cujus è culmo exſudat, æſtatis tempore, pingue roſcidum: idque paſcentium hircorum inhæret barbulis: ubi cum arefactum inolevit, guttis ſtiriatis legitur ad uſum menſarum, vel medelæ magis. Dictum [eſt] primum lac Syrpicum, quoniam manat in modum lacteum: deinde uſu derivante, Laſer nominatum. quæ germina initio barbaricæ impreſſionis vaſtatis agris, poſtea ob intolerandam vectigalis nimietatem, ferme penitus ipſi accolæ eruerunt. Cyrenis ab læva Africa eſt, ab dextra Ægyptus, à

fron-

fronte ſævum & importuoſum mare : à tergo, barbarorum variæ nationes, & ſolitudo inacceſſa *p* incultaque & ſqualens : quæ Baſiliſcum creat, malum in terris ſingulare. Serpens eſt pene ad ſemipedem longitudinis, alba quaſi mitrula lineatus caput. nec hominis tantum, vel aliorum animantium exitiis datus : ſed terræ quoque ipſius, quam polluit & exurit, ubicumque ferale ſortitur receptaculum. Denique extinguit herbas, necat arbores, ipſas etiam corrumpit auras : ita ut aëra nulla alitum impune tranſvolet, infectum ſpiritu peſtilenti. Cum movetur, media corporis parte ſerpit, media arduus eſt & excelſus. *q* Sibilum ejus etiam ſerpentes alii perhorreſcunt : & cum acceperint, fugam quæque quo poſſunt properant. Quicquid morſu ejus occiditur, non depaſcitur fera, non attrectat ales. Muſtelis tantum vincitur, quas illinc homines inferunt cavernis in quibus deliteſcit. Vis tamen ne defuncto quidem deeſt. Denique Baſiliſci reliquias amplo ſeſtertio Pergameni *r* compararunt : &, ut ædem Apollinis manu inſignem nec araneæ intexerent, nec alites involarent, cadaver ejus reticulo aureo ſuſpenſum, ibidem locarunt. Circa extimum Syrtium cornu Berenicen civitatem alluit Lethon amnis in-

inferna (ut putant) exundatione prorumpens, & apud priſtinos vates latice memoratus oblivionis. hanc Berenice munivit, quæ Ptolemæo tertio fuit nupta, & in majori Syrte locavit. Omne autem latifundium, quod inter Ægyptum, Æthiopiam Libyamque, diffunditur, quacumque lucis opacum eſt, varium implevit Simiarum genus. Nec quiſquam offenſus nomine, cognitione gravetur: enimvero operæpretium eſt nihil omittere, in quo naturæ ſpectanda ſit providentia. Vulgus ſimiarum in his eſt, quas paſſim videmus, non ſine ingenio æmulandi: quo facilius in manus veniunt. nam dum avide venantium geſtus affectant, relicta conſulto viſci unguilla, quod mendacio factum vident, oculos ſuos oblinunt: ita viſu obducto, pronum eſt eas corripi. Exultant nova luna, triſtes ſunt cornuto & cavo ſydere. Immoderate fœtus amant, adeo ut catulos facilius amittant, quos impendio diligunt, & ante ſe geſtant: quoniam neglecti ponè matrem ſemper hærent. Cercopitheci caudas habent: hæc ſola diſcretio eſt inter prius dictas. Cynocephali, & ipſi ſunt è numero ſimiarum, [in] Æthiopiæ partibus frequentiſſimi: violenti ad ſaltum, feri morſu, nunquam ita manſueti ut non ſint magis rabidi. Inter ſimias ha-

habentur & Sphinges, villoſæ comis, mammis prominulis ac profundis, dociles ad feritatis oblivionem. Sunt & quas vocant Satyros, facie admodum grata, geſticulatis motibus inquietæ. Callitriches toto pene aſpectu à ceteris differunt: in facie barba eſt, lata cauda. has capere non eſt arduum, ſed proferre, rarum. neque enim vivunt in altero quam in Æthiopico, hoc eſt ſuo, ſolo.

## IN CAP. XXX.

a *Quod aquilone ceditur*] Vet. lib. Quod aquiloni datur.

b *Taphræ, Abrotani, Leptis Magnæ*] Iſidorus Hiſpanus librum De proprietate rerum ex omni antiquorum auctorum genere ſic collegit ut pura puta eorum verba plerumque deſumat. Quare exiſtimo non niſi conſultò quæ ab illo referuntur rideri debere: quam in partem an hac tempeſtate clariſſimi quidam non dignitate modo verum & doctrina viri lapſi ſint, dum quæ non Iſidori ſed Ulpiani & Paulli verba erant, convellere nituntur, illis judicandum relinquo qui Ulpiani fragmenta, & Iulii Paulli receptas ſententias perlegerunt. nam iis diutius immorari non eſt conſilium meum. Iſidorus itaque lib. XIIII. ut eſt in meo m. ſ. ſcribit, Tripolitanam quoque provinciam Græci in lingua ſua ſignant de numero trium magnarum urbium, OEæ, Sabrettæ, Leptis Magnæ. Hæc quin ex Solino ſint non ambigo. Ergo hoc loco reponatur, OEæ, Sabratæ, Leptis Magnæ. nam in m. ſ. OEæ, Sabratæ continetur. Adde, Silium

lium Italicum, laborioſum poëtam, ita nominare his verſibus,

*Sabrata tum, Tyrium vulgus, Sarranaque Leptis,*
*OEaque Trinacrios Afris permixta colonos.*

adde poſtremò, Sabratæ mentionem à Martiano fieri. Quibus adducor ne vel Hermolao vel Vadiano vel Camerti ſubſcribam.

c *Phœnicum ore*] Vet. libri, Phœniceo more.

d *Qui, ut Ariſtoteles perhibet, ſoli ex eo genere quod dentatum vocant, vident protinus atque naſcuntur*] Lipſianus liber neque hæc, neque quod ſequitur, *Ac potentes*: item neque, *Vt ultimo ſingulos procreent*, habet.

e *Motus equini de auribus intelliguntur*] Poteſt etiam ex vet. lib. legi naribus. non tam propter ea quæ Cato, Varro, Palladius, optimi harum rerum æſtimatores, ſcripſerunt, quanquam & ideo: quam quia Xenophon in Ἱππικῷ teſtatur, ſolere iraſcentes equos diductis vehementer naribus iram denunciare. quod quia maxime huc pertinet, verba aſcribam: Καὶ μυκτῆρές γε οἱ ἀναπεπταμένοι τῶν συμπεπτωκότων εὐπνοώτεροί τε ἅμα εἰσὶ καὶ γοργότερον τὸν ἵππον ἀποδεικνύουσι. καὶ γὰρ ὅταν ὀργίζηται ἵππος ἵππῳ, ἢ ἐν ἱππασίᾳ θυμῶται, εὐρύνει μᾶλλον τοὺς μυκτῆρας. Claudianus vero volens exprimere furorem equi amantis cecinit,

*Nobilis haud aliter ſonipes, quem primus amoris*
*Sollicitavit odor, tumidus quatienſque decoras*
*Curvata cervice jubas, Pharſalia rura*
*Pervolat, & notos hinnitu flagitat amnes,*
*Naribus accenſis, &c.*

Paullo poſt, *Niſum ſaltu adjuvant*] Vet.lib. niſu ſaltum adjuvant.

f *Cro*

f *Crocutæ* ] Iidem, Corocottæ. ſcribo Crocottæ. nam Diodorus Siculus lib. III, & Porphyrius περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων l. 4. Κροκόττλαν vocant.

g *Connivet* ] Cohibet in m. ſ. habetur.

h *Vt in editis maribus, ſi qua facultas fuerit, generandi ſpem morſu detruncent* ] In membranis aliis verbis idem ſenſus efficitur, Ut expoſitos mares, ſi q. f. f. truncatos mordicus privent teſtibus. Elegans hujus crudelitatis deſcriptio ab Oppiano lib. III Κυνηγετ. petatur.

i *Quadrigemina cornicula.* ] Nicander à Solino diſſentit, quem vide.

k *Ampisbæna conſurgit in caput geminum* ] A Lucano ſumtum, qui ſcripſit,

*Et gravis in geminum ſurgens caput Amphiſbæna.*

l *Splendorem æris*] Plinius facit ut ex m. ſ. Splendorem ejus, emendem.

m *Everſis* ] In vet. lib. eſt, perverſis.

n *Battius* ] M. ſ. Bathius, Scribe Battus. Catullus ait,

*Et Batti veteris ſacrum ſepulcrum.*

o *Syrpe* ] Theophraſtus, Dioſcorides & Plinius hæc de Silphio (cujus apud Catonem, Palladium atque Apicium, frequens mentio) prodiderunt: non eſt tamen ſic legendum hoc loco, aut inferius, lac Silphicum. nam vet. lib. Scyrpe & Scyrpicum habent, & Plaut. ait,

*Teque oro & quæſo, ſi ſperas tibi*
*Hoc anno multum futurum ſyrpe & laſerpicium.*

Syrpe pars quædam eſt Silphii, de quo Priſcianus quoque meminit.

p *Incultaque & ſqualens* ] Deſunt hæc cod. antiquo.

q *Sibilum* ] Dixerat hoc ipſum antea Lucan.

*Sibilaque effundens cunctas terrentia peſtes*



Digitized by Google

*Ante venena nocens, late ſibi ſummovet omne*
*Vulgus, & in vacua regnat Baſiliſcus arena.*

Ante Lucanum vero Nicander: cujus verſus, quia multi ſunt, ſuperſedeo referre.

r *Compararunt & ut ædem*] Pro his vet. lib. continet Paraverunt, ut ædem. Item quæ in vulgatis habentur, Cadaver ejus reticulo aureo ſuſpenſum ibidem locarunt, in eo non inveniuntur.

Quod paullo poſt ſequitur, *Vulgus ſimiarum*. Membranæ, plebes ſimiarum.

ſ *In ſuo ſolo*] M. ſ. in ſuo cælo. nihil tamen immutandum exiſtimo.

## CAP. XXXI.

### *De Hammanientum gente, deque in ea domibus ſale constructis.*

INter Naſamonas & Troglodytas gens Hammanientum eſt, quæ ſalibus domos exſtruunt: quos in modum cautium è montibus excitatos ad uſum ædium cæmentitiis nectunt *a* ſtruibus. tanta ibi hujuſce venæ copia eſt, ut tecta faciant è ſalinis. Hi ſunt Hammanientes, qui commercia cum Troglodytis habent. Carbunculi gemmæ citra Hammanientes propiores Naſamonibus. *b* Asbyſtæ Laſere vivunt: hoc aluntur, hoc illis dulce eſt.

### IN CAP. XXXI.

a *Struibus.*] Invenio in vet. lib. inſtruicibus, Forte ſtruicibus eſt legendum. Feſtus Struices ab anti-

antiquis quarumvis rerum exſtructiones dictas ſcribit, adductis auctoritatibus quibus id confirmet.

b *Asbyſtæ*] Sic Plinius & Herodotus. vet. vero lib. Asbytæ.

## CAP. XXXII.

### *De Garamantibus, deque miro apud eoſdem fonte.*

GAramantum oppidum eſt Debris, fonte miro. *a* quidni? qui alternis curſibus, die frigeat, nocte ferveat, ac per eadem venarum commercia, interdum ignito vapore æſtuet, interdum glaciali algore inhorreſcat? Incredibile memoratu ut tam brevi temporis curriculo natura tam diſſonam [ſui] faciat varietatem: idque qui percunctari velit tenebris, ineſſe fluori illi æternam facem credat: qui rimetur die brumales ſcatebras, nunquam aliud exiſtimet quam perpetuo rigere. Vnde non immerito per gentes Debris inclyta eſt, cujus aquæ ex cæleſti vertigine mutant qualitatem, quamvis controverſa ſyderum diſciplina. Nam cum mundum à calore veſper temperet: ab occaſu incipit ita incaleſcere, ut ni tactu abſtineas, noxium ſit contigiſſe. *b* Rurſum cum ortu ſolis incanduerint, & radiis ferveſacta ſunt univerſa, ſic hyemales evomit ſcaturi-

turigines, ut hauriri, etiam à ſitientibus, non queat. Quis ergo non ſtupeat fontem, *c* qui friget calore, calet frigore? Garamanticæ regionis caput eſt, *d* Garama, ad quam iter diu inextricabile fuit, & invium. Nam latrones puteos arenis operiebant, ut temporaria fraude ſubductis aquis, infame ſiti iter, ſubmoveret acceſſus viantium. ſed Veſpaſiano principe, bello quod cum OEenſibus geſtum eſt, difficultas hæc diſſoluta eſt, compendio ſpatii brevioris reperto. Garamantas Cornelius Balbus ſubegit, & primus ex hac victoria triumphavit, primus ſane de externis, utpote Gadibus genitus, acceſſit ad gloriam nominis triumphalis. Armenta gentis iſtius obliquis cervicibus pabulantur. nam ſi recta ad paſtum ora dirigant, officiunt prona in humum cornua, & obnixa. Ex parte qua Cercina eſt, accepimus Gaulon inſulam, in qua ſerpens neque naſcitur neque vivit invecta: propterea jactus ex ea quocunque gentium pulvis arcet angues: ſcorpiones e ſuperjactu ſuo ilico perimit.

IN CAP. XXXII.

a *Qui denique alternis vicibus, die frigeat, nocte ferveat*] Non convenit hæc lectio cum ea quæ in vet. lib. invenitur, videlicet, quidni? qui alternis curſibus, die frigeat, nocte efferveat.

b *Rurſus cum ortus ſolis incanduerit, & radiis ferveſacta ſint omnia, ſic glaciales evomit ſcaturigines, ut hauriri etiam à ſitientibus, nequeat.*] Ita vulgo

go legebatur : at ego ſcripti libri ſcripturam edi curavi.

c *Qui friget calore, calet frigore*] Non leguntur hæc in membranis.

d *Garamana*] M. ſ. Garama, ut & Ptolemæus. Mox ſequitur, *In fame & ſiti iter*, Vet. lib. &, non habent : hinc ego auguror ſcribendum, Inſame ſiti iter.

Quod eſt poſt aliquot lineas, *Et obnixa*, ne hoc quidem in vet. lib continetur.

e *Superjactus*] Pro hac voce vet. lib. ſuperjactu ſuo, habent.

## CAP. XXXIII.

### *De Æthiopia, de ejus regionis hominum obſcœnis moribus, ac eorundem hominum monſtroſis formis. De draconibus, miræque naturæ ibidem feris aliis. De Cinnamomo aromate, deque Hyacintho lapide.*

AEthiopes & Atlanticæ gentes, Nigri flumine dividuntur, quam partem putant Nili. Sic papyro viret, ſic calamo prætexitur, animalia eadem edit, iiſdem temporibus exundat, intra ripas tunc quoque redit cùm contentus alveo ſuo Nilus. Garamantici Æthiopes matrimonia privatim neſciunt : ſed omnibus vulgo in venerem licet. Inde eſt quod filios matres tantum recognoſcunt : nam paterni nominis nulla reverentia eſt. quis enim

 verum

verum patrem noverit in hac luxuria inceſti laſcivientis? Eapropter Garamantici Æthiopes inter omnes populos degeneres habentur: nec immerito, quia afflicta caſtitatis diſciplina, ſucceſſionis notitiam, ritu improbo, perdiderunt. Nomen Æthiopum late patet. in parte Africana quâ Meroën videt Libya, plurimæ eorum ſunt & variæ nationes. Harum è numero Nomades Cynocephalorum lacte vivunt. a Syrbotæ longi ſunt ad pedes duodecim. Aſachæi captos venatibus elephantos devorant. Apud Sambros nulla eſt aurita quadrupes, nec elephanti quidem. His proximi ſummam regiæ poteſtatis cani tradunt, de cujus motibus quidnam imperitet, augurantur. Maritimos Æthiopas quaternos oculos dicunt habere: ſed fides alia eſt, illa denique, quod & vident plurimum, & manifeſtiſſime deſtinant jactus ſagittarum. Occidentem verſus Agriophagi tenent, qui ſolas pantherarum & leonum carnes edunt, rege præditi, cujus in fronte oculus unus eſt. Sunt & Pamphagi, quibus eſca eſt quicquid mandi poteſt, & omnia fortuito gignentia. Sunt & Anthropophagi, quorum mores vocamen ſonat. Cynamolgos ajunt habere caninos rictus, & prominula ora. Arthabathitæ proni, atque quadrupedes: nec ſecus ac

feræ

feræ, ſine ſedibus evagantur. Confines Mauritaniæ certo tempore locuſtas terreſtres legunt, duratasque ſalſugine in præſidium vitæ ſolas habent: ſed ex illis quadrageſimum ævi annum nullus ſupergreditur. Ab Oceano iſto ad Meroën, quam inſulam amplexu primo Nilus facit, millia paſſuum [ſunt] ſexcenta viginti. Vltra Meroën ſupra exortum ſolis Macrobii Æthiopes vocantur. dimidio enim eorum protenſior quam noſtra vita eſt. Hi Macrobii juſtitiam colunt, amant æquitatem: plurimum valent robore: præcipua decent pulchritudine: ornantur ære, auro vincula faciunt noxiorum. Locus apud eos eſt Heliotrapeza, opiparis epulis ſemper refertus, quibus indiſcrete omnes veſcuntur: nam & divinitus eas augeri ferunt. Eſt & ibidem lacus, quo perfuſa corpora *b* velut olivo niteſcunt. ex hoc lacu potus ſaluberrimus. ſane adeo liquidus eſt, ut nec caducas quidem vehat frondes: ſed ilico folia lapſa ad fundum dimittat, laticis tenuitate. Vltra hos deſertæ & inhumanæ ſolitudines aduſque Arabicos ſinus. Deinde in ultimis orientis monſtroſæ gentium facies: aliæ ſine naribus, æquali totius oris planicie informes habent vultus: aliis concreta ora ſunt, modicoque tantum foramine calamis avenarum

 paſtus

Digitized by Google

paſtus hauriunt. nonnullæ linguis carent, in vicem ſermonis utentes nutibus motibuſque. Quædam ex iſtis nationibus, ante Ptolemæum Lathyrum regem Ægypti, incognitum habuerunt ignis uſum. Æthiopia omnis ab oriente hyberno ad occidentem hybernum tenet. Quicquid ejus [eſt] ſub meridiano cardine lucis nitet, qui maxime virent hyeme. A meridiana parte mons editus mari imminet, ingenito igne per æternum fervidus, & inquietè jugis flagrantibus: inter quæ incendia jugis æſtus, draconum magna copia eſt. Porro veris draconibus ora parva, & ad morſus non dehiſcentia, ſed artæ fiſtulæ, per quas & trahunt ſpiritus & linguas exerunt. quippe non in dentibus vim ſed in caudis habent, & verbere potius quam rictu nocent. Exciditur è cerebris draconum Dracontias lapis. ſed lapis non eſt niſi detrahatur viventibus. nam ſi obeat prius ſerpens, cum anima ſimul evaneſcit duritics ſoluta. Vſu ejus orientis reges præcipue gloriantur, quanquam nullum lenocinium [artis]admittat ſoliditate: & quicquid in eo nobile eſt, non manus faciunt, ne alterius quam naturæ candor ſit, quo reluceat. Auctor Sothacus gemmam hanc etiam ſibi viſam ſcribit, & quibus intercipiatur modis edocet. Præſtantiſſimi audacia

dacia viri explorant anguium foveas & receptus: inde præſtolati ad paſtum exeuntes, prætervectique percitis curſibus objiciunt gramina medicata, *c* quantum poteſt ad incitandum ſoporem: ita ſomno obſopitis, è capitibus deſecant lapides, & de manubiis præcipitis auſi, prædam revehunt temeritatis. Quæ locorum Æthiopes tenent, feris plena ſunt, è quibus quam *d* Nabim vocant, nos Camelopardalim dicimus, collo equis ſimilem, pedibus bubulis, capite camelino, nitore rutilo, albis maculis ſuperſperſa. Hoc animal Romæ Circenſibus dictatoris Cæſaris primùm publicatum. Iiſdem ferme temporibus illinc exhibita monſtra ſunt, (*e* Cepos appellant) quorum poſteriores pedes crure & veſtigio humanos artus mentiuntur: priores [perinde] hominum manus referunt: ſed à noſtris non amplius quam ſemel viſa ſunt. Ante ludos Cn. Pompeii Rhinocerota Romana ſpectacula neſciebant: cui beſtiæ color buxeus, in naribus cornu unicum, & repandum: quod ſubinde attritum cautibus, in mucronem excitat, eoque adverſus elephantos præliatur: *f* par ipſis longitudine, brevior cruribus: naturaliter alvum petens, quam ſolam intelligit ictibus ſuis perviam. Iuxta Nigrin fluvium Catoblepa naſcitur, modica atque

iners beſtia, caput prægrave ægre ferens, aſpectu peſtilenti: nam qui in oculos ejus offenderint, protinus g vitam exuunt. Formicæ ibi ad formam canis maximi, arenas aureas pedibus eruunt, quos leoninos habent: quas cuſtodiunt, ne quis auferat, captanteſq; ad necem perſequuntur. Eadem Æthiopia mittit Lycaonem: lupus eſt cervice jubatus, & tot modis varius ut nullum illi colorem dicant abeſſe. Mittit & *h* Tarandum, boum magnitudine, *i* biſulco veſtigio, ramoſis cornibus, capite cervino, urſino colore, & pariter villo profundo. Hunc Tarandum affirmant habitum metu vertere, & cum deliteſcit, fieri aſſimilem cuicunque rei proximaverit, ſive illa ſaxo alba ſit, ſeu fruteto virens, ſive quem alium modum præferat. Faciunt hoc[idem]in mari Polypi, in terra, Chamæleontes. ſed & Polypus & Chamæleon glabra ſunt, & pronius eſt cutis levitate proximantia æmulari: in hoc novum eſt & ſingulare, hirſutiam pili colorum vices facere. hinc evenit ut difficulter capi poſſit. Æthiopicis lupis proprium eſt, quod in ſaliendo ita niſus habent alitis, ut non magis proficiant curſu quam meatu: homines tamen nunquam impetunt. bruma comati ſunt, æſtate nudi: Thoas vocant. Hyſtrix quoque inde loci frequentiſſima, erinaciis ſimi-

ſimilis, ſpinis tergum hiſpida: quas plerumque laxatas, jaculatione emittit voluntaria, ut aſſiduis aculeorum nimbis canes vulneret ingruentes. Illius cæli ales eſt Pegaſus: ſed hæc ales equinum nihil præter aures habet. Tragopa quoque avis major aquilis, cornibus arietinis pręferens armatum caput. Æthiopes legunt *k* cinnamomum. Id frutetum ſitu brevi naſcitur, ramo humili & repreſſo, nunquam ultra duas ulnas altitudinis. Quod gracilius provenerit, eximium magis ducitur: quod in craſſitudinem extuberatur, deſpectui eſt. Verum legitur per ſacerdotes, hoſtiis prius cæſis: qui cum litaverint, obſervatur ut meſſis nec ortum ſolis anticipet, nec egrediatur occaſum. Quiſquis principatum tenet, ſarmentorum acervos haſta dividit, quæ ſacrata eſt in hoc miniſterium: atque ita portio manipulorum Soli dicatur: quæ ſi juſte diviſa eſt, ſponte incenditur. Inter hæc quæ diximus, nitore cærulo Hyacinthus invenitur, lapis pretioſus, ſiquidem inculpabilis reperiatur. eſt enim vitiis non parce obnoxius. nam plerumque aut violaceo diluitur, aut nubilo obducitur, aut albicantius in aquaticum eliqueſcit. Optimus in illo tenor, ſi nec denſiore fuco ſit obtuſior, nec propenſa perſpicuitate detectior: ſed ex utroque temperamento lu-

 cis

Digitized by Google

cis & purpuræ *l* moderatum ſuaviter fluorem trahat. Hic eſt qui ſentit auras, & cum cælo facit *m* mutationem, nec æqualiter rutilat, cùm aut nubiloſus eſt aut ſerenus dies. præterea in os miſſus, magis friget. ſcalpturis certè minimè accommodatus, ut qui attritum reſpuat: nec tamen penitus invictus eſt. nam adamante ſcribitur & notatur. Vbi Hyacinthus, ibi & Chryſolampis apparet, quem lapidem lux celat, produnt tenebræ. hæc enim eſt in illo diverſitas, ut nocte igneus ſit, die pallidus. Ex ipſo ſolo ſumimus Hæmatiten rubore ſanguineo: ac propterea Hæmatiten vocamus.

## IN CAP. XXXIII.

Quod eſt in hujus capitis initio, *Filios tantum matres recognoſcunt*, legitur in m. ſ. Quod filii tantum matres recognoſcunt.

a *Syrbotæ*] M. ſ. Guerbotæ: hinc alii Serbotæ: cum tamen Syrbotæ ſecundum Plinium ſcribendum ſit. Huic ſubjungitur, *Apud Sambros*, vet. lib. Sambris.

b *Velut oleo*] M. ſ. codex, velut olivo. Horatius in Od.

*Cur olivum ſanguine viperino cautius vitat?*

c *Quantum poteſt*] Pro, poteſt. vet. liber pote habet. Forte ſcribendum, opus: licet etiam ex vulgata ſcriptura ſenſus aliquis eliciatur.

d *Nabim*] Ita etiam Plinius ſcribit: tamen vet. lib. continet Navum. porro de Camelopardali,

præter

præter Strabonem, multa etiam Oppianus in Cynegeticis & Heliodorus in Æthiop. hiſtor. tradunt.

e *Scephos*] Sic Plinius: Diodorus lib. III, Cepum, vt & Strabo lib. XVI. quanquam in ejus lib. XVII, Κῆπον legatur. In antiquo Solini cod. Ceſfuſa habetur: male. unde tamen minus mirum ſit Albertum tradidiſſe, feram hanc à Solino Confuſam nominari.

f *Par ipſis prope longitudine*] Plinius Nat. hiſt. lib. VIII, ſcribit, longitudo illi par. quare dele, prope: quæ vox in m. ſ. non continetur. Idem paulo poſt, pro, *Naturali telo*, habet *Naturaliter*. ſincere.

g *Vita exeunt*] Vet. lib. vitam exuunt.

h *Tarandum*] Propter ea quæ ab Æliano lib. 5, περὶ ζώων ἰδιότητος, cap. 16. traduntur, non ſequor m. ſ. in quibus Parandrum legitur.

i *Biſulco*] Membranæ, hiulco.

k *Cinnamomum*] Vet. lib. cinnamum.

l *Moderatum ſuaviter*] Prioris vocis loco in m. ſ. fucatum ſubſtituitur.

m *Mutationem*] In vet. lib. non continetur.

## CAP. XXXIV.

### *Mira de intimis gentibus Libyæ, de lapide Hexecontalitho.*

QVod ab Atlante aduſq; Canopitanum oſtium panditur, ubi Libyæ finis eſt, & Ægyptium limen, dictum à Canopo Menelai gubernatore [ibi] ſepulto in ea inſula quæ oſtium Nili facit: gentes tenent diſſonæ,

Digitized by Google

diſſonæ, quæ in aviæ ſolitudinis ſecretum receſſerunt. Ex his Atlantes ab humano ritu prorſus exulant : nulli proprium vocabulum, nulli ſpeciale nomen: diris ſolis ortus excipiunt, diris occaſus proſequuntur : uſtique undique torrentis plagæ ſydere, oderunt deum lucis. Affirmant eos ſomnia non videre, & abſtinere penitus ab animalibus univerſis. Troglodytæ ſpecus excavant : illis teguntur. nullus ibi habendi amor : à divitiis paupertate ſe abdicarunt voluntaria. tantum lapide uno gloriantur, quem Hexecontalithon vocant, tam diverſis notis ſparſum ; ut ſexaginta gemmarum colores in parvo ejus orbiculo deprehendantur. Omnes iſti carnibus vivunt ſerpentum : ignarique ſermonis, ſtridunt potius quam loquuntur. Augylæ vero ſolos colunt inferos. fœminas ſuas primis noctibus nuptiarum adulteriis cogunt patere : mox ad perpetuam pudicitiam legibus ſtringunt ſeveriſſimis. Gamphaſantes abſtinent præliis, fugiunt commercia, nulli ſe extero miſceri ſinunt. Blemmyas, [a ſed non eos qui vicina Rubro mari incolunt,] credunt truncos naſci parte qua caput eſt, os tamen & oculos habere in pectore. Satyri de hominibus nihil aliud præferunt quam figuram. Ægipanes ſunt quos pingi videmus. Himantopodes

podes flexis niſibus crurum repunt potius quam incedunt, & pergendi uſum lapſu magis deſtinant quam ingreſſu. Pharuſii cum Herculi ad *b* Heſperidas pergenti forent comites, itineris tædio hîc reſederunt. Hactenus Libya.

### IN CAP. XXXIIII.

a *Sed non eos qui vicina Rubro mari incolunt*] Quorſum hæc exceptio pertineat, non ſane ſatis intelligio: cum itaque omnia hæc à vet. lib. abſint, ſuſpicor, ea ſtudioſi alicujus manu in margine annotata, librariorum incuria contextum invaſiſſe. quod genus quam multa è Solino ſuſtulerim, qui hanc editionem cum aliis comparabit, facile deprehendet.

b *Heſperidas*] Vet. lib. Hiſpanias.

## CAP. XXXV.

### *De Ægypto. De Nili fluminis origine, augmento, oſtiis. De Api bove. De crocodilis, Trochilo ave, Scincis, Hippopotamis, Ibide ave. De miris Ægypti arboribus. De Alexandria. De pyramidibus.*

AEgyptus à meridie introrſus recedit, quod prætendat Æthiopes: à tergo inferiorem ejus partem Nilus circumfluit, qui ſciſſus à loco cui Delta nomen eſt, ad inſulæ faciem ſpatia amplectitur inter-

Digitized by Google

interna, & incerto penè fonte decurrens proditur, ut loquemur. Originem habet à monte inferioris Mauritaniæ, qui Oceano propinquat. Hoc affirmant Punici libri: hoc Iubam regem accepimus tradidiſſe. Igitur protinus lacum efficit, quem Nilidem dicunt. Nilum autem jam inde eſſe *a* conjectant, quod hoc ſtagnum herbas, piſces, belluas nihilominus procreet quam in Nilo videmus. ac ſiquando Mauritania, unde ejus origo, aut nivibus denſioribus aut imbribus largioribus irrigatur, inde incrementa exundationis in Ægypto augeantur. Sed effuſus hoc lacu arenis ſorbetur, & cuniculis cæcis abſconditur: deinde *b* in Cæſarienſe ſpatium prorumpens amplior, eadem indicia præfert quæ in exortu notavimus. rurſuſque ſubſidit, nec ſe prius reddit quam poſt intervalla itineris extenti contingat Æthiopas. Vbi exit, Nigrum facit fluvium, quem ſupra diximus terminum eſſe limitis Africani. Aſtapum eum indigetes vocant, ſcilicet aquam è tenebris profluentem. Multas magnaſque ambit inſulas: quarum pleræque ſunt tam diffuſæ & vaſtæ magnitudinis ut vix eas dierum quinque curſu quis prætermeet, quamvis concitus ibi feratur. Nobiliſſima earum eſt Meroë, circum quam diviſus dextro alveo Aſtuſapes, lævo Aſtabores nomi-

nominantur. Tunc quoque emenſus *c* magna longinquaque loca, cum primum occurſantibus ſcopulis aſperatur, tantis agminibus extollitur inter objecta rupium, ut ruere potius quam meare credatur. Demumque à *d* Cataracte ultimo tutus eſt. Ita enim quædam clauſtra ejus Ægyptii nuncupant: *e* relicto tamen hoc priore ſuo nomine, quo loco Siris vocatur, mox inoffenſus meat. Septem oſtiis conditur: in meridiem verſus excipitur Ægyptio mari. Ignari ſyderum vel locorum varias de exceſſibus ejus cauſſas dederunt. alii affirmant Eteſias nubium denſitatem illo cogere, unde amnis hic auſpicatur, ipſumque fontem *f* ſuperno humore ſublatum, tantam inundationis habere ſubſtantiam, quantum pabuli ab liquorem nubila ſumminiſtraverint. Ferunt alii quod ventorum flatibus repercuſſus, cum fluorem ſolidæ velocitatis non queat promovere, aquis in arto luctantibus intumeſcat: &, *g* quanto impenſius controverſi ſpiritus repugnaverint, tanto excelſius ſublimari in altitudinis vertices repercuſſam celeritatem: quando nec ſolitus extenuat curſus alveum, & ſtipato jam flumine venis originalibus, torrentium pondera ſuperveniunt. ita concordi violentia, hinc urgentis elementi, hinc reſiſtentis, undis exultantibus, molem colligi

ligi quæ exceſſus facit. Nonnulli affirmant, fontem ejus qui Phiala vocatur, ſyderum motibus excitari, extractumque radiis candentibus cæleſti igne ſuſpendi: non tamen *h* ſine certa legis diſciplina, hoc eſt, lunis cœptantibus. verum *i* omnem exceſſus originem de ſole fieri, primamque exultantiam tumoris concipi, cum per Cancrum ſol vehatur. Poſtmodum, triginta ejus partibus evolutis, *k* ubi ingreſſus Leonem, ortus Sirios excitaverit, propulſo omni fluore, tantam vim amnis erumpere. quod tempus ſacerdotes natalem mundi judicaverunt, id eſt, tertiumdecimum Kalendas Auguſti & undecimum [diem.] Deinde revocari exitus univerſos, cum in Virginem tranſeat, penituſque intra ſuas ripas capere, cum Libram ſit ingreſſus. Hoc etiam addunt, pariter eum nocere, ſive abundantius exæſtuet, ſive parcius: cum exiguitas minimum fœcunditatis apportet, propenſior copia diuturno humore culturam moretur. Maximos ejus exitus cubitos duodeviginti conſurgere: juſtiſſimos, ſedecim temperari. nec in quindecim abeſſe proventus fructuarios: [ſed] quicquid intra ſit, famem facere. Dant illi etiam hoc majeſtatis, ut portendat futura: [*l* argumentantes] quandoquidem Pharſalico bello non fuerit egreſ-

ſus

ſus quinque ulnas. Iam illud palam eſt, quod ſolus ex amnibus [univerſis] nullas exſpiret auras. Ditionis Ægyptiæ eſſe incipit à Syene, in qua fines Æthiopum: & inde, uſquedum mari intimatur, Nili nomen tenet. Inter omnia quæ Ægyptus habet digna memoratu, præcipue bovem mirantur; Apim vocant: hunc inſtar colunt numinis, inſignem notæ albæ macula, quæ dextro ejus lateri ingenita, corniculantis lunæ refert faciem. Statutum ævi ſpatium eſt: quod ut affuit, profundo ſacri fontis immerſus necatur: ne diem longius trahat quam licebit. Mox alter, nec ſine publico luctu, requiritur: quem repertum, centum antiſtites Memphim proſequuntur, ut incipiat ſacris ibi initiatus, ſacer fieri. delubra quibus ſuccedit aut incubat, myſtice thalamos nominant. Dat omnia manifeſtantia de futuris: illud maxime, ſi de conſulentis manu cibum capiat. denique averſatus Germanici Cæſaris dextram, prodidit ingruentia, nec multo poſt Cæſar extinctus eſt. Pueri Apim gregatim ſequuntur, & repente velut lymphatici ventura præcinunt. bos illi fœmina oſtenditur in anno ſemel, & ipſa non abſque certis inſignibus: quæ ut inventa & oblata eſt, eadem die ſtatim neci datur. Apis natalem Memphitici celebrant

jactu

Digitized by Google

jactu aureæ pateræ, quam projiciunt in *m* Nili gurgitem. hæc ſolennitas per dies ſeptem agitur:quibus diebus cum ſacerdotibus quaſdam Crocodili inducias habent, nec attrectant lavantes, verum octavo die ceremoniis jam peractis, velut reddita ſæviendi licentia, ſolitam reſumunt atrocitatem. Crocodilus malum quadrupes & in terra & in flumine pariter valet. linguam non habet, maxillam movet ſuperiorem : morſus ejus horribili tenacitate conveniunt, ſtipante ſe dentium ſerie pectinatim. Plerumque ad viginti ulnas magnitudinis *n* coaleſcit. qualia anſeres edit ova. metatur locum nido, naturali providentia : nec alibi fœtus premit quam quo creſcentis Nili aquæ non poſſunt pervenire. In partu fovendo mas & fœmina vices ſervant. præter hiatum oris armatus eſt etiam unguium immanitate. noctibus in aqua degit, per diem humi acquieſcit. circundatur maxima cutis firmitate, in tantum ut ictus quovis tormento adactos *o* tergore repercutiat. Trochilos, avis parvula eſt : ea, dum reduvias eſcarum affectat, os belluæ hujuſce paullatim ſcalpit, & ſenſim ſcalpturigine blandiente aditum ſibi inuſque fauces facit : quod Enhydrus conſpicatus, *p* alterum Ichneumonum genus, penetrat belluam, populatiſque vitalibus

libus

libus, eroſa exit alvo. Eſt & Delphinum genus in Nilo, quorum dorſa ſerratas habent criſtas. hi Delphines Crocodilos ſtudio eliciunt ad natandum, demerſique aſtu fraudulento tenera ventrium ſubternatantes ſecant, & interimunt. Præterea habitant in inſula Nili homines forma perexigui, *q* ſed audacia eouſque præditi ut Crocodilis ſe offerant obvios. nam hæc monſtra fugientes inſequuntur, formidant reſiſtentes. ergo capiuntur, ſubactique etiam intra aquas ſuas ſerviunt, & perdomiti metu, ita obſequuntur, ut immemores atrocitatis, victores ſuos inequitantes dorſo vehant. Hanc ergo inſulam & hanc gentem ubicumque indicio odoris perſenſerint, procul fugiunt. In aqua obtuſius vident, in terra, acutiſſime. hyeme nullum cibum capiunt, quinetiam quatuor menſes à cœptu brumæ inedia exigunt. Scinci quoque circa Nilum frequentiſſimi, Crocodilis quidem ſimiles: ſed modica forma & anguſta, verum ad opem ſalutarem *r* non qualibet neceſſarii. medentes quippe ex ipſis pocula inficiunt, quibus & ſtupor nervorum excitetur, & veneni vis extinguatur. Hippopotamus in eodem flumine ac ſolo naſcitur, equino & dorſo, & juba, & hinnitu, roſtro reſupino, ungulis bifidis, aprugnis dentibus,

cauda

Digitized by Google

cauda tortuoſa. Noctibus ſegetes depaſcitur : ad quas pergit averſus aſtu doloſo, ut fallente veſtigio, reverte̜nti nullæ ei inſidiæ præparentur. Idem cum diſtenditur nimia ſatietate, arundines recens cæſas petit, per quas tamdiu obverſatur quoad ſtirpium acuta pedes vulnerent, ut profluvio ſanguinis levetur ſagina. plagam deinde cœno oblinit, uſquedum vulnus conducatur in cicatricem. Hippopotamos & Crocodilos primus Romam Marcus Scaurus invexit. Circa eaſdem ripas ales eſt Ibis. ea ſerpentum populatur ova, gratiſſimamque ex his eſcam nidis ſuis defert. ſic rareſcunt proventus fœtuum noxiorum. nec tamen aves iſtæ tantum intra fines Ægyptiorum proſunt. nam cum Arabicæ paludes pennatorum anguium mittunt examina, quorum tam citum virus eſt ut morſum ante mors quam dolor inſequatur, ſagacitate, qua ad hoc valent, aves excitatæ, in procinctum eunt univerſæ, & prius quam terminos patrios externum malum vaſtet, in aëre occurſant catervis peſtilentibus : ibi agmen devorant univerſum. quo merito ſacræ ſunt & illæſæ. Ore pariunt. nigras ſolum Peluſium mittit, reliqua pars candidas. De arboribus quas ſola fert Ægyptus, præcipua eſt ficus Ægyptia, foliis moro comparanda, poma

non

non ramis tantum geſtitans, ſed & caudice. uſqueadeo fœcunditatis ſuæ auguſta eſt, ut uno anno ſepties fructum ſufficiat: unde pomum decerpſeris, alterum ſine mora protuberat. Materia ejus in aquam miſſa ſubſidit: deinde cum diu deſederit in liquore, levior facta ſuſtollitur: & verſa vice (quod natura in alio ligni genere non recipit) fit humore ſicca. Palma quoque Ægyptia dicenda res eſt. proprie Adipſos vocatur, ut dici oportuit: eaque guſtata arcet ſitim. Odor ei idem qui & malis Cydoniis. ſed demum ſitim ſedat, ſi prius quam maturuerit, decerpatur. nam ſi matura ſumatur, ſenſum intercipit, greſſum præpedit, linguam retardat: obſeſſiſque officiis mentis & corporis, ſ imitatur vitium ebrietatis. Ægyptium limitem, quâ ad Deltæ cacumen tendit, incolunt populi, qui momentum quo reparari mundum ad motus ferunt annuos, hoc ſtudio deprehendunt. Eligitur ſacer lucus, t in quem compellunt animalia diverſiſſimi generis: ea, ubi ad ſtatutum modum cæleſtis v vertigo provecta eſt, ſenſus ſuos ſignificationibus produnt quibus poſſunt: alia ululant, alia mugiunt, quædam ſtridunt, x quædam rudunt, nonnulla [ſimul] confugiunt ad volutabra. Hoc argumentum illis eſt magiſterium ad indicium temporis

ris deprehendendi. Ferunt iidem populi à primis ſibi gentis ſuæ avis traditum, ubi nunc occaſus eſt, quondam ibi ortum ſolis fuiſſe. Inter Ægyptias urbes numero portarum Thebæ nobiles, ad quas commercia Arabes undique[gentium]ſubvehunt. Hîc regio Thebaica. Abydos, & ipſa nobilis olim Memnonis regia, nunc Oſiridis fano exculta. Alexandriam & operis ipſius magnitudo & auctor Macedo nobilitant: quam metatus Dinocrates architectus *y* ſecundum poſt conditorem inter memorabilia locum ſortitus eſt. Condita autem Alexandria eſt duodecima centeſimaque Olympiade, L. Papirio SP. F. C. Pætilio C. F. conſulibus, haut longe ab oſtio Nili fluminis: quod Heracleoticon alii, alii Canopicon appellant. Eſt & Pharos, colonia à Cæſare dictatore deducta, ex qua facibus accenſis nocturna dirigitur navigatio. nam Alexandria inſidioſo acceſſu aditur, *z* fallacibus vadis, cæco mari, tribuſque tantum canalibus admittit navigantes, Tegamo, *a** Poſidonio, Tauro. Hinc igitur in portubus machinas ad prælucendi miniſterium fabricatas, Pharos dicunt. Pyramides turres ſunt [in Ægypto,] faſtigiatæ ultra *b** celſitudinem omnem quæ fieri manu poſſit: itaque menſuram umbrarum egreſſæ, nullas habent

bent umbras. Nunc ab Ægypto c* promoveamus ſtylum.

## IN CAP. XXXV.

a *Conjectant* ] Vet. lib. coniciunt.

b *In Cæſarienſi ſpecu prorumpens* ] In Lipſii libro eſt, In Cæſarienſe ſpatium prorumpens.

c *Magna longinquaque loca, cum primum occurſantibus* ] Per magna & longinqua l. c. p. occurrentibus. ita vet. lib. habent.

d *A cataracte ultimo* ] Vet. lib. habent, à catacta ultima: quam ego lectionem non improbo: licet Plinius aliam approbare videatur.

e *Relicto tamen hoc pone ſe nomine* ] In membranis etiam locus hic plane corruptus habetur, & ſic corruptus ut pigeat aſcribere. mihi videtur emendandum, Relicto tamen hoc priore ſuo nomine, quo loco Siris, &c.

f *Supero humore ſublatum* ] M. ſ. habent, Humore ſupero agitatum.

g *Quanto impenſius* ] Pro, quanto, vet. cod. quo. & poſt aliquot verba, *eo excelſius ſublimari in altitudinis vertices*.

h *Sine certa legis diſciplina* ] Non legis, ſed regi eſt in membranis. quid ſi lege & diſciplina, ſcribas?

i *Omnem exceſſus originem de ſole fieri, primamque exultantiam tumoris concipi* ] M. ſ. codices, omnem abſceſſus ( vel exceſſus ) originem de ſole concipi, primoſque fieri exceſſus tumoris.

k *Vbi ingreſſus Leonem, ortus Sirios excitavit, emiſſis omnibus cumulis, totam fluctuationem erumpere* ] Hæc eſt vet. lib. lectio.

l *Argumentantes* ] Membranæ hoc non habent.

m *In Nili gurgitem* ] Eſt in libro calamo exarato, in Nili ſtatim gurgitem. cenſeo reponi debere, in Nili ſtativum gurgitem. Verum quare ſtativum ? an quia Nili aqua perennis non ſit ? nequaquam : at quia tum temporis Nilus non manabat, ſed ſtabat & quodammodo quieſcebat. foret enim alioqui frigida admodum ſententia. Stativas aquas perennibus oppoſuit Varro De admirandis ad Fundanium ſocerum, Secundo de ſtativis aquis ; ut ſunt lacus, & ſtagna, & putea, & maria.

n *Coaleſcit* ] Cod. vet. evaleſcit.

o *Tergore repercutiat* ] Habet vet. lib. tergo recipiat.

p *Alterum Ichneumonum genus* ] Iſta vet. lib. non continent.

q *Sed audacia eouſque præditi* ] Membranæ, Sed audacia eouſque pergit,

r *Non qualibet* ] Ex vet. lib. auctoritate qui hæc alicujus impuri grammatici verba delebit, mea quidem ſententia, optime faciet. Idem de ſequentibus, *& ſtupor nervorum excitetur*, &c. ſtatuo.

Aliquanto poſt, *Nam cum Arabica* ] Pro cùm vet. lib, quæcunque. forte, quandocunque.

ſ *Imitatur vitium ebrietatis* ] Vet. liber, vitium facit ebrietatis.

t *In quem compellunt* ] Legitur in eodem, in quo conſeptant. & eſt Solinus is qui hujuſcemodi vocabula non reformidet.

v *Vertigo provecta eſt* ] Lib. vetus habet, pervenerit diſciplinæ.

x *Quædam rudunt* ] Sic vet. lib. Vulgo rugiunt habetur.

y *Secundum poſt conditorem inter memorabilia*

*locum*

*locum ſecutus eſt* ] Brevius vet. lib. & magis ex more Solini, Alterum à conditore in memoria locum detinet.

z *Fallacibus vadis* ] Vet. lib. undis.

a* *Poſidonio* ] Vet. lib. Poſtideo. Pintianus etiam teſtatur, in duobus apographis Plinianis ſic legi.

b* *Celſitudinem* ] M. ſ. excelſitatem.

c* *Promoveamus* ] Idem, provehamus.

## CAP. XXXVI.

### *De Arabia, & in ea thure & myrrha. De Phœnice ac Cinnamolgo avibus, deque Arabum moribus. De lapidum precioſorum generibus.*

VLtra Peluſiacum oſtium Arabi eſt, ad Rubrum pertingens mare, quod Erythræum ab Erythro rege, Perſei & Andromedæ filio, non ſolum à colore appellatum Varro dicit: qui affirmat in litore maris iſtius fontem eſſe, quem ſi oves biberint, mutent vellerum qualitatem, & antea candidæ amittant quod fuerant, uſque ad hauſtum, ac furvo poſtmodum nigreſcant colore. Rubri autem maris Arſinoë oppidum eſt. Verum hæc Arabia procedit aduſque illam odoriferam & divitem terram, quam Catabanes & Scenitæ tenent, Arabes nobiles monte Caſio: qui Scenitæ cauſſas nominis inde

 ducunt,

ducunt, quod tentoriis ſuccedunt, nec a-
lias domos habent. ipſa autem tentoria
cilicina ſunt : ita nuncupant velamenta è
caprarum pilis texta. Præterea carnibus
ſuillis prorſus abſtinent. ſanè hoc anima-
lis genus, ſi invectum illò fuerit, mori-
tur ilico. Hanc Arabiam Græci Εὐδαίμονα,
noſtri Beatam nominaverunt. Habitatur
colle manu facto inter flumen Tigrin &
flumen Eulæum : quod ortum à Medis,
tam puro fluore inclytum eſt ut inde o-
mnes reges non alias quam ejus aquas bi-
bant. Εὐδαίμονα non fruſtra cognomina-
tam hinc capeſſas, quod præter odores,
quos creat plurimos, ſola thus mittit : nec
tamen univerſa. nam in medio ejus ſunt
Atramitæ, pagus Sabæorum, à quo octo
manſionibus regio thurifera diſtermina-
tur. Arabia appellata eſt, id eſt ſacra. hoc
enim ſignificari interpretantur. Virgulta
hæc non ſunt publica, ſed (quod inter bar-
baros novum) in jus poſterorum per ſuc-
ceſſiones tranſeunt familiarum. ergo qui-
cumq; dominatum iſtius tenent nemoris,
Arabicè ſacri vocantur. Iidem illi cum lu-
cos iſtos vel metunt vel incîdunt, non fu-
neribus interſunt, nō congreſſionibus fœ-
minarum polluuntur. Hanc arborem prius
quam penitus fides proderet, alii lentiſco,
a alii mage terebintho comparabant : uſ-
quedum

quedum libris, quos Iuba rex ſcripſit ad Cæſarem Auguſti filium, palam fieret, intorto eam eſſe vimine, ramis ad aceris qualitatem, amygdalæ modo ſuccum fundere, incîdi ortu Canis flagrantiſſimis ſolibus. In iiſdem ſaltibus myrrha provenit: cujus radices ut vitium raſtris proficiunt, ablaqueationibus gaudent. nudatæ, pinguiore fluunt lacryma. ſponte manans pretioſior ex ea ſudor eſt: elicitus corticis vulnere, vilior judicatur. *b* Codex in vertiginem flexus, & ſpinis hiſpidus: folium licet criſpius, olivæ tamen ſimile. Maxima altitudo extollitur ad quinque cubita proceritatis. Arabes ſarmentis ejus ignes fovent: quorum fumo ſatis noxio, niſi odore cremati ſtoracis occurrant, plerumq; inſanabiles morbos contrahunt. Apud eoſdem naſcitur avis Phœnix, aquilæ magnitudine, capite honorato, in conum plumis extantibus, criſtatis faucibus, circa collum fulgore aureo, poſtera parte purpureus, abſq; cauda, in qua roſeis pennis cæruleus interſcribitur nitor. Probatum eſt *c* quadraginta & quingentis eum durare annis. Rogos ſuos ſtruit Cinnamis, quos prope Panchaiam concinnat, in Solis urbem ſtrue altaribus ſuperpoſita. Cum hujus vita magni anni fieri converſionem, *d* rata fides eſt inter auctores: quamvis plurimi

eorum magnum annum non e quingentis & quadraginta, ſed duodecim millibus noningentis quinquagintaquatuor annis conſtare dicant. Quinctio itaque Plautio, & Sexto Papinio, conſulibus, Ægyptum Phœnix involavit, captuſque anno octingenteſimo urbis conditæ, juſſu Claudii principis in comitio publicatus eſt. quod geſtum, præter cenſuram quæ manet, actis etiam urbis continetur. Cinnamolgus perinde Arabiæ avis in excellentiſſimis lucis texit nidos è fruticibus cinnamorum: ad quos quoniam non eſt pervenire propter ramorum altitudinem & fragilitatem, accolæ illas congeries plumbatis petunt jaculis, dejectaſque pretiis vendunt amplioribus, quod hoc cinnamum magis quam aliud mercatores probent. Arabes longe lateque diffuſi, diverſis & moribus vivunt & cultibus. Plurimis crines intonſi, mitrata capita, redimitu pari, raſa in cutem barba. Commerciis ſtudent, *f* aliena non emunt, vendunt ſua: quippe & ſilvis & mari divites. Vmbræ quæ nobis dextræ ſunt, illis ſiniſtræ. Pars eorum, quibus aſper eſt victus, angues edunt, nulla [illis] vel animi vel corporis cura: ac propterea ὀφιοφάγοι nominantur. Ex iſtius litoris ſinu, Polycrati regi advecta Sardonyx gemma, prima in orbe

noſtro

noſtro luxuriæ excitavit facem. nec multum de ea diſſerendum puto, adeo Sardonyx in omnium venit notitiam. Superficies ejus probatur, ſi meracius rubeat: arguitur, ſi fuerit fæculentior, ſi medietas, circuitur limite candicante. Optima eſt, ſi nec colorem ſuum ſpargat in proximium, nec ipſe ex altero mutuetur. reliqua nigro finiuntur. quod ſi tranſluceat, vitio vertitur: ſi perſpicuitatem arceat, proficit ad decorem. Et Molochiten Arabs invenit, virentem craſſius quam Smaragdus, contra infantium pericula ingenita vi reſiſtentem. Invenit & Iridem in mari Rubro, ſicut cryſtallum ſexangulatam: quæ radiis icta ſolis, rutilo aëris repercuſſu, cæleſtis arcus ex ſeſe jacit ſpeciem. Androdamantem iidem legunt Arabes, nitoris argentei, lateribus æqualiter quadris: quem de Adamante nonnihil mutuatum putes. Datum illi nomen ex eo cenſent, quod animorum calentium mollit impetus, & tumentes refrænat iras. Pæderotem etiam Arabicum inde ſumimus. Arabica aſpectu eburnea eſt, radi abnuit. contra nervorũ moleſtias prodeſt habentibus. In Pæderote congruit quicquid eximium eſt, quadam decoris prærogativa: cryſtallinum lucet, rubet purpuram, in orarũ extimis corona crocea velut è liquido

renitente. Hac ſuavitate oculos adficit, viſum illicit, detinet intuentes: hac etiam gratia Indis placet. Hoc Arabiæ ſat eſt. [hinc] ad Peluſium repatriemus.

### IN CAP XXXVI.

a *Alii terebintho*] Vet. lib. mage, interſerit.

b *Cortex in vertiginem*] In vet. lib. ſincera lectio invenitur. nam continet codex pro cortex. cujus lectionis bonitatem Plinius docet, dum ſecutus Theophraſtum, myrrhæ caudicem durum & intortum attribuit.

c *Quadraginta & quingentis*] Vet. lib. quingentis & ſexaginta. certum eſt errorem ortum ex confuſione, XL, & LX. De Phœnicis ætate, quot capita, tot ſententiæ ſunt.

d *Rara fides eſt inter auctores*] Unus lib. ſcriptus, Rata fides eſt inter auctores.

e *Quingentis & quadraginta*] Rurſus vet. liber, & LX. Simile obſervavit hac ipſa de re in Plinio Ferdinan. Pintianus. Exemplar, inquit, Salmanticenſe D. LX, Toletanum, D. XL.

f *Aliena non emunt*] Vet. liber, Non appetunt. Quod paullò pôſt eſt, *Notitiam*, continetur in vet. lib. conſcientiam.

## CAP. XXXVII.

### *De Caſio monte. de Pompeii Magni ſepulcro. Deque Ioppe oppido.*

A Peluſio Caſius mons eſt, & delubrum Iovis Caſii, atque ita Oſtracinæ

cinæ locus Pompeii Magni ſepulcro inclytus. Idumæa inde incipit, palmis opima. Deinde Ioppe, oppidum antiquiſſimum orbe toto, utpote ante inundationem terrarum conditum. id oppidum ſaxum oſtentat, quod vinculorum Andromedæ veſtigia adhuc retinet. quam expoſitam belluæ non irritus rumor circumtulit. quippe oſſa monſtri illius M. Scaurus, inter alia miracula, in ædilitate ſua, Romæ publicavit. Annalibus nota res eſt. menſuræ quoque veracibus libris continentur: ſcilicet quod coſtarum longitudo exceſſerit pedes quadraginta, excelſitas, elephantis fuerit Indicis eminentior: porro verticuli ſpinæ ipſius, latitudine ſemipedem ſint ſupergreſſi.

## CAP. XXXVIII.

### *De Iudæa, in ea de fluminibus, & lacubus. De Balſamo. De Sodomo & Gomorrho. De Eſſænis gentibus.*

IVDÆA illuſtris eſt aquis: ſed natura non eadem aquarum omnium. Iordanis amnis eximiæ ſuavitatis, *a* Paniade fonte demiſſus, regiones præterfluit amœniſſimas: mox in Aſphaltiten lacum merſus, ſtagno corrumpitur. qui Aſphaltites gignit bitumen: animal non habet: nihil

in eo immergi poteſt: tauri etiam camelique impune ibi fluitant. Eſt & lacus Geneſara, extenſus paſſuum ſedecim millibus, *b* circumſeptus urbibus plurimis & celebribus, ipſe par optimis. Sed lacus Tiberiadis his omnibus anteponitur, ſalubris ingenuo hauſtu, & ad ſanitatem uſu efficaci. Iudææ caput fuit Hieroſolyma, ſed exciſa eſt. Succeſſit Hiericus: & hæc deſiit [*c* caput eſſe,] Artaxerxis bello ſubacta. Callirhoe Hieroſolymis proximus fons, calore medico probatiſſimus, & ex ipſo aquarum præconio ſic vocatus eſt. In hac terra [tantum] Balſamum naſcitur, quæ ſilva intra terminos viginti jugerum uſque ad victoriam noſtram fuit. at cum Iudæa potiti ſumus, ita luci illi propagati ſunt, ut jam nobis latiſſimi colles ſudent balſama. Similes vitibus ſtirpes habent, malleolis digeruntur: *d* raſtris niteſcunt, aquis gaudent, amant amputari, tenacibus foliis ſempiterno inumbrantur. Lignum caudicis attrectatum ferro, ſine mora emoritur: ea propter aut vitro, aut cultellulis oſſeis, ſed in ſolo cortice, artifici plaga vulneratur: è qua eximiæ ſuavitatis gutta manat. Poſt lacrymam ſecundum in pretiis locum poma obtinent, cortex tertium, ultimus honos ligno. Longo ab Hieroſolymis receſſu triſtis ſinus panditur,

tur, quem de cælo tactum teſtatur humus nigra, & in cinerem ſoluta. Duo ibi oppida, *e* Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrhum. apud quæ pomum gignitur, quod habeat ſpeciem licet maturitatis, mandi tamen non poteſt. Nam fuliginem intrinſecus favillaceam ambitio tantum extimæ cutis cohibet: quæ [vel] levi tactu preſſa, fumum exhalat, & fathiſcit in vagum pulverem. Interiora Iudææ quæ occidentem contuentur, Eſſæni tenent, qui præditi memorabili diſciplina, receſſerunt à ritu gentium univerſarum, majeſtatis (ut reor) providentia ad hunc morem deſtinati. Nullæ ibi fœminæ. Venere ſe penitus abdicarunt. pecuniam neſciunt. palmis victitant. nemo ibi naſcitur, nec tamen deficit hominum multitudo. locus ipſe addictus pudicitiæ eſt: ad quem plurimi licet undique gentium properent, nullus admittitur, *f* niſi quem caſtitatis fides & innocentiæ meritum proſequatur. Nam qui reus eſt vel levis culpæ, quamvis ſumma ope adipiſci ingreſſum velit, divinitus ſummovetur. ita per immenſum ſpatiũ ſæculorum (incredibile dictu) æterna gens eſt, ceſſantibus puerperiis. *g* Engadda oppidum infra Eſſænos fuit, ſed exciſum eſt: verum inclytis nemoribus adhuc durat decus: luciſque pal-

marum eminentiſſimis, nihil vel ævo vel bello derogatum. Iudææ terminus Maſſada caſtellum.

## IN CAP. XXXVIII.

a *Peneade*] Vet. lib. Panniade, ſed abundat uno n. Stephani epit. ἔστι δὲ καὶ Πάνιον σπήλαιον Παλαιστίνης, ἀφ᾽ οὗ ἐκρεῖ ὁ ποταμὸς Ἰορδάνης. cujus auctoritatem qui contemnet, diſcat idem tradi ab Egeſippo, graviſſimo Iudaicarum rerum ſcriptore, lib. 1, De excidio urbis Hieroſolymitanæ.

b *Circumſeptus*] M. ſ. Circumſeſſus.

c *Caput eſſe*]. Ex m. ſ. lubens hoc tanquam gloſſam rejicerem.

d *Raſtris aratoriis niteſcunt*] Ita vet. lib. excuſi vero non habent aratoriis: neque Plinius vocem illam agnoſcit: neque arbitror Catonis ſcirpiculas falces indicari.

e *Sodomum nominatum alterum*] Vet. lib. unum Sodomum nominatum.

f *Niſi quem*] Vox, quem, perperam à quibuſdam libris abeſt. Philo Iudæus, in lib. Περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον, non commemorat eadem quæ noſter: verum tantum horum ſodalitia peregrinis etiam patere, dummodo ſuo more vivant.

g *Engadda*] Vet. lib. dicitur Engaddi, Ptolem. Ἔνγαδα.

CAP.

Digitized by Google

## CAP. XXXIX.

## *De Scythopoli oppido, & monte Caſio.*

TRANSEO DAMASCVM, Philadelphiam, Raphanam. Scythopolis primos incolas & auctorem dabo. Liber pater cum humo nutricem tradidiſſet, condidit hoc oppidum, ut ſepulturæ titulum etiam urbis mœnibus ampliaret. Incolæ deerant: è comitibus ſuis Scythas delegit, quos ut animo firmaret ad promptam reſiſtendi violentiam, præmium loci nomen dedit. In Seleucia alter Caſius mons eſt Antiochiæ propinquus: cujus è vertice vigilia adhuc quarta conſpicitur globus ſolis, & brevi corporis circumactu, radiis caliginem diſſipantibus, illinc nox, hinc dies cernitur. Talis è Caſio ſpecula eſt ut lucem prius videas quam auſpicetur dies.

## CAP. XL.

## *De Euphrate & Tigride fluminibus, deque variis gemmarum generibus.*

EVPHRATEN major fundit Armenia, ortum ſupra Zimaram, ſub radicibus montis quem Capoten accolæ nominant, Scythis proximum. Hic receptis in ſe aliquot amnibus convaleſcit: & ſtipatus convenis aquis, luctatur cum Tauri montis

tis objectu, quem apud *a* Eligeam ſcindit, reſiſtat licet XII. M. paſſuum latitudine: longiſque excurſibus, dextra Comagenem, Arabiam læva relinquit. deinde prælabens plurimas gentes, Babyloniam quondam Chaldæorum caput, dividit. Meſopotamiam opimat annuæ inundationis exceſſibus adinſtar Ægyptii amnis *b* terris ſuperfuſus, invecta ſoli fœcunditate. Iiſdem ferme temporibus, quibus Nilus, exit, ſole ſcilicet in parte Cancri viceſima conſtituto. Tenuatur cum jam Leone decurſo, ad extima Virginis curricula facit tranſitum. quod Gnomonici ſimilibus parallelis accidere contendunt, quos pares & cæli & terrarum poſitione æqualitas facit normalis lineæ. Vnde apparet iſta duo flumina, ad modulum ejuſdem perpendiculi conſtituta, licet è diverſis manent plagis, eaſdem incrementi cauſſas habere. De Tigride quoque hoc loco dicere par eſt. In Armeniæ majoris regione caput tollit, mire quam lucido conſpicuoque fonte, in loco haut edito, qui Elongoſine nominatur. nec [tamen] ab exordio ſtatim notus eſt. Primum pigre fluit, non cum ſuo nomine: at cum fines Medorum invectus eſt, Tigris dicitur. ita enim Medi nominant ſagittam. Influit in *c* Arethiſſam lacum, omnia pondera

dera ſuſtinentem : cujus piſces numquam ſe alveo Tigridis immiſcent , ſicut nec amnici piſces in ſtagnum tranſeunt Arethiſſæ, per quem diſſimilis colore & volucri meat curſu. Mox Tauro reſiſtente in profundum ſpecum mergitur : quem ſubterlabens, in altero ejus latere apud Zoroandam emicat, ulvas & purgamenta plurima ſecum trahens: deinde identidem abſconditur, rurſuſque redditur. Adiabenos Arabaſque præterfluit : Meſopotamiam amplectitur : amnem nobiliſſimum Choaſpem accipit : Euphratem defert in ſinum Perſicum. Quæcumque Euphratem bibunt gentes, diverſo nitent lapide. Zmilaces in ipſo Euphratis alveo legitur, gemma ad imaginem marmoris Proconneſii : niſi quod in medio *d* umbilico lapidis iſtius glaucum, velut oculi pupilla, interniteт. Sagda à Chaldæis ad nos uſque profluit; haut facilis repertu, niſi (ut perhibent) ipſa capeſſendam ſe daret. namque ingenita ſpiritus efficacia ſupermeantes naves è profundo petit, & carinis ita tenaciter adcorporatur, ut, niſi abraſa parte ligni, ægre ſeparetur. Ea Sagda apud Chaldæos, propter effectus quos ex ea ſciunt, habetur loco principe : ceteris propter gratiam magis placet, jucundiſſime virens. Myrrhites Parthis familiaris eſt.
hunc

hunc ſi viſu æſtimes, myrrhæ color eſt, & non habet quod afficiat *e* aſpectum : ſi penitus explores, & attritu incites ad calorem, ſpirat nardi ſuavitatem. In Perſide lapidum tanta copia eſt, tantaque diverſitas, ut longum pene ſit ipſis vocabulis immorari. Mithridax, ſole percuſſa, coloribus micat variis. *f* Tecolithos nucleo olivæ ſimilis, ſpernitur cum videtur, ſed remediis bonus, vincit aliorum pulcritudinem. ſolutus quippe & hauſtus, pulſis calculis, renum dolores ac veſicæ levat. Ammochryſos, arenis auro intermixtis, nunc bractearum nunc pulveris habet quadrulas. Aëtites, & fulvus eſt, & tereti poſitione, alterum lapidem intrinſecus cohibens : cujus crepitu ſonorus eſt, cum movetur : quamlibet tinnitum illum, non internum ſcrupulum facere, ſed ſpiritum, ſcientiſſimi dicant. hunc Aëtitem Zoroaſtres præfert omnibus, maximamque illi tribuit poteſtatem. Invenitur aut in nidis aquilæ, aut in litoribus Oceani : in Perſide tamen plurimus. *g* Subnexus ſpem uteri defendit à fluxibus abortivis. Pyrrhites fulvus eſt, tenerique ſe vehementius non permittit : ac ſiquando artiore manu premitur, digitos adurit. Chalazias grandinis & candorem præfert & figuram, duritia robuſtiſſima & invicta. Echites vipe-

reas

reas habet maculas. Dionyſias fuſcus eſt, rubentibus notis ſparſus. idem ſi aquæ mixtus conteratur, vinum fragrat, &, quod in illo odore mirificum eſt, ebrietati reſiſtit. Gloſſopetra deficientibus lunis cælo cadit, linguæ ſimilis humanæ, non modicæ (ut magi ferunt) poteſtatis, qui ex ea lunares motus excitari putant. Solis gemma percandida eſt ad ſpeciem fulgidi ſyderis, rutiloſque ex ſeſe jacit radios. Veneris crinis nitet nigro, internis ductibus oſtentans ruforum crinium ſimilitudinem. Selenites tranſlucet fulgore candido melleoque, continens lunæ imaginem: quem, juxta curſum aſtri ipſius, perhibent diebus ſingulis vel minui vel augeri. Meconites papavera exprimit. Myrmecites reptantis formicæ effigie notatur. Chalcophthongos reſonat ut pulſata æra: pudice habitus, ſervat vocis claritatem. Siderites à contemplatione ferri nihil diſſonat, verum maleficus, quoquo inferatur, diſcordias excitat. Phlogites oſtentat intra ſe quaſi flammas æſtuantes. Anthracias coruſcat velut ſcintillantibus ſtellis. Enydros exudat, ut clauſam in eo putes fontanam ſcaturiginem.

## IN CAP. XL.

a *Eligeam* ] Elegeam, vet cod. elegiam, Plinius.
b *Terris ſuperfuſus* ] In vet. lib. habetur, terras contegens.

c *Arethuſam*] Plinius, Arethiſſam. vet. lib. Arethiſam.

d *Vmbilico*] Vet. lib. umbunculo. Idem, pro *Ad nos uſque profluit*, habet Ad nos fluxit.

e *Aſpectum*] Non eſt hoc in lib. antiquo.

f *Tecolithos*] Vet. lib. Tegolitus, male: idque Albertum fefellit, qui cum vitioſo, ut apparet, exemplari ſit uſus, totiens tam acerbe à Camerte perſtringi non debebat.

g *Subnexus ſpem uteri defendit à ſtuctibus abortivis*] In vet. lib. hæc minime continentur.

## CAP. XLI.

### *De Cilicia, & antro corycio. Deque monte Tauro.*

CILICIAM, de qua agitur, ſi ut nunc eſt loquamur, derogaſſe videbimur fidei vetuſtatis: ſi terminos ſequimur quos habuit olim, abſonum eſt à contemplatione rerum præſentium. Ergo inter utramque culpam factu optimum eſt, amborum temporum ſtatum perſequi. Cilicia antea uſque ad Peluſium Ægypti pertinebat, Lydiis, Medis, Armeniis, Pamphylia, Cappadocia, ſub imperio Cilicum conſtitutis: mox ab Aſſyriis ſubacta, in breviorem modum ſcripta eſt. Plurima jacet campo, *a* ſinu lato recipiens Iſſicum mare, à tergo montium Tauri & Amani jugis clauſa. A Cilice nomen trahit, quem ætas

Digitized by Google

ætas priſtina penè ultra ævum memoriæ abſcondit. Hunc ajunt Phœnice ortum, qui antiquior Iove de primis terræ alumnis habetur. Matrem urbium habet Tarſon : quam Danaës proles nobiliſſima Perſeus locavit. Hanc urbem interſecat Cydnus amnis. hunc Cydnum alii præcipitari Tauro, alii derivari ex alveo Choaſpis tradiderunt. qui Choaſpes ita dulcis eſt, ut Perſici reges, quamdiu intra ripas Perſidis fluit, ſolis ſibi ex eo pocula vendicarint, & cum eundum foret peregre, aquas ejus ſecum vectitarint. Ex illo parente Cydnus miram trahit ſuavitatem. Quicquid candidum eſt, Cydnum gentili lingua Syri dicunt : unde amni huic nomen datum. Tumet vere cum nives ſolvuntur, reliqua [parte] anni tenuis eſt & quietus. Circa Corycum Ciliciæ crocum plurimum optimumq;:det licet Sicilia, det Cyrena, det & Lycia, hoc primum eſt: ſpirat fragrantius, colore plus aureo eſt: ſucci ope citius proficit ad medelam. Ibi Corycus oppidum eſt, & ſpecus qui montem impoſitum mari à ſummo cavat vertice, patulus hiatu ampliſſimo. nam dejectis lateribus in terræ profundum, nemoroſo orbe amplectitur mediam inanitatem : virens introrſus, lucis pendentibus. Deſcenſus in eum per duo millia & quingenta

paſſus,

paſſus, non ſine largo die, hinc inde fontium aſſidua ſcaturigine. ubi perventum ad ima primi ſinus, alter rurſus ſpecus panditur. quod antrum latis primum patet faucibus, poſtmodum in proceſſu per anguſtias obſcuratur. In eo ſacrum eſt Iovis fanum, in cujus receſſu intimo Typhonis gigantis cubile poſitum *b* accolæ credunt. *c* Soloë antiquum oppidum Ciliciæ fuit, patria Chryſippi Stoicæ ſapientiæ potentiſſimi: quod à Tigrane Armenio ſubactum, *d* & diu poſt, Pompeiopolim, devictis Cilicibus, Cn. Magnus cognominavit. Mons Taurus ab Indico primum mari ſurgit: deinde à ſcopulis Chelidoniis, inter Ægyptium & Pamphylium pelagus, objectus ſeptentrioni dextro latere, lævo meridianæ plagæ, occidenti obverſus fronte profuſa. Palam eſt terras eum continuare voluiſſe penetrato mari, niſi profundis reſiſtentibus *e* oſtendere radices ſuas vetaretur. *f* Denique qui periclitantur naturas locorum, tentaſſe eum omnes exitus promontoriis experiuntur. probant enim quod quoquoverſum mari alluitur, procedit in prominentias: ſed modo intercluditur Phœnicio, modo Pontico ſinu, interdum Caſpio vel Hyrcano: quibus renitentibus ſubinde fractus, contra Mæoticum lacum flectitur: multiſque

tiſque difficultatibus fatigatus, Rhiphæis ſe jugis annectit, pro gentium ac linguarum varietate plurifariam nominatus. apud Indos Imaus, mox Paropamiſus, Choatras apud Parthos, poſt Niphates, inde Taurus: *g* atque, ubi in excelſiſſimam conſurgit ſublimitatem, Caucaſus. Interea etiam à populis appellationem trahit. à dextro latere Caſpius dicitur, vel Hyrcanus, à lævo Amaſonicus, Moſchicus, Scythicus. ad hæc vocabula habet alia multa. Vbi dehiſcit hiulcis jugis, facit portas, quarum primæ ſunt Armeniæ, tum Caſpiæ, poſt Ciliciæ. In Græciam verticem exerit, ubi Ceraunius prædicatur. à Ciliciæ finibus *h* Aſiaticum limitem diſpeſcit. *i* quantum meridiem videt, ſole inæſtuat: quicquid ſeptentrioni oppoſitum eſt, vento tunditur & pruina. *k* quod ſilveſtre eſt, efferatur plurimis beſtiis & leonibus immaniſſimis.

## IN CAP. XLI.

a *Sinu lato recipiens*] Vet. cod. habent, ſimul recipiens.

b *Accolæ credunt*] Vet. lib. Qui volunt credunt, Sed unde tanta diverſitas? an quia in quibuſdam libris fuerit, qui colunt?

c *Soloë*] Ita Plinius & Stephanus. Strabo etiam, magnus auctor, lib. XIV. cum ſcripſiſſet, μετὰ τὸ

Λάτμον

Λάλμγ Σόλοι, πόλις ἀξιόλογος, paulo inferius ſubjungit, γεγόνασι δ' ἄνδρες ἐνθάδε τῶν ὀνομαςῶν, Χρύσιππός τε ὁ Στωϊκὸς φιλόσοφος, πατρὸς ὢν Ταρσέως ἐκεῖθεν μετῳκηκότος, καὶ Φιλήμων, &c.

d *Et diu poſt*] Vet. codex habet, diu ſolum: atque ita credo Solinum ſcripſiſſe. Solum autem, hoc eſt deſolatum. nam Strabo hominibus exhauſtum fuiſſe teſtatur. De eadem enim ſunt hæc, ἣς ταύτην λειπανδρήσασαν Πομπήϊος Μάγνος κατῴκισε τοὺς περιγενομένους τῶν πειρατῶν, οὓς μάλιστα ἔγνω σωτηρίας καὶ προνοίας τινὸς ἀξίους καὶ μετωνόμασε Πομπηϊούπολιν.

e *Extendere radices*] Oſtendere eſt in vet. lib. Senſus eſt, Taurum radices ſuas in mare extendiſſe: ſed propter nimiam fluctuum copiam & altitudinem, eruere illas atque in lucem proferre non poſſe.

f *Denique qui ratiocinantur de naturis locorum, tentaſſe eum omnes exitus, promontoriis probant. Nam quoquoverſum mari alluitur, procedit*, &c.] Antiquus codex Iuſti Lipſii, viri humaniſſimi doctiſſimique, aliam lectionem offert, hanc: Denique qui periclitantur naturas locorum, tentaſſe illum omnes exitus promontoriis experiuntur. Probant enim quod quoquoverſum mari abluitur, procedit, *&c.* Quam ceteri libri ſcripti, licet mendoſi ſint, ſatis tamen ut eam amplectamur, confirmant.

g *Atque ubi in excelſiſſimam conſurgit ſublimitatem*] Hoc ex veteri libro repoſui.

h *Africum limitem deſpicit*] Membranæ, Aſiaticum limitem diſpeſcit. quibus aſſentior.

i *Quan-*

Digitized by Google

i *Quantum meridiem videt, ſole inæſtuat*] Vet. lib. Quantus meridie videtur, ſolem dividit in æſtu: verum nihil muto.

k *Quod ſilveſtre eſt efferdtur plurimis beſtiis*] Quo ſilveſtris eſt, efferatur multis beſtiis, habet vet. cod.

## CAP. XLII.

### *De Lycia, & Chimæræ monſtri fabula.*

QVod in Campania Veſuvius, in Sicilia Ætna, hoc in Lycia mons Chimæra eſt. Hic mons nocturnis æſtibus fumidum exhalat. unde fabula triformis monſtri in vulgum data eſt, quod Chimæram animal putaverunt. Et quoniam natura ibidem ſubeſt ignea, Vulcano urbem proximam Lycii dicarunt, quam de vocabulo ſui nominis, Hephæſtiam vocant. Olympus quoque, inter alia ibi oppidum fuit nobile, ſed intercidit: nunc caſtellum eſt, infra quod aquæ regiæ ob inſigne fluoris ſpectaculo ſunt viſentibus.

CAP.

# CAP. XLIII.

## *De Aſia minori. De Epheſiæ Dianæ templo. De Alexandri Magni ortu. De inclytis Aſiæ ſcriptoribus. De Phrygia. De Bonaſo quadrupede. De Homeri & Heſiodi temporibus. De Memnoniis avibus. De Chamæleonte fera. De Ciconiis. Deque Galatarum origine.*

SEquitur Aſia: ſed non eam Aſiam loquor quæ in tertio orbis divortio terminos amnes habet, ab Ægyptio mari Nilum, à Mæotico lacu Tanaim: verum eam quæ à Telmeſſo Lyciæ incipit, unde etiam Carpathius auſpicatur ſinus. Eam igitur Aſiam ab oriente Lycia includit & Phrygia, ab occidente, Ægæa litora, à meridie, mare Ægyptium, Paphlagonia, à ſeptentrione. Epheſus in ea urbs clariſſima eſt. Epheſo decus templum Dianæ, Amazonum fabrica adeo magnificum ut Xerxes cum omnia Aſiatica templa igni daret, huic uni pepercerit: ſed hæc Xerxis clementia ſacras ædes non diu à malo vindicavit. namque Heroſtratus, ut nomen memoria ſceleris extenderet, incendium nobilis fabricæ manu ſua ſtruxit: ſicut ipſe faſſus eſt, voto adipiſcendæ famæ

**famæ latioris. Notatur ergo** *a* **eadem die** conflagraviſſe templum Epheſi qua Alexander Magnus Pellæ natus eſt, qui oritur (ut Nepos edidit) Marco Fabio Ambuſto, T. Quinctio Capitolino, conſulibus, poſt Romam conditā anno trecenteſimo nonageſimonono. Id templum cum poſtmodum ad cultum auguſtiorem Epheſii reformarent, faber operi Dinocrates præfuit: quem Dinocratem Alexand. juſſu Alexandriam jam in Ægypto metatum, ſupra expoſuimus. Nuſquam autē toto orbe tam aſſiduos terræ motus, & tam crebras urbium demerſiones, quam in Aſia eſſe, cladibus Aſiaticis patuit, cum, Tyberio principe, urbes duodecim ſimul una ruina ceciderint. Ingenia Aſiatica inclyta per gentes fuêre. poetæ, Anacreon, inde Mimnermus & Antimachus, deinde Hipponax, deinde Alcæus: inter quos etiam Sappho mulier. at hiſtoriæ conditores, Xanthus, Hecatæus, Herodotus: cum quibus Ephorus & Theopompus. nam de ſeptem ſapientia præditis, Bias, Thales, Pittacus, Cleanthes Stoicæ ſectæ eminentiſſimus, Anaxagoras *b* naturæ indagator: Heraclitus etiam ſubtilioris doctrinæ arcanis immoratus. Aſiam excipit Phrygia, in qua Celænæ, quæ antiquato priore nomine in Apamæam tranſiêre, oppidum à

rege Seleuco poſtmodum conſtitutum. Illic Marſyas ortus, illic & ſepultus. unde qui proximat fluvius, Marſyas dicitur. Nam ſacrilegi certaminis factum, & audaces in deum tibias, teſtatur non procul [cum fonte] vallis, quæ eventum geſtæ rei ſignat, & ab Apamæa decem millibus paſſuum ſeparata, Aulocrene uſque adhuc dicitur. Ex arce hujuſce oppidi Mæander amnis caput tollit, qui recurrentibus ripis flexuoſus inter Cariam & Ioniam præcipitatur in ſinum qui Miletum dividit & Prienem. Ipſa Phrygia Troadi ſuperjecta eſt, aquilonia parte Galatiæ collimitata, meridiana, Lycaoniæ, Piſidiæ Mygdoniæque contermina. eadem ab oriente vicina Lydiæ, à ſeptentrione, Myſiæ, Cariæ: à parte qua dies medius, mons Lydiæ Tmolus croco florentiſſimus: amnis Pactolus, quem aurato fluore inclytum, aliter *Χρυσοῤῥόαν* vocant. In his locis animal naſcitur quod *c* Bonaſum dicunt, cui taurinum caput, ac deinceps corpus omne: tantum juba equina: cornua autem ita multiplici flexu in ſe recurrentia, ut ſiquis in ea offendat, non vulneretur. ſed quicquid præſidii monſtro illi frons negat, alvus ſufficit. nam cum in fugam vertitur, proluvie citi ventris fimum egerit per longitudinem trium jugerum, cujus ardor quicquid

atti-

attigerit, amburit: ita egerie noxia ſummovet inſequentes. Miletos Ioniæ caput, Cadmi quondam domus, ſed ejus qui primus invenit proſæ orationis diſciplinam. Non longe Epheſo Colophon civitas, nobilis oraculo Clarii Apollinis. Vnde haut procul *d* Mimas mons ſurgit, cujus vertices de nubibus ſupervolantibus futuræ tempeſtatis ſignificant qualitatem. Caput Mæoniæ Sipylus excipit, Tantalis antea dicta, & in illam vocabuli memoriam, orbitatibus data Niobe. Smyrnam Melas circumfluit. inter flumina Aſiatica facile præcipuus amnis. Smyrnæos vero campos fluvius Hermus ſecat, qui ortus Dorylao Phrygiæ, Phrygiam ſcindit à Caria. hunc quoque Hermon fluctibus aureis æſtuaſſe antiquitas credidit. Smyrna, unde præcipuè nitet, Homero vati patria exſtitit: qui poſt Ilium captum anno ducenteſimo ſeptuageſimoſecundo humanis rebus exceſſit, Agrippa Silvio, Tiberini filio, Albæ regnante, anno ante urbem conditam centeſimo ſexageſimo. inter quem & Heſiodum poëtam, qui in auſpiciis Olympiadis primæ obiit, centum trigintaocto anni interfuerunt. In Rhetæo litore Athenienſes & Mitylenei ad tumulum ducis Theſſali, Achilleon oppidum condiderunt, quod propemodum interiit. Dein-

de interpoſitis quadraginta ferme ſtadiis, in altero cornu ejuſdem litoris, ob honorem Salaminii Ajacis, alterum oppidum, cui Æantio datum nomen, Rhodii exſtruxerunt. At juxta Ilium Memnonis ſtat ſepulcrum: ad quod ſempiterno ex Æthiopia catervatim aves advolant, quas Ilienſes Memnonias vocant. *e* Cremutius auctor eſt, has eaſdem anno quinto in Æthiopia catervatim coire, & undiqueverſum quouſquam gentium ſint, ad regiam Memnonis convenire. Mediterranea, quæ ſunt ſupra Troadis partem, Teutrania tenet regio, quæ prima Myſorum fuit patria. Perfunditur Teutrania Caico flumine. Per omnem Aſiam Chamæleon plurimus, animal quadrupes: facie qua lacertæ. niſi crura recta & longiora ventri jungerentur: prolixa cauda, eademque in vertiginem torta: hamati ungues ſubtili aduncitate: inceſſus piger, & ferè idem qui teſtudinum motus: corpus aſperum, cutis, qualem in Crocodilis deprehendimus: ſubducti oculi: & receſſu concavo introrſum recepti, quos numquam nictatione obnubit. viſum denique non circumlatis pupulis, ſed obtutu rigidi orbis intentat. hiatus ejus æternus, ac ſine ullius uſus miniſterio: quippe cum neque cibum capiat, neque potu alatur, nec ali-

mento

mento alio quam hauſtu aëris vivat. Color varius & in momento mutabilis, ita ut cuicunque rei ſe conjunxerit, concolor ei fiat. Colores duo ſunt quos fingere non valet, rubrus & candidus: cæteros facile mentitur. Corpus penè ſine carne, vitalia ſine liene: nec niſi in corculo pauxillum ſanguinis deprehenditur. Latet hyeme, producitur vere. Impetibilis eſt coraci, à quo cum interfectus eſt, victorem ſuum perimit interemptus. nam ſi vel modicum ales ex eo ederit, [illico] moritur: ſed corax habet præſidium ad medelam, natura manum porrigente. nam cum afflictum ſe intelligit, ſumta fronde laurea recuperat ſanitatem. Pythonis Come eſt in Aſia, locus in campis patentibus, ubi primo adventus ſui tempore ciconiæ advolant, & eam quæ ultima advenerit, lancinant univerſæ. Aves iſtas ferunt linguas non habere, verum ſonum quo crepitant, oris potius quam vocis eſſe. Eximia illis ineſt pietas. etenim quantum temporis impenderint fœtibus educandis, tantum & ipſæ à pullis ſuis invicem aluntur. ita enim impenſe nidos fovent ut incubitus aſſiduitate plumas exuant. Noceri eis, omnibus quidem locis nefas ducunt, ſed in Theſſalia vel maxime, ubi ſerpentium im-



Digitized by Google

manis copia eſt, quos dum eſcandi gratia inſectantur, regionibus Theſſalicis plurimum mali detrahunt. Galatiam primis ſæculis priſcæ Gallorum gentes occupaverunt, *f* Toliſtobogi, & Voturi, & *g* Ambiani: quæ vocabula adhuc permanent: quamvis Galatia unde dicta ſit, ipſo ſonat nomine.

### IN CAP. XLIII.

a *Eadem die conflagraviſſe templum Epheſi*, &c.] Camers præter vet. lib. auctoritatem putat legendum Eadem nocte, quod M. Tullius I, De divinatione, & II, De natura deorum, nocte Alexandrum genitum referat: quam emendationem ſine ullo famæ diſpendio potuit omiſiſſe. eſt enim ita ridicula ut eam ſi Craſſus legiſſet, idem fuerit facturus quod cum aſinum carduos depaſcentem vidit. Compulit autem virum bonum in hunc turpem errorem, ignoratio quid dies ſignificaret: cui quia audaciam adjunxit, quibus duobus libri maxime corrumpuntur, portenti ſimilia ſunt quæ adducit. De die Pedianus, cui M. Fabius Latinæ linguæ laudem & auctoritatem tribuit, in II. in Verrem oratione ſcripſit, Dies fœminino genere, tempus: & ideo diminutive diecula dicitur breve tempus & mora. Eſt igitur ſenſus, eodem tempore arſiſſe ædem Dianæ quo natus Alexander fuit. Ceterum non æque reprehendo ſequentem Camertis emendationem, qua pro trecenteſimo octuageſimoquinto reponit quadringenteſimo: quamvis graviſſimi ſcriptores, anno quadringenteſimo, non M. Fabium Ambuſtum & T. Quinctium Capitolinum, ſed C. Sulpicium Peticum & M. Va-

M. Valerium Poplicolam coſſ. edant: velintque M. Fabii & T. Quinctii conſulatum in annum trecenteſimum nonageſimumnonum referri. Non me fugit quid à nonnullis referatur: quorum dux Onuphrius ita ſcribit, Hoc etiam anno (quadringenteſimo videlicet) conſules ambo ex Livio patricii fuerunt, M. Fabius Ambuſtus, III, T. Quinctius: quamvis in quibuſdam annalibus, pro T. Quinctio M. Popillium conſulem ſe inveniſſe ſcribat. Hæc ille. ſed ea tam falſa ſunt quam quæ falſiſſima. Livius etenim libro VII, Quadringenteſimo, inquit, anno, quam urbs Romana condita erat, quinto & trigeſimo quam à Gallis recepta, ablato poſt undecimum à plebe conſulatu: patricii conſules ambo ex interregno magiſtratum inière, C. Sulpicius Peticus, III, M. Valerius Poplicola. Tamen Caſſiodorus à Livio diſſentit, quamvis Sigonius & Onuphrius eos conſentire teſtentur. Ne quis vero temere me hominum, quos merito facio maximi, fidem convellere & labefactare credat velle: age Caſſiodori traditionem perpendamus, qui cum poſt Camilli, Roma à Gallis recepta, triumphum, annis ſeptendecim tribunos mil. conſulari poteſtate fuiſſe, & iis propter inſolentiam remotis, poteſtatem conſulum tribunorumque per annos quatuor ceſſaſſe, deinde rurſus tribus annis per tribunos mil. adminiſtratam rempubl. tradidiſſet, ſequentes conſules, quo adſcripſi ordine, ſubjungit,

L. Sextius de plebe, & L. Æmilius Mamercus patricius.

L. Genucius, & Q. Servilius.

C. Sulpicius Peticus, & C. Licinius Stolo.

Cn. Genucius, & L Æmilius Mamercus, II.

Q. Servilius Ahala, & L. Genucius.

C. Sulpicius II, & C. Licinius.

C. Pætilius Balbus, & M. Fabius Ambuſtus

C. Popilius Lænas, & Cn. Manlius.

C. Plautius, & C. Fabius.

C. Marcius, & Cn. Manlius.

M. Fabius Ambuſtus, II, & M. Popillius Lænas, II.

C. Sulpicius Peticus, III, & M. Valerius Poplicola.

Itaque annis ſeptendecim, ſi adjectis quatuor tres præterea adjunxeris, vigintiquatuor annorum ſeriem habebis: his ſi horum conſulum anni duodecim adjungantur, triginta & ſex omnino annos effici quis non videt? At Livius quinto & triceſimo quam à Gallis urbs recepta fuit, anno C. Sulpicium Peticum III, & M. Valerium Poplicolam coſſ. recenſet. Errarunt ergo qui unius anni diſcrimen in Livii & Caſſiodori computatione non deprehenderunt. Nunc ad Solinum redeamus. Anno trecenteſimo octuageſimoquinto (quem hoc loco vulgati libri præferunt) non conſules ſed tribuni milit. conſulari poteſtate fuerunt. Errandi cauſſa negligenti librario fuit, opinor, quod cum anni trecenteſimi octuageſimiquarti ultimum tribunum, M Fabium Ambuſtum, ſequentis anni primo L. Quinctio Capitolino conjunxiſſet: inde novo quodam emendandi genere, anni CCCLXXXV. M. Fabium Ambuſtum & L. Quinctium Capitolinum, conſules effeciſſe: deinde animadverſo poſtmodum quod Ambuſti conſulis collega prænomen Titi habuiſſet, L. in T. commutatum: hoc eſt, ex Lucio Titum procreatum. Porro in libris ſcriptis omnia hæc, videlicet, Qui oritur (ut Nepos edit) M. Fabio Ambuſto, T. Quinctio Capitolino, conſulibus, poſt Romam conditam anno trecen-

trecenteſimo octuageſimoquinto, non habentur.

Idem ſtatim poſt, ubi vulgo legitur, *Id templum cum poſtmodum*, continet, Quod cum poſtmodum.

Quod deinde ſequitur, *Cleanthes Stoicæ eminentiſſimus*] ſcribe, Cleanthes Stoicæ ſectæ eminentiſſimus. Vocem neceſſariam Sectæ addidi. ex m. ſ. Cicero majorum gentium Stoicum vocat. frequens ejus apud Senecam majorem mentio. Soſitheus ait, Οὓς ὁ Κλεάνθης μωρία βοηλατεῖ.

b *Naturæ indigator*] Vet. lib. Judicator. forte Judex. cujus vocis altera illa, à barbaro quopiam aſſuta, interpretatio videtur.

Poſt aliquot lineas, *Cum fonte vallis*, vet. lib. Cum fonte, non habent.

c *Bonaſum*] Vet. lib. Bonacum. Ariſtoteli Βόνασος.

d *Minas*] Ex lib. vet. cap. XXIX. Plinii patet optime in m. ſ. legi, Mimas. Ait Silius lib. IV,

*Mixtus Athos Pindo, Rhodopeque adjuncta Mimanti.*

Et Lucanus lib. VIII,

*Immeritæque nemus Rhodopes, pinuſque Mimantis.*

Et Ovidius lib. II. Metamorphoſ.

*Et tandem nivibus Rhodope caritura, Mimaſque.*

Sequitur, *De nubibus:* alii, de nebulis, m. ſ. de nubilis. hinc apertum eſt cur Homerus Odyſſ. γ, vocet Μίμαντα ἠνεμόεντα.

e *Remutius*] M. ſ. Crumentius.

f *Oliſtobogi*] Vet. lib. Toliſtoboci. Appiano Τολιστόβοιοι, ut & Stephano. Eratoſtheni Γαλατ. primo, Τολιστωβόγιοι. Plinius cum Ptolomæo vulgatam lectionem confirmat.

g *Ambiani*] Plinio ſunt Ambitui vet. lib. Ambitoti. Stephanus meminit urbis Phrygiæ, cujus

incolæ vocati fuerint Ambaitæ. Ἄμβασον μητρόπολις τῶν Φρυγῶν. ὁ πολίτης, Ἀμβαΐτης: quo loco ſi Phrygia late accipiatur, ita ut etiam Galatiam comprehendat, poſſet videri Ambaitæ legendum. Profecto Galatiam olim, ante Gallorum adventum, Phrygiam dictam, apertiſſime è Cl. Claudiani lib. II in Eutropium probaretur. Ambiani quidem in Belgica Gallia ab Ammiano collocantur, & à Cæſare lib. I, cujus juſte auctoritas rejici non poteſt.

## CAP. XLIV.

### *De Bithynia, & Hylæ raptu. Deque Annibalis exitu ac ſepulcro.*

BITHYNIA in Ponti exordio ad partem ſolis orientis, adverſa Thraciæ, opulenta ac dives urbium, à fontibus Sangarii fluminis primos fines habet: ante Bebrycia dicta, deinde Mygdonia: mox à Bithyno rege, Bithynia. In ea Pruſiadem urbem *a* prætermeat Hylas flumen, & alluit Hylas lacus, in quo *b* reſediſſe credunt, delicias Herculis, Hylam puerum, Nymphis rapinam: in cujus memoriam uſque adhuc ſolemni curſitatione lacum populus circuit, & Hylam voce clamant. In Bithynio quoque agro Libyſſa locus Nicomediæ proximus, ſepulcro Annibalis famæ datus, qui poſt Carthaginienſe judicium, transfuga ad regem Antiochum deinde

deinde poſt Antiochi apud Thermopylas pugnam tam malam, fractumque regem fortunæ vicibus, in hoſpitium Pruſiæ devolutus, ne traderetur T. Quinctio, ob hanc cauſſam in Bithyniam miſſo, captivuſque Romam veniret, *c* veneni mali poculo animam expulit, [& ab Romanis ſe vinculis morte defendit.]

### IN CAP. XLIV.

a *Prætermeat Hylas flumen, & alluit Hylas lacus*] Vet. liber habet, Alluit Hylas flumen, & perſpergit Hylas lacus.

b *Reſediſſe credunt*] Antiquus codex, periiſſe, Quod probo. licet enim à Nymphis non interimendus Hylas, ſed hortulorum ſuorum culturæ præficiendus, raptus fuerit, Herculi tamen ſibique periit.

c *Veneni mali*] Hac de re illud Varronis περὶ ἐξαγωγῆς, à Nonio adducitur, Quærit ibidem ab Hannibale, cur biberit medicamentum. Quia Romanis, inquit, me Pruſias tradere volebat. Quod vero in Solino ſequitur, *& ab Romanis ſe vinculis morte defendit*, illud in veteri libro Lipſii non continetur.

## CAP. XLV.

## *De ora Pontica.*

In ora Pontica poſt Boſpori fauces, & Rhœſum amnem, potumque Calpas, *a* Sagaris [fluvius] ortus in Phrygia, dictuſque

ctuſque à pleriſque Coralius, exordium facit Mariandyni ſinus, in quo oppidum Heraclea, oppoſitum Lyco flumini: & Acone portus, qui proventu malorum graminum uſque eo celebris eſt, ut noxias herbas aconita illinc nominemus. Proximus inde Acheruſius ſpecus, quem foraminis cæci profundo aduſque inferna ajunt pertendere.

IN CAP. XLV.

a *Sangaris fluvius*] Emendetur ad vet. lib. & Martiani, & Higyni, in aſtronomico, & Vibii Sequeſtri, normam, Sagaris. Ovidius de Ponto,

*Huc Lycus, huc Sagaris, Peniuſque, Hypaniſque, Crateſque.*

Hic enim fluvius variis in locis varias appellationes ſortitur.

## CAP. XLVI.

## *De Paphlagonia, & Venetorum origine.*

PAPHLAGONIAM limes à tergo Galaticus amplectitur. Ea Paphlagonia Carambi promontorio ſpectat Tauricam, conſurgit Cytoro monte porrecto in ſpatium triûm & ſexaginta millium, inſignis loco Heneto: à quo (ut Cornelius Nepos perhibet) Paphlagones in Italiam tranſvecti, mox Veneti ſunt nominati. Plurimas in ea regione urbes Mileſii condide-

diderunt: Eupatoriam Mithradates: quæ ſubacta à Pompeio, Pompeiopolis eſt dicta.

## CAP. XLVII.

### *De Cappadocia, & in ea equorum natura.*

CAPPADOCIA, gentium univerſarum quæ Pontum accolunt, præcipue introrſus recedit. latere lævo utraſque Armenias, & Comagenem ſimul tranſit, dextro, plurimis Aſiæ populis circumfuſa. Attollitur ad Tauri juga, & ſolis ortum. Præterit Lycaoniam, Piſidiam, Ciliciam. Vadit ſuper tractum Syrię Antiochię, parte regionis alterius in Scythiam pertendens, ab Armenia majore diviſa Euphrate amne. quæ Armenia, unde Pariedri montes ſunt auſpicatur. Multæ in Cappadocia urbes inclytæ. Verum ut ab aliis referamus pedem, coloniam Archelaidem, quam deduxit Claudius Cæſar, Halys præterfluit. Neocæſaream fluvius Lycus alluit. Melitam Semiramis condidit. Mazacham, ſub Argæo ſitam, Cappadoces *a* matrem urbium nominant. qui Argæus nivalibus jugis arduus, ne æſtivo quidem torrente pruinis caret: quemque indigenæ populi habitari deo credunt. Terra illa ante alias altrix

altrix equorum, & proventui equino accommodatiſſima eſt: quorum hoc in loco ingenium reor perſequendum Nam *b* equis ineſſe judicium, documentis plurimis patefactum [eſt] cum jam aliquot inventi ſint qui non niſi primos dominos recognoſcerent, obliti manſuetudinis, ſiquando mutaſſent conſueta ſervitia. Inimicos partis ſuæ norunt, adeo ut inter prælia hoſtes morſu petant. Sed illud majus eſt, quod rectoribus perditis quos diligebant, accerſunt fame mortem. Verum hi mores in genere equorum præſtantiſſimo reperiuntur. nam qui infra nobilitatem ſunt ſati, nulla documenta ſui præbuerunt. Sed ne quid videamur dicendi licentia contra fidem arrogaſſe, exemplum frequens dabimus. Alexandri Magni equus, Bucephalus dictus, ſive de aſpectus torvitate, ſeu ab inſigni, quod taurinum caput armo inuſtum ferebat, vel quod è fronte ejus quædam exſtantium corniculorum minæ protuberabant, cum ab equario ſuo aliâs etiam molliter ſederetur, accepto regio ſtratu, neminem unquam alium præter dominum vehere dignatus eſt. Documenta ejus in præliis plurima ſunt, quibus Alexandrum è duriſſimis certaminibus ſoſpitem opera ſua extulit: quo merito effectum eſt ut defuncto in India

ex equias

exequias rex duceret, & ſupremis ſepulcrum daret: urbem etiam conderet, quam in nominis memoriam Bucephalam nominavit. Equus C. Cæſaris nullum præter Cæſarem dorſo recepit: cujus primores pedes facie veſtigii humani tradunt fuiſſe, ſicut ante Veneris genetricis *c* ſimulacrum eadem hac effigie locatus eſt. Regem Scytharum cum ſingulari certamine interemtum adverſarius victor ſpoliare vellet, ab equo ejus calcibus morſuque lancinatus eſt. Agrigentina etiam regio frequens eſt equorum ſepulcris *d* quod ſupremorum munus meritis datum creditur. Voluptatem his ineſſe Circi ſpectacula prodiderunt. quidam enim equorum, cantibus tibiarum, quidam ſaltationibus, quidam colorum varietate, nonnulli etiam accenſis facibus ad curſus provocantur. Affectum equinum lacrymæ probant. Denique interfecto Nicomede rege, equus ejus inedia vitam expulit. Cum prælio Antiochus Galatas ſubegiſſet, Centaretrii nomine ducis qui in acie ceciderat, equum ovaturus inſiluit: iſque adeo ſprevit lupatos ut deinduſtria curvatus, ruina & ſe & equitem pariter affligeret. Ingenia equorum & Claudii [Cæſaris] Circenſes probarunt: *e* cum effuſo rectore quadrigæ curſus æmulos non minus aſtu quam velocitate præver-

Digitized by Google

præverterent, & poſt decurſa legitima ſpatia, ad locum palmæ ſponte conſiſterent, velut victoriæ præmium poſtularent. Excuſſo quoque auriga, quem Ratumenam nominabant, relicto certamine ad Capitolium quadriga proſiluit, nec antè ſubſtitit, [*f* quamlibet obviis occurſibus impedita,] quam Tarpejum Iovem trina dextratione luſtraſſet. In hujuſce animalis genere ætas longior maribus. legimus ſane equum ad annos ſeptuaginta vixiſſe. Iam illud non venit in ambiguum, quod in annum tertium & triceſimum generant, utpote qui etiam poſt viceſimum mittantur ad ſobolem reficiendam. *g* Notatum etiam advertimus, Opunte equum ad gregariam venerem duraſſe in annos quadraginta. Equarum libido extinguitur jubis tonſis: in quarum partu amoris naſcitur veneficium, quod in frontibus præferunt recens editi, *h* furvo colore, caricis ſimile, ἱππομανὲς nominatum: quod ſi præreptum ſtatim fuerit, nequaquam mater pullo ubera præbet *i* ſellicanda. Quo quis acrior fuerit ſpeique majoris, eo profundius nares merſitat in bibendo. Mas ad bella numquam producitur apud Scythas, eo quod fœminæ *k* exonerare veſicas etiam in fuga poſſint. Edunt equæ ex ventis conceptos: ſed hi numquam ultra triennium ævum trahunt.

IN

## IN CAP. XLVII.

a *Matrem urbium numerant*] Vera lectio & m. ſ. eſt, nominant. Martianus lib. VI, Mazaca quam dicunt matrem urbium.

b *Equis ineſſe judicium*] Vet. lib. Equis ineſſe diſcretionem & judicum.

c *Simulacrum*] Aliâs ædem: quod Plinius confirmat. vet. tamen codices Aram habent.

d *Quod ſupremorum munus meritis datum creditur*] Vet. lib Quod munus ſupremitatis merito datum credimus.

e *Cum effuſo rectore currus, quadrigæ æmulos*] Hæc antiqui libri lectio.

f *Quamlibet obviis occurſibus impedita*] Miror unde hæc fluxerint. nam in vet. lib. non habentur.

g *Notatum etiam advertimus, Opuntem nomine equum*] Pro Opuntem vet. lib. opum eſt. Exiſtimo ſententiam plane integram fore ſi legatur, Notatum etiam advertimus, Opunte equum; &c. nec miretur quiſpiam me vocem Nomine induxiſſe. ea enim ex gloſſa in contextum irrepſit, cum ſupra Opunte ſcriptum haberetur nomen V. hoc eſt urbis. neceſſariam autem eſſe iſtam emendationem. Plinius cap. XLII, lib. IIX, docet. Falſo igitur Pintianus hunc errorem Solino adſcripſit.

h *Fulvo colore*] Quotquot vidi Solini exemplaria, Fulvo retinent: ſed Pintiano caſtiganti Furvo, aſſentior. quia id Ariſtoteli & Plinio congruit.

i *Fellicanda*] Rectè m. ſ. Vellicanda. poſſet etiam legi Fellanda. Varro Manio, Tum eum ad quem veniunt in hoſpitium, lac humanum fellaſſe. Idem, ſeſquiulyſſe: Niſi quod lupam alumni fellarunt olim.

k *Levare veſicas*] Vet. lib. Exonerare.

CAP.

## CAP. XLVIII.

### *De Aſſyria, deque unguentorum origine.*

ASSYRIORVM initium Adiabene facit: in cujus parte Arbelitis regio eſt: quem locum victoria Alexandri Magni non ſinit præteriri. nam ibi copias *a* Darii prælio fudit, ipſum ſubegit: expugnatiſque ejus caſtris, in reliquo apparatu regis ſcrinium unguentis refertum reperit: unde primum Romana luxuria fecit ingreſſum ad odores peregrinos. Aliquantiſper tamen virtute veterum ab illa vitiorum illecebra defenſi ſumus, *b* atque adeo in cenſuram Publii Craſſi & Iulii Cæſaris: qui edixerunt, anno urbis conditæ *c* quingenteſimo ſexageſimoquinto, nequis unguenta inveheret peregrina. Poſtmodum vicerunt noſtra vitia, & ſenatui adeo placuit odorum delitia, ut ea etiam in penetralibus tenebris uteretur: ſicut L. Plotium, fratrem L. Plotii bis conſulis, proſcriptum à triumviris, in Salernitana latebra unguenti odor prodidit.

### IN CAP. XLVIII.

a *Darii fudit*] Idem, Darii prælio fudit.

b *Atque adeo in tempus cenſorum*] M. ſ. ita continent, pro Atque adeo in cenſuram. quod eſt in vulga-

vulgatis. Forte autem Solinus ſcripſerat. Atque adeo in tempus cenſuræ. hoc enim paullo uſitatius eſt.

c *Quingenteſimo ſexageſimoquinto*] Plinius lib. XIII. cap. III. eundem numerum ſervat. auſim tamen quovis pignore certare neque Solini neque Plinii codices vacare mendo, & ejus generis ut palpari quam videri commodius queat. nam eſt utrobique tempus ſæculo uno brevius ac hiſtoriæ auctores patiuntur. quia cenſura à P. Licinio Craſſo & L. Iulio Cæſare adminiſtrata fuit, poſt Cn. Pompeii Strabonis, & L. Porcii Catonis conſulatum. Quam obrem qui me audiet (& vero omnes audituros puto) apud Plinium & Solinum Sexcenteſimo ſexageſimoquinto reponet.

## CAP. XLIX.

## *De Medica arbore*

HOs terrarum ductus excipit Media, cujus arbor inclaruit etiam carminibus Mantuanis. Ingens ipſa, & cui tale ferme quale Vnedonibus folium eſt: tantum eo differt, quod aculeatum *a* ſpinoſis faſtigiis hiſpidatur. [Geſtat] malum inimicum venenis, ſapore aſpero, & amaritudinis miræ: odoris autem fragrantia plus quam jucundum, longeque ſenſibile. Verum pomorum illi tanta ubertas ineſt, *b* ut onere proventus ſemper gravetur. nam protinus atque poma ejus deciderint maturitate, alia protuberant, eaque tantum

tum eſt opimitati mora, ut fœtus deci-dant ante nati. Vſurpare ſibi nemora iſta optaverunt & aliæ nationes, per induſtriam tranſvecti *c* germinis [ & inſerti: ] ſed beneficium ſoli Mediæ datum, natura reſiſtente, terra alia non potuit mutuari.

### IN CAP. XLIX,

*a Spinoſis faſtigiis hiſpidatur* ] Eſt in vet. lib. Spinulentis faſtigiis hiſpida turgeſcit.

b *Vt onere proventus* ] Vet. lib. Ut onere fructus proventus. unde ego, Ut onere fructus provenientis, vel, Ut onere fructuoſi proventus.

c *Germinis tranſvecti*] Ita vet.cod. in quo etiam non eſt Et inſerti.

## CAP. L.

### *De Caſpiis portis.*

CASPIÆ portæ panduntur itinere manu facto, longo octo milibus paſſuum. nam latitudo vix eſt plauſtro permeabilis. In his anguſtiis *a* etiam illud [inter alia] difficile, quod præciſorum laterum ſaxa, liquentibus inter ſe ſalis venis. exudant humorem affluentiſſimum: *b* qui mox vi caloris conſtrictus, velut in glaciem coit: ita labes invia acceſſum negat. Præterea octo & viginti millium paſſuum tractus omnis, quoquo inde pergatur, [*d* nullis puteis vel fontibus]humo arida, ſine

ſine præſidio ſitit: *e* ut tunc ſerpentes undique gentium convenæ, à verno ſtatim die illuc confluant. ita periculi ac difficultatis concordia, ad Caſpios, niſi hyeme, acceſſus negatur.

IN CAP. L.

a *Etiam illud aſperum* ] Hæc vet. libri lectio brevior & concinnior eſt quam vulgata: Etiam illud inter alia difficile.

b *Qui mox, vi caloris conſtrictus velut in glaciem coit* ] Vet. lib. habent, Qui conſtrictus vi caloris, velut in æſtivam glaciem corporatur.

c *Ita labes invia* ] Pro Labes vet. libri Luvies. Fortaſſis, Ita rupes invia.

d *Nullis puteis vel fontibus* ] Vet. lib. hæc non habet, & non neceſſaria ſunt.

e *Tum ſerpentes* ] Corrige Ut tunc. Et paullo poſt, *Confluant:* hoc ſenſu, Quoniam circa Caſpias portas ad octo & viginti M. paſſuum omnia aquis carent, ſerpentes undiquaque in ipſas ſe portas recipiunt (propter eam humoris copiam quam deſcripſit) Ita periculi, &c. adde, quod caput eſt, hanc in vet. lib. lectionem haberi.

## CAP. LI.

## *De Direo & Margiana regione.*

A Caſpiis ad orientem verſus locus eſt quod *a* Direum appellatur, cujus ubertati non eſt quod uſpiam comparari queat: quem locum *b* circumſident Tapyri, Anariaci, Stauri, Hyrcani. Ei proxi-

proximat Margiana regio, ſinclyta cæli ac ſoli commodis, adeo ut in toto illo latifundio vitibus ſola gaudeat. Ad faciem theatralem montibus clauditur, ambitu ſtadiorum mille quingentorum : inacceſſa pene ob incommodum arenoſæ ſolitudinis : quæ per centum & viginti millia paſſuum undique verſum circumfuſa eſt. Regionis hujus amœnitatem Alexander Magnus uſque adeo miratus eſt, ut ibi primum Alexandriam conderet : quam mox â barbaris exciſam Antiochus Seleuci filius reformavit, & de nuncupatione domus ſuæ, dixit Seleuciam : cujus urbis circuitus diffunditur in ſtadia ſeptuaginta-quinque. In hanc Orodes Romanos captos Craſſiana clade deduxit. Et aliud in Caſpiis Alexander oppidum excitarat, idque Heraclea dictum dum manebat : ſed hoc quoque ab iiſdem everſum gentibus : deinde ad Antiocho reſtitutum, ut ille maluit, Achais poſtmodum nominatum eſt.

## IN CAP. LI.

a *Direum* ] Aut hic Darieum, aut apud Plinium Direum eſt reponendum.

b *Circumſident Tapyri, Anariaci, Stauri, Hyrcani* ] Sic partim ex vet. lib. partim ex Plinii lib. VI. hunc locum recenſui.

CAP.

## CAP. LII.

### *De Oxo amne, & circa eum gentibus. De itinere Liberi patris, Herculis, Semiramidis, & Cyri regis termino, deque Camelorum natura.*

OXVS amnis de lacu Oxo oritur, cujus oras Heniochi, Bateni, a Oxii, Tagæ accolunt: ſed præcipuam partem Bactri tenent. Bactris præterea eſt proprius amnis Bactros, unde & oppidum quod incolunt, Bactrum. Gentes hujuſce quæ pone ſunt, Paropamiſi jugis ambiuntur: quæ adverſa, Indi fontibus terminantur: reliqua includit Oxus flumen. Vltra hos Panda, oppidum Sogdianorum, in quorum finibus Alexander Magnus tertiam Alexandriam condidit, ad conteſtandos itineris ſui terminos. Hic enim locus eſt in quo primum à Libero patre, poſt ab Hercule, deinde à Semiramide, poſtremo etiam à Cyro aræ ſunt conſtitutæ: quod proximum gloriæ omnes duxerunt, illò uſque promoviſſe itineris ſui metas. Vniverſi ejus ductus duntaxat, ab illa terrarum parte Iaxartes fluvius ſecat fines: quem tamen Iaxarten ſoli vocant Bactri. nam alii Scythæ Silin nominant. Hunc eundem eſſe Tanain exercitus Alexandri

xandri Magni crediderunt: verum *b* Dæmodamas dux Seleuci & Antiochi, ſatis idoneus vero auctor, tranſvectus amnem iſtum, titulos omnium ſupergreſſus, alium eſſe quam Tanain deprehendit. ob cujus gloriæ inſigne, dedit nomini ſuo ut altaria *c* ibi strueret Apollini Didymæo. Hoc eſt colliminium, in quo limes Perſicus Scythis jungitur: quos Scythas Perſæ lingua ſua *d* Sacas dicunt, & invicem Scythæ Perſas, Chorſaros nominant, montemque Caucaſum, Graucaſum, id eſt, nivibus candicantem. Denſiſſima hîc populorum frequentia cum Parthis legem placiti ab exordio moris incorrupta cuſtodit diſciplina. E quibus celeberrimi ſunt Maſſagetæ, Eſſedones, Ariacæ, Sacæ, Dahæ, & Aſſæi. Poſt quos immaniſſimis barbaris interjacentibus, de ritu aliarum nationum pene inconſtanter definitum advertimus. Bactri Camelos fortiſſimos mittunt, licet & Arabia plurimos gignat. verum hoc differunt, quod Arabici bina tubera in dorſo habent, ſingula Bactriani. Hi numquam pedes atterunt. ſunt enim illis reciprocis quibuſdam pulmunculis veſtigia carnulenta. Vnde & contraria eſt labes ambulantibus, nullo ſavente præſidio, ad niſum inſiſtendi. Habentur in duplex miniſterium. Sunt alii oneri ferendo accommodati,

Digitized by Google

modati, alii leves ad pernicitatem: ſed nec illi ultra juſtum pondera recipiunt, nec iſti amplius quam ſolita ſpatia volunt egredi. Genituræ cupidine efferuntur adeo ut ſæviant cum venerem requirunt. Oderunt equinum genus. ſitim etiam in quatriduum tolerant: verum cum occaſio bibendi data eſt, tantum implentur quantum & ſatiet deſideria præterita, & in futurum diu proſit. Lutulentas aquas captant, puras refugiunt. denique niſi cœnoſior liquor fuerit, ipſi aſſidua conculcatione limum excitant, ut turbetur. Durant in annos centum, niſi forte tranſlati in peregrina, inſolentia mutati aëris morbos trahant. Ad bella fœminæ præparantur: inventumque eſt ut deſiderium eis coitionis quadam caſtratione exſecaretur. putant enim fieri validiores, ſi à coitibus arceantur.

## IN CAP. LII.

a *Oxiſtagæ*] Vet. liber, Oxiſtace. lego Oxii, Tagæ, ex Plinii cap. XVI. lib. VI.

b *Dæmodamas*] Plinio Demonax: ſed ei non aſſentior, quia Solino Martianus, non plane contemnendus ſcriptor, ſuffragatur.

c *Ibi ſtatueret*] Strueret eſt in ſcriptis libris.

d *Sacas*] Apud Senecam poetam alicubi legitur Terræ Zedacum feroces: pro quo malim ſcribere Zacarum. Zedacum namque quid ſit ii viderint qui novos neſcio quos populos, & nuſ-

quam gentium agentes, in collectaneis ſuis comminiſcuntur.

## CAP. LIII.

## *De Seribus, & Serico vellere.*

QVa ab Scythico Oceano & mari Caſpio in Oceanum Eoum curſus inflectitur, ab exordio hujuſce plagæ profundæ nives, mox longa deſerta: poſt Anthropophagi, gens aſperrima, magno dein ſpatio ſæviſſimis beſtiis obſito, ferme dimidiam itineris partem impenetrabilem reddiderunt. quarum difficultatum terminum facit jugum mari imminens, quod Tabin barbari dicunt: poſt quod adhuc longinquæ ſolitudines. Sic in tractu ejus oræ quæ ſpectat æſtivum orientem, ultra inhumanos ſitus primos hominum Seres cognoſcimus: qui aquarum aſpergine inundatis frondibus, vellera arborum adminiculo depectunt liquoris, & lanuginis teneram ſubtilitatem humore domant ad obſequium. Hoc illud eſt Sericum, in uſum publicum damno ſeveritatis admiſſum: & quo oſtentare potius corpora quam veſtire, primo fœminis, nunc etiam viris perſuaſit luxuriæ libido. Seres, ipſi quidem mites, & inter ſe quietiſſimi: aliàs vero reliquorum mortalium

cœtus

Digitized by Google

cœtus refugiunt, adeo ut ceterarum gentium commercia abnuant. Primum eorum fluvium mercatores ipſi tranſeunt: in cujus ripis, nullo inter partes linguæ commercio, ſed depoſitarum rerum pretia oculis *a* æſtimantes, ſua tradunt, noſtra non emunt.

### In Cap. LIII.

a *Æſtimantes*] Vet. libri, Æſtimantibus.

## Cap. LIV.

### *De Attacis gentibus.*

SEquitur *a* Attanus ſinus, & gens Attacorum, quibus temperies prærogativa miram aëris clementiam ſumminiſtrat. Arcent ſane afflatum noxium colles, qui ſalubri apricitate undique ſecus objecti, prohibent auras peſtilentes. atque ideo (ut Amometus affirmat) par illis & Hyperboreis genus vitæ eſt. Inter hos & Indiam gnariſſimi Ciconas locaverunt.

### In Cap. LIIII.

a *Attacenus ſinus*] Scribe, Attanus ſinus, ut in vet. lib. & Plinio habetur. Ibidem, *Gens Attacorum*, quidam m. ſ. Gens hominum Attagorum. Plinius lib. VI, cap. XVII, Gens hominum Attacorum.

## CAP. LV.

### *De India, & Indorum moribus, de ejus regionis cæli clementia. De Indiæ fluminibus, deque miris in ea animalibus, arboribus, odoramentorum generibus. De Indis item pretioſis lapidibus.*

AB Emodis montibus auſpicatur India, à meridiano mari *a* porrecta ad Eoum, & à ſeptentrione uſq; ad montem Caucaſum, Favonii ſpiritu ſaluberrima. In anno bis æſtatem habet, bis legit fruges, vice hyemis Eteſiis potitur. Hanc Poſſidonius adverſam Galliæ ſtatuit. Sane nec quicquam ex ea dubium. nam Alexandri Magni armis comperta, & aliorum poſtmodum regum diligentia peragrata, penitus cognitioni noſtræ addita eſt. Megaſthenes ſane apud Indicos reges aliquantiſper commoratus, res Indicas ſcripſit, ut fidem quam oculis ſubjecerat, memoriæ daret. Dionyſius quoque, qui & ipſe à Philadelpho rege ſpectator miſſus eſt gratia periclitandæ veritatis, paria prodidit. Tradunt ergo in India fuiſſe quinq; millia oppidorum præcipua capacitate, populorum novem millia. Diu etiam credita tertia pars eſſe terrarum. Nec mirum ſit vel de hominum vel de urbium copia, cum ſoli Indi num-

numquā à natali ſolo receſſerint. Indiam Liber pater *b* primus ingreſſus eſt, utpote qui [Indis ſubactis] primus omnium triumphavit. Ab hoc ad Alexandrum Magnum numerantur annorum ſex millia, quadringenti quinquaginta unus, additis eo amplius tribus menſibus, habita per reges computatione, qui centum quinquagintatres tenuiſſe medium ævum deprehenduntur. Maximi in ea amnes, Ganges & Indus: quorum Gangen quidam fontibus incertis naſci, & Nili modo *c* exundare perhibent: alii volunt à Scythicis montibus exoriri. Hypaſis etiam, nobiliſſimus ibi fluvius, qui Alexandri Magni iter terminavit: ſicuti aræ in ripa ejus poſitæ probant. Minima Gangis latitudo, per octo millia paſſuum, maxima, per viginti patet: altitudo, ubi vadoſiſſimus eſt, menſuram centum pedum devorat. *d* Gangarides extimus eſt Indiæ populus: cujus rex equites mille, elephantos ſeptingentos, peditum ſexaginta millia in apparatu belli habet. Indorum quidam agros exercent, militiam plurimi, merces alii: optimi ditiſſimique Rempubl. curant, reddunt judicia, aſſident regibus. Quietum ibi eminentiſſimæ ſapientiæ genus eſt, vita repletos accenſis rogis mortem accerſere. qui vero ferociori ſectæ ſe dediderunt, [&

ſilveſtrem agunt vitam,] elephantos venantur, quibus perdomitis ad manſuetudinem aut arant aut vehuntur. In Gange inſula eſt populoſiſſimam & ampliſſimam continens gentem, quorum rex peditum quingenta millia, equitum quinquagintaquatuor millia in armis habet. Omnes ſane quicumque præditi ſunt regia poteſtate, non ſine maximo elephantorum, equitum etiam peditumque numero, militarem agitant diſciplinam. Praſia gens validiſſima Palibotram urbem incolunt, unde quidam gentem ipſam Palibotros nominarunt: quorum rex ſexcentena millia peditum, equitum triginta millia, elephantorum octo millia omnibus diebus ad ſtipendium vocat. Vltra Palibotram mons Maleus: in quo umbræ hyeme in ſeptentriones, æſtate in auſtros cadunt, viciſſitudine hac durante ſenis menſibus. Septentriones in eo tractu in anno ſemel, nec ultra quindecim dies apparent, ſicuti auctor eſt Bethon, qui perhibet hoc in pluribus Indiæ locis evenire. Indo flumini proximantes, verſa ad meridiem plaga, ultra alios torrentur calore. denique vim ſyderis prodit hominum color. Montana Pygmæi tenent. At ii quibus eſt vicinus Oceanus, ſine regibus degunt. Pandea gens à fœminis regitur, cui reginam primam aſſignant

gnant Herculis filiam. Et Nyſa urbs regioni iſti datur. Mons etiam Iovi ſacer, Meros nomine, in cujus ſpecu nutritum Liberum patrem veteres Indi affirmant: ex cujus vocabuli argumento laſcivienti famæ creditur Liberum [patrem] femine natum. Extra Indi oſtium ſunt inſulæ duæ, Chryſe & Argyre, adeo fœcundæ copia metallorum, ut plerique eas aurea ſola prodiderint & *e* argentea habere. Indis omnibus *f* longa & promiſſa cæſaries, non ſine fuco cærulei aut crocei coloris. Cultus præcipuus in gemmis, nullus funerum apparatus. Præterea, ut Iubæ & Archelai regum libris editum eſt, in quantum mores populorum diſſonant, habitus quoque diſcrepantiſſimus eſt. alii lineis, alii laneis peplis veſtiuntur: pars obſcœna tantum amiculati, plurimi etiam flexibilibus libris circundati. Quidam populi adeo proceri, ut elephantos, velut equos, facilima inſultatione tranſiliant. Plurimis placet, neque animal occidere, neque veſci carnibus. plerique tantum *g* piſcibus [aluntur,] & [è] mari vivunt. Sunt qui proximos parenteſque priuſquam annis aut ægritudine in maciem eant, [ante] velut hoſtias cædunt, deinde peremtorum viſcera epulas habent: quod ibi non ſceleris ſed pietatis loco numerant.

rant. Sunt etiam qui cum *h* incubuêre morbi, procul à ceteris in ſecreta abeunt, nihil anxie mortem expectantes. Aſpagonum gens laureis viret ſilvis, lucis buxeis: vitium vero & arborum univerſarum, quibus gratia dulcis eſt, proventibus copioſiſſima. Philoſophos habent Indi (Gymnoſophiſtas vocant) qui ab exortu aduſque ſolis occaſum contentis oculis orbem candentiſſimi ſyderis contuentur, in globo igneo rimantes ſecreta quædam, areniſque ferventibus perpetem diem alternis pedibus inſiſtunt. Ad montem qui Milo dicitur, habitant quibus averſæ plantæ ſunt, & octoni in plantis ſingulis digiti. Megaſthenes per diverſos Indiæ montes eſſe ſcribit nationes capitibus caninis, armatas unguibus, amictas *i* veſtitu tergorum, & ad ſermonem humanum nulla voce, ſed latratibus *k* tantum ſonantes, aſperis rictibus. Apud Cteſiam legitur, quaſdam fœminas ibi ſemel tantum parere, natoſque canos illico fieri. Eſſe rurſum gentem alteram, quæ in juventa ſit cana, nigreſcat in ſenectute, ultra ævi noſtri terminos *l* perennantem. Legimus Monoſcelos quoque ibi naſci, ſingulis cruribus, & ſingulari pernicitate: qui ubi defendi ſe velint à calore, *m* reſupinati plantarum ſuarum magnitudine inumbrentur. Gangis fon-

Digitized by Google

ſontem qui accolunt, nullius ad eſcam opis indigi, odore vivunt pomorum ſilveſtrium, longiuſque pergentes, eadem illa in præſidio gerunt, ut olfactu alantur: quod ſi tetriorem ſpiritum forte hauſerint, exanimari eos certum eſt. Perhibent eſſe & gentem fœminarum, quæ quinquennes concipiunt, ſed ultra octavum annum vivendi ſpatium non protrahunt. Sunt qui cervicibus carent, & in humeris habent oculos. Sunt qui ſilveſtres, hirti corpora, caninis dentibus, ſtridore *n* terrifico. Apud eos vero quibus ad vivendi rationem *o* propenſior cura eſt, multæ uxores in ejuſdem viri coeunt matrimonium, & cum maritus deceſſerit, apud graviſſimos judices ſuam quæque de maritis agunt cauſſam: & quæ officioſior ceteris ſententia vicerit judicantium, hoc palmæ refert præmium ut arbitratu ſuo accendat rogum conjugis, & ſupremis ejus ſemetipſam det inferias, ceteræ *p* notatæ vivant. Enormitas in ſerpentibus tanta eſt, ut cervos & animantium alia ad parem molem tota hauriant: quinetiam Oceanum Indicum quantus eſt, penetrent, inſulaſque magno ſpatio à continenti ſeparatas, pabulandi petant gratia. idque ipſum palam eſt potentia ampliſſimæ magnitudinis fieri, ut, per tantam ſali latitu-

dinem, ad loca permeent deſtinata. Sunt illic multæ ac mirabiles beſtiæ, quarum è multitudine & copia vel particulam perſequemur. Leucrocuta velocitate precedit feras univerſas: ipſa aſini feri magnitudine, cervinis clunibus, pectore ac cruribus leoninis, capite q Melium, biſulca ungula, ore aduſque aures dehiſcente, dentium locis oſſe perpetuo. hoc quo ad formam. nam voce loquentium hominum ſonos æmulatur. Eſt & Ealé, aliâs ut equus: cauda [vero] elephanti, nigro colore, maxillis aprugnis, præferens cornua ultra cubitalem modum longa, ad obſequium cujus velit motus accommodata. neque enim rigent, ſed r moventur, ut uſus exigit præliandi: quorum alterum, cum pugnat, protendit, alterum replicat: ut ſi ictu aliquo alterius acumen offenderit, acies ſuccedat alterius. Hippopotamis comparatur, & ipſa ſane aquis fluminum gaudet. Indicis tauris color fulvus eſt, volucris pernicitas, pilus in contrarium verſus, hiatus omne quod caput. hi quoque circumferunt cornua flexibilitate ſ qua malint, tergi duritia omne telum t reſpuentes, tam immiti ferocitate ut capti animas projiciant furore. Manticora quoque [nomine] inter hæc naſcitur, triplici dentium ordine coëunte v vicibus alternis, facie hominis

minis, glaucis oculis, ſanguineo colore, corpore leonino, cauda veluti ſcorpionis aculeo ſpiculata: voce tam ſibila ut imitetur fiſtularum modulos, tubarumq; concentum. humanas carnes avidiſſime affectat. pedibus ſic viget, ſaltu ſic poteſt, ut morari eam nec extentiſſima ſpatia poſſint, nec obſtacula latiſſima. Sunt præterea boves unicornes & tricornes, ſolidis ungulis nec bifidis. Sed atrociſſimum eſt Monoceros, monſtrum mugitu horrido, equino corpore, elephanti pedibus, cauda ſuilla, capite cervino. cornu è media ejus fronte protenditur, ſplendore mirifico, ad longitudinem pedum quatuor, ita acutum ut quicquid impetat, facile ictu ejus perforetur. Vivus non venit in hominum poteſtatem: & interimi quidem poteſt, capi non poteſt. Aquæ etiam gignunt miracula non minora. Anguillas ad tricenos pedes longas educat Ganges: quem Statius Seboſus, inter præcipua miracula, ait vermibus abundare, cæruleis nomine & colore. Hi bina habent brachia longitudinis cubitorum non minus ſenûm, adeo robuſtis viribus ut elephantos ad potum venitantes, mordicus comprehenſa ipſorum manu rapiant in profundum. Indica maria balænas habent ultra ſpatia quatuor jugerum. Sunt & quos Phyſeteras nuncupant,

qui enormes ultra molem ingentium columnarum, ſuper antennas ſe navium extollunt, hauſtoſque fiſtulis fluctus ita eructant ut nimboſa alluvie plerumque deprimant alveos navigantium. Sola India mittit Pſitacum avem, colore viridi, torque punicio: cujus roſtri tanta duritia eſt ut z cum ſe è ſublimi præcipitat in ſaxum, niſu ſe oris excipiat, & quodam quaſi præſidio utatur extraordinariæ firmitatis: caput vero tam valens, ut ſiquando ad diſcendum plagis ſit admonendus (nam ſtudet ut homines alloquatur) ferrea clavicula ſit verberandus. dum pullus eſt, atque adeo intra alterum ætatis ſuæ annum, quæ monſtrata ſunt & citius diſcit & tenacius retinet: paullo ſenior, & indocilis eſt & oblivioſus. Inter nobiles & plebeios diſcretionem digitorum facit numerus, qui præſtant, quinos in pede habent digitos, ceteri ternos. lingua lata, multoque latior quam ceteris avibus: unde perficitur ut articulata verba penitus eloquatur. Quod ingenium ita Romanæ delitiæ miratæ ſunt, ut barbari Pſitacos mercem fecerint. Indorum nemora in tam proceram ſublimantur excelſitatem, ut transjici ne ſagittis quidem poſſint. *a** Pomaria ficus habent, quarum caudices in orbem ſpatio ſexaginta paſſuum extuberantur: ramorum

rum umbræ, ambitu bina ſtadia conſumunt: foliorum latitudo, formæ Amazonicæ peltæ comparatur: pomum eximiæ ſuavitatis. Quæ paluſtria ſunt, arundinem creant ita craſſam, ut fiſſis internodiis, lembi vice vectitet navigantes. è radicibus ejus exprimitur humor dulcis ad melleam ſuavitatem. Tylos Indiæ inſula eſt: ea fert palmas, oleas creat, vineis abundat. terras omnes hoc miraculo ſola vincit, quod quæcumque in ea arbos naſcitur, numquam caret folio. Ibi mons Caucaſus [inde incipit,] qui maximam orbis partem perpetuis jugis penetrat. [Idem] fronte qua ſoli eſt obverſus, arbores piperis oſtentat: quas ad juniperi ſimilitudinem diverſos fructus edere aſſeverant. *b** Eorum qui primus erumpit, velut corylorum fimbria, dicitur piper longum: quod incorruptum eſt, piper album: quorum cutem rugoſam & torridam calor fecerit, *c** piper nigrum. qui demum caducus torretur fervido ſole, nomen trahit de colore: *d** at qui ex ipſa arbore ſtringitur, ut eſt, album piper dicitur. Sed ut piper ſola India, ita & hebenum ſola mittit: nec tamen univerſa, verum exigua ſui parte ſilvis hoc genus edit. arbor eſt plerumque tenuis & frequentior, vimine raro in craſſitudinem caudicis extuberata: hiulco corti-

cortice, & admodum reticulato: dehiſcentibus venis, adeo ut per ipſos ſinus pars intima vix tenui libro contegatur. Lignum omne atque mediale eadem ferme & facie & nitore qui eſt in lapide Gagate. Indi reges ex eo ſceptra ſumunt, & quaſcumque deorum imagines non niſi ex hebeno habent. Iidem ferunt materia iſta liquorem non contineri noxium: & quicquid maleficum fuerit, tactu ejus averti. hac gratia pocula ex hebeno habent. Ita nihil mirum ſi peregre ſit in pretio, quo etiam ipſi quibus provenit honorantur. Hebenum ex India Romæ Mithradatico triumpho primum Magnus Pompeius exhibuit. e* Mittit India & calamos odoratos, [potentes adverſum inteſtinæ ægritudinis incommoda. Dat] & multa alia fragrantia, mirifici ſpiritus ſuavitate [grata.] Indicorum lapidum in Adamantibus dignitas prima, utpote qui f* lymphationes abigant, venenis reſiſtant, mentium vanos metus pellant. Hæc primum de iis prædicari oportuit, quæ reſpicere ad utilitatem videbamus: nunc reddemus quot quæve Adamantum ſint ſpecies, & quis color cuique eximius. In quodam cryſtalli genere invenitur materia, in qua naſcitur ad aquæ ſimilis ſplendorem liquidiſſimum, in mucronem ſexangulum utrinque

ſecus

Digitized by Google

ſecus leviter turbinatus, nec umquam ultra magnitudinem nuclei avellanæ repertus. Huic proximus in excellentiſſimo auro deprehenditur: ſecundus, pallidior ac magis ad argenti colorem renitens: tertius in venis Cypri apparet, propior ad æream faciem. quartus in metallis ferrariis legitur, pondere ceteros antecedens, non tamen & poteſtate. nam & hic & qui in Cypro deprehenduntur, frangi queunt, plerique etiam Adamante altero perforantur: at illi *g** quos primos diximus, nec ferro vincuntur nec igni domantur. veruntamen ſi diu ſanguine hircino macerentur, nec aliter quam ſi calido vel recenti, vel malleis aliquot ante fractis, & incudibus diſſipatis, aliquando cedunt, atque in particulas diſſiliunt. quæ fragmenta ſcalptoribus in uſum inſigniendæ *h** cujuſcumque modi gemmæ expetuntur. Inter Adamantem & Magnetem eſt quædam naturæ occulta diſſenſio, adeo ut juxta poſitus non ſinat Magnetem rapere ferrum: vel ſi admotus Magnes ferrum traxerit, quaſi prædam quandam, [*i**quicquid Magneti hæſerit,] Adamas rapiat atque auferat. Lychniten deinde fert India, *k** cujus lucis vigorem fragrantia excitat lucernarum: qua ex cauſſa λυχνίτην Græci vocaverunt. Duplex ei facies, aut in pur-

puræ

puræ emicat claritatem, aut meracius ſuffunditur cocci rubore. Per omne intimum ſui, ſi quidem pura eſt, inoffenſam admittit perſpicuitatem: at ſi excanduit radiis ſolis *l** incita, vel ad calorem digitorum attritu excitata eſt, aut palearum caſſa aut chartarum fila ad ſe rapit, contumaciter ſcalpturis reſiſtens. Ac ſiquando inſignita eſt, dum ſigna imprimit, velut quodam animali morſu partem ceræ retentat. Beryllos in ſexangulas formas Indi atterunt, ut hebetem coloris lenitatem, angulorum repercuſſu excitent ad vigorem. Beryllorum genus dividitur in ſpeciem multifariam: eximii intervirente glauci & cærulei temperamento, quandam præferunt puri maris gratiam. Infra hos ſunt Chryſoberylli, qui languidius micantes aurea nube circumfunduntur. Chryſopraſos quoque ex auro & porraceo mixtam lucem trahentes, æque Beryllorum generi adjudicaverunt. Hyacinthizontas, ſcilicet qui hyacinthos prope referant, & ipſos probant: eos vero qui cryſtallo ſimiles, capillamentis intercurrentibus obſcurantur (hoc enim vitio illorum nomen eſt) ſcientiſſimi lapidum plebi dederunt. Indici reges hoc genus gemmarum in longiſſimos cylindros amant fingere, eoſque perforatos *m** elephantorum ſetis ſuſpendunt,

dunt, & ad monilia habent, quæ *n** plerumque ex utroque capite inſertis aureis umbilicis incendunt ad nitelam pinguiorem: ut pro induſtria metallo hinc inde addito, fulgentiorem trahant lucem.

## IN CAP. LV.

a *Porrecta ad Eoum*] Vet. lib. Porrecta adeo. Cetera quæ uſque ad Favonii interſeruntur, non habentur in uno vet. cod.

b *Primus ingreſſus*] Antiquus lib. Primo. In eodem non habetur Indis ſubactis.

c *Exundare perhibent*] Vet. libri, Exaltari contendunt.

d *Gangarides*] Sic etiam hi populi à Ptolemæo, Virgilio, Valerio Flacco, Q. Curtio, Vibio Sequeſtro & Plinio nominantur: quamvis ſi Diodoro, Straboni & Stephano aſſentiamur, Gandarides ſcribemus.

Quod deinde ſequitur; *Peditum quinquaginta millia, equitum quatuor millia in armis habet*] Membranæ continent, Quorum rex peditum quingenta millia, equitum quinquaginta quatuor millia in armis habet. Quod amplector.

Paulo poſt, *Et ſilveſtrem agunt vitam*] Deſunt hæc in m ſ. quemadmodum paullo inferius, *Et ampliſſimam.*

e *Et argentea habere*] Vet. lib. Habuiſſe. De priore ait Dionyſii interpres,

*Inſula quæ priſci ſignatur nominis uſu,*
*Aurea, quod fulvo ſolis magis orbe rubeſcat.*

poſterius enim carmen ita legere malim.

f *Promiſſa*] Vet. lib. Longa & promiſſa cæſaries.

g *Piſcibus aluntur, & è mari vivunt*] Ita vulgo legitur: in vet. vero c. Piſcibus & mari vivunt.

h *Incu-*

h *Incubuêre morbi* ] M. ſ. Incubuêre morbo.

i *Veſtitu tergorum* ] Invenio in antiquis cod. Veſtimento tergorum.

k *Tantum ſonantes aſperis rictibus* ] Vet. cod. Tantum ſonantes, rictibuſque. Forte Hircitibuſque. Niſi ſuperſtitioſulos quoſdam offendere vêrerer, totum locum ſic caſtigarem, Eos more humano non loqui, ſed latrare tantum, & ut canes hirrire. Qui neſciunt quid hirrire ſignificet, Feſtum Pompeium legant, vel canem iratam audiant: quæ quam vocem ante latratum emittet, ea hirritus dicitur.

l *Perennantem* ] Vet. lib. permanentem.

m *Reſupinati* ] Supinati, habet vet. lib. Supini, Plinius.

n *Terrifico* ] Unus liber ſcriptus: Horrifico.

o *Propenſior cura* ] In m. ſ. eſt exactior.

p *Nota vivunt* ] Scribe, notatæ vivunt.

Poſt aliquot lineas, *Potentia ampliſſimæ magnitudinis fieri*, vet. lib. Non qualibet magnitudine venire.

q *Camelino* ] Vet. lib. cum Plinio, Melium.

r *Deflectuntur* ] Moventur, habent iidem: & *Offenderit*, pro Obtuſum fuerit.

ſ *Qua malint* ] Vet. lib. habent, qua volunt.

In quibuſdam pro, *Immiti feritate*, habetur, Imperiti ferocitate.

t *Reſpuentes* ] Quidam m. ſ. reſpuitur: alii, reſpuunt.

v *Vicibus alternis* ] Pectinatim, Plinius ait.

x *Tubarumque concentum* ] Concinentium. m. ſ. liber. Quod eſt in ſequentibus, *Bifidis*, vet. lib. Bifiſſis.

y *Splendore mirifico* ] Vet. lib. Mirificum.

z *Cum è ſublimi præcipitatur* ] Aliter vet. lib.

nem-

nempe, Cum ſe è ſublimi præcipitat. Iidem, *quodam quaſi fundamento.*

Poſt aliquot lineas, *Vt quod homines loquatur,* egregie vet. lib. Ut homines alloquatur. Iidem; *Paullo ſenior, & indocilis eſt & obliviosſus.* Item, *Inter nobiles & ignobiles.*

a* *Pomaria ficus habent, quarum caudicem* ] Vet. lib. Pomarias, & codices.

b* *Eorum qui primus erumpit, velut corylorum fimbria, dicitur piper longum* ] Qui pene immature exeunt, dicuntur piper longum, & incorrupti, &c. Ita vet. lib. Vide Plinium lib. XII. cap. VII.

c* *Piper nigrum qui demum caducus torretur fervido ſole* ] Vet. lib. Lipſii hæc omnia deſunt.

d* *At qui ex ipſa*] Hæc & quæ ſequuntur, uſque *Hebenum ex India, &c.* in m. ſ. Lipſiano non continentur.

e* *Mittit India & calamos odoratos, potentes adverſum inteſtinæ ægritudinis incommoda. Dat & multa alia fragrantia, mirifici ſpiritus ſuavitate grata* ] Pro his ſcriptus liber continet, Mittit & India calamos odoratos, & multa alia fragrantia mirifici ſpiritus ſuavitate. ſuccincte admodum: verum non omnia quæ vulgati, complectitur.

f* *Lymphationes abigunt, venenis reſiſtunt, mentium vanos metus pellunt* ] Ita vet. lib. cui Plinius lib. ult. opitulatur.

g* *Quos primos diximus* ] In vet. lib. habetur, Quos primo (vel primum) ſignificavimus.

h* *Cujuſcunque modi* ] Vet. lib. cujuſcemodi.

i* *Quicquid magneti hæſerit* ] Hoc non eſt in vet. lib. qui pro, Adamas rapiat, continent, Adamas magneti rapiat.

k* *Cujus lucis vigorem flagrantia excitat lucernarum* ] M. ſ. codices, Cujus lucis vigor flagrantiam excitat lucernarum.

l* *Inci-*

l* *Incitata*] Sic vet. lib. qui quoque pro *Excitata*, continet Excita.

m* *Elephantorum ſetis ſubligantes monilia habent*] Hæc ſcriptura ex alia vulgata profluxit. Elephantorum ſetis ſubligant, ac monilia habent. Quæ ex vera & veteri depravata fuit, ea in m. ſ. exſtat, Elephantorum ſetis ſuſpendunt, & ad monilia habent.

n* *Vel plerumque ex utroque capite inſertis aureis umbilicis, incendunt ad nitelam pinguiorem: ut, pro induſtria, metallo hinc inde addito, fulgentiorem trahant lucem*] Ita habetur in apographo, quam lectionem retineo, ſi pro vel, legatur quæ. monilia enim quæ ex Hyacinthizonte fiunt, deſcribit. dici non poteſt quam hæc in editionibus prioribus confuſe tradantur.

## CAP. LVI.

### *De Taprobane inſula, & qua ratione primum innotuerit. Qualis illic navigatio. Quis gentis ejus mos in rege eligendo. Item de Conchis, Margaritis, Vnionibus.*

TAPROBANEN inſulam, antequam temeritas humana exquiſito penitus mari fidem panderet, diu orbem alrerum putaverunt, & quidem eum quem habitare Antichthones crederentur. verum Alexandri Magni virtus ignorantiam publici erroris non tulit ulterius permanere, ſed in hæc uſque ſecreta propagavit nominis

minis ſui gloriam. Miſſus igitur Oneſicritus, præfectus claſſis Macedonicæ, terram iſtam, quanta eſſet, quid gigneret, quomodo haberetur, *a* exploratam notitiæ noſtræ dedit. Patet in longitudinem, ſtadiorum ſeptem millia, in latitudinem, quinque millia. Scinditur amne interfluo. nam pars ejus beſtiis & elephantis repleta eſt, majoribus multo quam quos fert India: partem homines tenent. Margaritis ſcatet & gemmis omnibus. ſita eſt inter ortum & occaſum. ab Eoo mari incipit, prætenta Indiæ. A Praſiana Indorum gente, dierum viginti primo in eam fuit curſus: ſed cum papyraceis & Nili navibus illo pergeretur, mox curſu noſtrarum navium ſeptem dierum iter factum eſt. Mare vadoſum interjacet altitudinis non amplius ſenûm paſſuum, certis autem canalibus depreſſum adeo ut nullæ umquam ancoræ ad profundi illius *b* ima potuerint pervenire. Nulla in navigando ſyderum obſervatio. *c* nam neque ſeptentriones illic conſpiciuntur, nec Vergiliæ umquam apparent. Lunam ab octava in ſextamdecimam tantum ſupra terram vident. Lucet ibi Canopos, ſydus clarum & ampliſſimum. Solem orientem dextra habent, occidentem ſiniſtra. Obſervatione itaque navigandi nulla ſuppetente, per quam

quam ad deſtinata pergentes, *d* portum capiant, vehunt alites, quarum meatus terram petentium, regendi curſus magiſtros habent. Quaternis non amplius Menſibus in anno navigatur. *e* Aduſque Claudii principatum de Taprobane hæc tantum noveramus. tunc enim fortuna patefecit ſcientię viam latiorem. Nam libertus Annii Plocami, qui tunc Rubri maris vectigal adminiſtrabat, Arabiam petens, aquilonibus præter Carmaniam raptus, quintodecimo demum die *f* appulſus eſt ad hoc litus, portumque invectus qui Hippuros nominatur. Sex deinde menſibus ſermonem perdoctus, admiſſuſque ad colloquia regis, quæ compererat, reportavit. Stupuiſſe ſcilicet regem pecuniam quæ cum ipſo capta fuerat, quod tametſi ſignata diſparibus foret vultibus, parem tamen haberet modum ponderis. cujus æqualitatis contemplatione, cum Romanam amicitiam flagrantius concupiſceret, Rachia principe, legatos aduſque nos miſit, à quibus cognita ſunt univerſa. Ergo iidem homines corporum magnitudine alios omnes antecedunt: crines fuco imbuunt, cæruleis oculis, truci viſu, terrifico ſono vocis. quibus immatura mors eſt, in annos centum ævum trahunt: aliis omnibus annoſa ætas, & penè ultra humanam

manam extenta fragilitatem. Nullus aut ante diem aut per diem ſomnus. [Noctis partem quieti deſtinant: lucis ortum vigilia antevertunt.] Ædificia modice ab humo elevata: annona ſemper eodem tenore eſt. Vites neſciunt: pomis abundant: colunt Herculem. In regis electione non nobilitas prævalet, ſed *g* ſuffragium. univerſus enim populus eligit ſpectatum moribus, & inveterata clementia, & [ jam ] annis gravem. Sed hoc in eo quæritur, cui liberi nulli ſint. nam qui pater fuerit, etiamſi vita ſpectatus ſit, non admittitur ad regnandum: ac, ſi forte dum regnat, pignus ſuſtulit, exuitur poteſtate. idque eo maxime cuſtoditur, ne fiat hæreditarium regnum. Deinde etiamſi rex maximam præferat æquitatem, nolunt ei totum licere. quadraginta ergo rectores accipit, ne in cauſſis capitum ſolus judicet. quanquam ſic quoque, ſi diſplicuerit judicatum, ad populum provocatur: atque ita datis judicibus ſeptuaginta fertur ſententia, cui neceſſario acquieſcitur. Cultu rex diſſimili à ceteris, veſtitur ſyrmate: ut eſt habitus quo Liberum patrem amiciri videmus. *h* Quod ſi etiam ipſe in peccato aliquo argutus ſit, [ac revictus,] morte multatur: non tamen ut cujuſquam attrectetur manu, ſed conſenſu publico, rerum omnium interdicta

dicta ei facultate, etiam colloquii poteſtas punito denegatur. Culturæ ſtudent univerſi. Interdum venatibus indulgent, nec plebeias agunt prædas: quippe cum tigrides aut elephanti tantum requirantur. Maria quoque piſcationibus inquietant, marinaſque teſtudines capere gaudent: quarum tanta eſt magnitudo, ut ſuperficies earum domum faciat, & numeroſam familiam non arcte receptet. Major pars inſulæ hujus calore ambuſta eſt, & in vaſtas deficit ſolitudines. Latus ejus mare alluit perviridi colore fruticoſum, ita ut jubæ arborum plerumque gubernaculis atterantur. Cernunt latus Sericum de montium ſuorum jugis. Mirantur aurum, & ad gratiam poculorum omnium gemmarum adhibent apparatum. Secant marmora teſtudinea varietate. Margaritas legunt plurimas maximaſque. Conchæ ſunt in quibus hoc genus lapidum requiritur, quæ certo anni tempore luxuriante conceptu, ſitiunt rorem, velut maritum, cujus deſiderio hiant: *i* & cum lunares maxime liquuntur aſpergines, oſcitatione quadam hauriunt humorem cupitum: ſic concipiunt gravidæque fiunt, & de ſaginæ qualitate reddunt habitus Vnionum. nam ſi purum fuerit, quod acceperint, candicant orbiculi [lapillorum:] ſi tur-

ſi turbidum, aut pallore languent, aut ruſo innubilantur. Ita magis de cælo quam de mari partus habent. denique quoties excipiunt matutini aëris ſemen, fit clarius Margaritum: quoties veſpertini, fit obſcurius: quantoque magis hauſerit, tanto magis proficit lapidum magnitudo. Si repente micaverit coruſcatio, intempeſtivo metu cumprimuntur: clauſæque ſubita formidine, vita contrahunt abortiva. aut enim perparvuli fiunt ſcrupuli, aut inanes. Conchis ipſis ineſt ſenſus: partus ſuos maculari timent. cumque flagrantioribus radiis excanduerit dies, ne fuſcentur lapides ſolis calore, *k* ſubſidunt & ſe profundis ingurgitant, ut ab æſtu vindicentur. Huic tamen providentiæ ætas opitulatur. nam candor ſenecta diſperit, & grandeſcentibus conchis flaveſcunt Margaritæ. In aqua mollis eſt Vnio, duratur *l* eviſceratus. numquam duo ſimul reperiuntur: unde Vnionibus nomen datum. *m* Vltra ſemunciales inventos negant. Piſcantium inſidias timent conchæ: inde eſt ut aut inter ſcopulos aut inter marinos canes plurimum deliteſcant. Gregatim natant. certa examini dux eſt: illa ſi capta ſit, etiam quæ evaſerint, in plagas revertuntur. Dat & India Margaritas: dat & litus Britannicum, ſicut divus Iulius thoracem

racem quem Veneri genitrici in templo ejus dicavit, è Britannicis margaritis factum, ſubjecta inſcriptione *n* teſtatus eſt. Lolliam Paulinam Caji principis conjugem vulgatum eſt habuiſſe tunicam ex margaritis, HS tunc quadringenties æſtimatam: cujus parandæ avaritia *o* avus ipſius M. Lollius, ſpoliatis orientis regionibus, offendit Cajum Cæſarem Auguſti filium, interdictaque amicitia principis veneno interiit. Illud quoque expreſſit vetus diligentia, quod Syllanis primum temporibus Romam illati ſunt Vniones.

## IN CAP. LVI.

a *Exploratam*] Exquiſitam, habet vet. lib.

b *Ima*] Vet. lib. Fundamenta.

c *Nam neque ſeptentriones illic conſpiciuntur, nec Virgiliæ unquam apparent*] Vet. vero lectio hæc eſt. Utpote ubi ſeptentriones nequaquam videntur, Virgiliæque nunquam apparent.

d *Locum capiant*] Portum capiant, habet m. ſ. magis proprie.

e *Aduſque Claudii principatum*] M. ſ. In Cl principatu.

f *Appulſus*] Idem, impulſus.

g *Suffragium univerſorum. populus enim*] Vet. lib. habent, Suffragium, univerſus enim populus, &c.

h *Quod ſi etiam ipſe in peccato arguitur, morte multatur*] Sic vet. lib. Plinius ait, regem, ſi quid delinquat, morte multari.

i *Et cum lunares maxime liquuntur aſpergines*] Et cum

cum maxime liquitur lunaris imber, continent antiqui codices. Plinius rorem appellat.

Sequitur aliquanto poſt, *Fit clarius margaritum, quotiens veſpere fit obſcurius*] In vet. lib. hæc non neutro ſed fœminino genere efferuntur. Ceterum pro veſpere, malim veſpertini, ſcribere.

k *Subſidunt, & ſe profundis ingurgitant, ut æſtu vindicentur*] Brevior & magis propria Solino ſcriptura eſt, Subſidunt in profundum, & ſe gurgitibus ab æſtu vindicant, quæ in m. ſ. invenitur.

l *Eviſceratus*] Vet. lib. Exemtus.

m *Vltra ſemunciales inventos negant*] Plinius, nec cum hac, nec cum m. ſ. lectione congruit. ſcribit enim lib. I X, cap. X X X V, Pondus, ad hoc ævi, ſemunciæ pauci, ſingulis ſcrupulis, exceſſere. ſcriptus vero liber, rejecta voce Ultra, habet, Semunciales inventos negant.

n *Teſtatus eſt*] Vet. lib. Intelligi voluit. atque ſic Plinius.

o *Pater ipſius*] Lollia Paullina licet patrem M. Lollium habuerit, tamen quæ Solinus hic recenſet, illi non conveniunt: verum, Plinio teſte, M. Lollio, hujus Lolliæ avo, congruunt: quare ſcribe, avus ipſius. hoc ipſum & Hermolaus vidit.

## CAP. LVII.

### *Indicum itinerarium.*

AB *a* hac autem inſula Indiæ continens eſt. Conſequens eſt igitur à Taprobane Indiam revertamur. [*b* convenit enim res Indicas videre.] ſed ſi Indicis aut urbibus aut nationibus inſiſtamus,

egrediemur propoſitę *c* concinnitatis modum. Proximam Indo flumini urbem habuêre Capiſſam, quam Cyrus diruit. Arachoſiam Arachote flumini impoſitā Semiramis condidit. Cadruſia oppidum ab Alexandro Magno ad Caucaſum conſtitutum eſt: ibi & Alexandria, quæ patet amplius ſtadia triginta. Multa & alia ſunt, ſed hæc cum eminentiſſimis. Poſt Indos montanas regiones Ichthyophagi tenent, quos ſubactos Alexander Magnus veſci piſcibus vetuit. nam antea ſic alebantur. Vltra hos deſerta Carmaniæ, Perſis deinde, atque ita navigatio: in qua Solis inſula *d* rubens [ ſemper ] & omni animantium generi inacceſſa: quippe quæ nullum non animal illatum perimit. Ex India revertentes ab Hytani Carmaniæ flumine ſeptentriones primum vident. *e* Achemenidum *f* in hoc tractu ſedes fuerunt. Inter Carmaniæ promontorium & Arabiam quinquaginta millia paſſuum interjacent: deinde tres inſulæ, circa quas Hydri marini egrediuntur vicenûm cubitorum longitudine. Dicendum hoc loco quatenus ab Alexandria Ægypti pergatur uſque in Indiam. Nilo vehente Copton uſque Eteſiis flantibus curſus eſt. deinde terreſtre iter Hydreum tenus. poſt tranſactis aliquot manſionibus, Berenicen pervenitur,
ubi

Digitized by Google

ubi Rubri maris portus eſt. Inde Ocelis Arabiæ portus tangitur. Proximum Indiæ emporium excipit Muzirum, infame piraticis latronibus. g deinde per diverſos portus Cottonam pervenitur, è qua monoxylis lintribus piper Necanidon vehunt. Petentes Indiam, ante exortum Canis, aut protinus poſt exortum navigia media æſtate ſolvunt. Revertentes navigant Decembri menſe. Secundus ex India ventus eſt Vulturnus: at cum ventum eſt in Rubrum mare, aut Africus aut Auſter vehunt. Spatium Indiæ decies ſepties[centena &]quinquaginta millia paſſuum proditur. at Carmaniæ centum millia, cujus pars non caret vitibus. Preterea habet genus hominum, qui non alia quam teſtudinis carne vivunt: hirſuti omnia facie tenus, quæ ſola levis eſt: iidem coriis piſcium veſtiuntur, Chelonophagi cognominati.

## IN CAP. LVII.

a *Ab Inſula Luſa aut conſequens aut continens eſt. Igitur à Taprobane Indiam revertamur*] Hæc eſt vetus lectio ſcripti libri, quæ nos quaſi manu deducit ad reſtituendum Solino veram ſcripturam, aut ſaltem vero proximam. ſic igitur ſcribendum, Ab hac autem inſula Indiæ continens eſt: conſequens eſt igitur à Taprobane, &c. quomodo puto hunc locum vel reſtitutum omnino, vel, ſi non eſt, parum ei abeſſe quominus in integrum plane ſit reſtitutus. Nec me fallit, quam variæ à Camer-

te lectiones adducantur: quarum nulla certe eſt, quam non pudeat recenſere. ut mirum ſit, qua, ſeu incuria, ſeu injuria, in duobus verſibus tanta varietas exſtiterit.

b *Convenit enim res Indicas videre*] Hæc expungo: cum in vet. lib. non habeantur, & ſine iis congruus ſenſus ſit.

c *Concinnitatis*] Vet. lib. Continuationis.

d *Rubeus ſemper*] Vet. lib. poſteriorem vocem repudiat. Idem, pro Nocet, continet Perimit.

e *Achemenidis*] Vet. lib. Achemenides. lege ex Plinio, Archemenidum.

f *In hac plaga*] Membranarum lectio, In hoc tractu.

g *Deinde per diverſos portus Cottonaræ ſucceditur, ad quam monoxylis lintribus piper convehunt*] Vet. lib. pura puta ænigmata continet, in quo ita ſcribitur: Cotta honore pervenitur ad quam monoxilis lintribus piber conon vehunt. Hic locus eſt unicus, quem qui caſtiget, maximam laudem mereatur: qui vero tentet aliqua illum ex parte illuſtrare, operam non ludat. quare, num quid illi opis accedere noſtra queat induſtria, periclitemur: & quia hæc omnia è Plinio ſunt, ejuſdem verba adſcribamus. lib. VI, cap. XXIII, ait, Regio autem ex qua piper monoxylis lintribus Becarem convehunt, vocatur Cottona. Ex his primo colligitur, non Cottonam piper convehi, ſed Cottona Becarem, conſueviſſe. patet etiam harum nomina corrupta eſſe apud Solinum. Poſtremo cum paullo ante tradiderit Plinius, portum Becares appellari Necanidon, & in antiquo Solini codice, conon, contineatur, item non, ſucceditur, ſed pervenitur &, Cotta honore, pro Cottonare: donec aliud feliciora ingenia excogitabunt, ita repo-

reponam, Deinde per diverſos portus Cottonam pervenitur, è qua monoxylis lintribus piper Necanidon vehunt. Quod ſpero illis probatum iri, qui quantum bonarum litterarum interſit, bonos libros exiſtere emendatiſſimos, norunt. quanquam non defore putem faſtidioſos quoſdam, quibus hi conatus ridiculi videantur: qui quod omnia rident, omnibus affatim ſe ridendos propinant.

h *Hirſuti omnia*] Lib. vet. omnes. ſed nihil muto.

## CAP. LVIII.

### *De ſinu Perſico, atque Arabico, Denique Azanio mari.*

IRrumpit hæc litora Rubrum mare, idque in duos ſinus ſcinditur: quorum qui ab oriente eſt, Perſicus appellatur, quandoquidem oram illam habitavêre Perſidis populi, vicies & ſexagies centena millia [paſſuum] circuitu patens: ex adverſo unde Arabia eſt, alter Arabicus vocatur. Oceanum vero qui ibi influit, Azanium nominarunt. Carmaniæ Perſis annectitur: quæ incipit ab inſula Aphrodiſia, variarum opum dives, tranſlata [quondam] in Parthicum nomen, litore quo occaſui objacet, porrecta in millia paſſuum quinquaginta. Oppidum ejus nobiliſſimum Suſa, in quo templum Suſiæ Dianæ. A Suſis Babytace oppidum centum tri-



Digitized by Google

gintaquinque millia paſſuum diſtat, in quo mortales univerſi odio auri coëmunt hoc genus metalli, & abjiciunt in terrarum profunda: ne polluti uſu ejus avaritia corrumpant æquitatem. Hic inconſtantiſſimus eſt terrarum modus: nec immerito, cum aliæ circa Perſida nationes ſcœnis, aliæ paraſangis, [*a* aliæ incomperta diſciplina] terras metiantur, & incerta in fidem faciat menſuræ ratio diſcors.

IN CAP. LVIII.

a *Aliæ incomperta diſciplina*] Hoc non eſt in membranis: neque apud Plinium cap. XXVI, lib. VI, quicquam habetur quod huic reſpondeat.

## CAP. LIX.

## *De Parthia, & Cyri ſepulcro.*

PARTHIA quanta omnis eſt, à meridie Rubrum mare, à ſeptentrione Hyrcanum ſaltum claudit. Regna in ea duodeviginti [*a* diſſecantur in duas partes. Vndecim quæ dicuntur ſuperiora, incipiunt ab Armenio limite, & Caſpio litore porrecta ad terram Scytharum, *b* quibuſcum concorditer degunt: reliqua ſeptem inferiora (ſic enim vocitant) habent ab ortu Arios Arianoſque, Carmaniam à medio die, Medos ab occidui ſolis plaga, à ſeptentrione Hyrcanos. Ipſa autem Media ab

dia ab occaſu tranſverſa, utraque Parthiæ regna amplectitur: à ſeptentrione, Armenia circumdatur: ab ortu Caſpios videt: à meridie Perſidem. Deinde tractus hic procedit uſque ad caſtellum quod magi obtinent, Paſſargada nomine. Hîc Cyri ſepulcrum.

IN CAP. LIX.

a *Diſſecantur in duas partes*] Deſunt hæc in vet. lib. licet propter ea quæ à Plinio commemorantur, illa non auſim rejicere.

b *Quibus concorditer degunt*] Scribatur, Quibuſcum concorditer degunt.

## CAP. LX.

### *De Babylone, de Atlantico Oceano, de Gorgonum ac Fortunatis inſulis.*

CHALDEÆ gentis caput Babylon eſt, [*a* à Semiramide condita,] tam nobilis ut propter eam & Aſſyrii & Meſopotamii in Babyloniæ nomen tranſierint. urbs eſt ſexaginta millia paſſuum circuitu patens, muris circundata, quorum altitudo ducentos pedes detinet, latitudo quinquaginta, in ſingulos pedes ternis digitis ultra quam menſura noſtra eſt altioribus: [amne] interluitur Euphrate: Beli ibi Iovis templum, quem inventorem cæleſtis diſciplinæ tradidit etiam ipſa religio, quæ

deum credit. In æmulationem urbis hujus Cteſiphontem Parthi condiderunt. Tempus [eſt] ad Oceani oras reverti, repreſſo in Æthiopiam ſtylo. namque ut Atlanticos æſtus occipere ab occidente & Hiſpania dudum dixeramus: ab his quoque partibus mundi, unde primum Atlantici nomen induat, exprimi par eſt. Pelagus Azanium uſque ad Æthiopum litora promovetur, Æthiopicum, ad Moſſylicum promontorium: unde rurſus Oceanus Atlanticus. Iuba igitur univerſæ partis quam plurimi propter ſolis ardorem perviam negaverunt, facta etiam gentium & inſularum commemoratione, ad confirmandæ fidei argumentum, omne illud mare ab India uſque ad Gades voluit intelligi navigabile, Cori tamen flatibus: cujus ſpiritus præter Arabiam, Ægyptum & Mauritaniam, evehere quamvis queant claſſem, dummodo ab eo promontorio Indiæ curſus dirigatur, quod alii Leptam acram, alii Drepanum nominaverunt. Addidit & ſtationum loca, & ſpatiorum modum. nam ab Indica prominentia ad Malachum inſulam affirmat eſſe quindecies centena millia paſſuum. à Malacho ad Scenecon ducenta vigintiquinque millia: inde ad inſulam Sadanum centum quinquaginta millia: ſic confici ad apertum mare

marc decies octies centena & ſeptuagintaquinque millia. Idem opinioni plurimorum, qui ob ſolis flagrantiam, maximam partem iſtius regionis ferunt humano generi inacceſſam, ſic reluctatur ut mercantium ibi tranſitus infeſtari ex Arabicis inſulis dicat: quas Aſcitæ habent Arabes, quibus *b* è re nata datum nomen eſt. nam bubulis utribus contabulatas crates ſuperponunt, vectitatiq; hoc cratis genere prætereuntes impetunt ſagittis venenatis. Habitari etiam Æthiopiæ aduſta Troglodytarum & Ichthyophagorum nationibus, quorum, Troglodytæ tanta pernicitate polleant ut feras quas agitant, curſu pedum aſſequantur: Ichthyophagi non ſecus quam marinæ belluæ nando in mari valeant. Ita exquiſito Atlantico mari, uſque in occaſum, etiam Gorgonum meminit inſularum. Gorgones inſulæ (ut accepimus) obverſæ ſunt promontorio quod vocamus Heſperion ceras. Has incoluerunt Gorgones monſtra, & *c* ſane adhuc monſtroſa gens habitat. diſtant à continenti bidui navigatione. Prodidit denique Xenophon Lampſacenus, Hannonem Pœnorum imperatorem in eas permeaviſſe, repertaſque ibi fœminas aliti pernicitate: atque ex omnibus quæ apparuerant, duas captas tam hirto atque aſpero

 corpo-

corpore, ut ad argumentum ſpectandæ rei, duarum cutes miraculi gratia inter donaria Iunonis ſuſpenderit: quæ duravêre uſque ad tempora excidii Carthaginienſis. Vltra Gorgonas Heſperidum inſulæ, ſicut Seboſus affirmat, dierum quadraginta navigatione in *d* intimos maris ſinus receſſerunt. Fortunatas inſulas contra lævam Mauritaniæ accepimus jacere, quas Iuba ſub meridie quidem ſitas, ſed proximas occaſui, dicit. De harum nominibus expectari magnum [mirum] reor, ſed infra famam vocabuli res eſt. In prima earum, cui nomen eſt Ombrion, ædificia nec ſunt nec fuerunt. juga montium ſtagnis madeſcunt. ferulæ ibi ſurgunt ad arboris magnitudinem. earum quæ nigræ ſunt, expreſſæ liquorum reddunt amariſſimum: quæ candidæ, aquas revomunt etiam potui accommodatas. Alteram inſulam, Iunoniam appellari ferunt, in qua pauxillæ ædes ignobiliter ad culmen faſtigiatæ. Tertia huic proximat eodem nomine, nuda omnia. Quarta Capraria appellatur, enormibus lacertis plus quam referta. Sequitur Nivaria, aëre nebuloſo & coacto, ac propterea ſemper nivalis. Deinde Canaria repleta canibus, forma [etiam] eminentiſſimis: unde etiam duo exhibiti ſunt Iubæ regi. In ea ædificiorum

durant

durant veſtigia, avium magna copia, nemora pomifera, *e* palmeta caryotas ferentia, multa nux pinea, larga mella: amnes ſiluris piſcibus abundantes. Perhibent etiam expui in eam undoſo mari belluas: deinde cum monſtra illa *f* putredine tabefacta ſunt, omnia illic infici tetro odore: ideoque non penitus ad nuncupationem ſuam congruere inſularum qualitatem.

## IN CAP. LX.

a *A Semiramide condita*] Hoc vet. lib non continet. &, me hercle, tam notum eſt, ut mirum ſit à Solino inculcari. quod ea, opinor, de cauſſa Plinius lib. VI. cap. VI, prætermiſit.

b *E re nata*] Vet. lib. A re nota.

c *Sane adhuc monſtroſa gens*] M. ſ. Et ſane uſque adhuc monſtruoſa gens. Prudentius etiam lib. περὶ στεφ. dixit, monſtruoſis idolis. Porro in Solini vet. lib. ſemper, & in nonnullis etiam Plinii exemplaribus aliquando monſtruoſus legitur, non monſtroſus: idque in aliis quoque ſcriptoribus memini me obſervare. quare non aſſentior Galeotto Martio, qui in opere De promiſcua doctrina putat, à monſtro, monſtruoſus deduci non debere. quod enim Lucani exemplum adducit, non impedit quominus & iſtud uſurpare liceat.

d *Intimos maris ſinus*] In eodem invenio, intimi. & Accepimus, pro Tradunt. & ubi vulgo habetur, Magnum mirum, vox, Mirum deeſt.

e *Palmeta caryotas ferentia multa nux pinea*] Membranæ habent, Palmeta ficus cariotas feritantia multa. nux pinea, &c. Quod, licet ſecutus non ſim, duxi aſcribendum.

f *Putre-*

f *Putredine tabefacta ſunt*] Succincte vet. cod. Putrefacta ſunt. In eodem pro Nuncupationem ſuam, continetur Sui.

## ADDITIONES.

*Cum has emendatioues ad finem jam perduxiſſem, à Cornelio Valerio, omnis integritatis & eruditionis flore, atque in celeberrimo Lovanienſi gymnaſio Latinarum literarum profeſſore, Solini excuſum exemplar, diligenter cum m. ſ. ab eo collatum, accepi: in quo quæ, ultra ea quæ ſupra obſervavimus, continebantur, viſum fuit hic ſubjungere.*

Pagina 158. linea. 5. *Ordini*. ordine.

158. 19. *Poßit*. poteſt.

164. 6. *Sacrificolis*. ſacricolis.

Ibidem. *Myngrum*. Myarchum. ſed prius auctoritate Pauſan & Plinii malo.

165. 20, *Iove in Piſcibus*, *Saturno in Geminis*, *Venere in Virgine*, *Marte in Capricorno*, *Mercurio*, &c. Ita legendum Cornel. Valerius exiſtimat.

180. 27. *Sicut Scipio Africanus prior*, & *qui*.

183. 6. Enituit. *emicuit*.

186. 7. C. Vibium.

191. 28. *Spolia ex hoſte*, addit, &. quemadmodum ſequenti pagina verſ. 7. ubi legitur, *Ferream ſibi manum*. in eo legitur, Poſtea ferream ſibi manum.

193. 5. *Quaternas etiam*. qui ternas etiam,

195. 15. *Meſſallam* certe *Corvinum* oratorem.

196. 24. *Deo* coarguente.

203, 17. *Inter omnes perſpicue*. placet quod eſt in m. Inter omnes promiſcue.

206. 6. *Vbi minimum*, CXXXVI, m. CXXVI.

219. 4. *Ad probandam*. Ad deprehendendum.

Nam

233. 5. Nam & ipſa natura ſoli ignea, per occulta comercia, aut mutuatur Ætnæ incendia, aut ſubminiſtrat.

247. 4. *Modo grandiore*. grandiora.

248. 27. *Crederet*. concrederet.

288. 24. Caput attollant.

387.25. *Fuit*, pro eo quod eſt in reliquis, Humanis rebus exceſſit.

395.29. *Sagaris*. Sagarius, male.

409. 3. *Volunt egredi*. ingredi.

FINIS.

ÆTHI-

# ÆTHICI
# COSMOGRAPHIA.

LECTIONVM pervigili cura comperimus Senatum populumque Romanum, totius mundi dominos, domitores orbis & præſules: qui cum quicquid ſubjacet cælo, penetrarent triumphis, omnem terram Oceani limbo circumdatam invenerunt, atque eam ne in cognitam poſteris reliquiſſent, ſubjugatum virtute ſua orbem totum quà terra protenditur, proprio limite ſignaverunt: & ne divinam eorum mentem omnium rerum magiſtram aliquid præteriet, quam vicerant, quadripartito cæli cardine inveſtigarunt, & intellectu æthereo totum quod ab Oceano cingitur, tres partes eſſe dixerunt, Aſiam, Europam & Africam reputantes. Sed hinc magnum inter doctos certamen fuit. *a* Nam plurimi qui res divinas evidentius agnoverunt, duas tantum partes accipiendas ſuadent, id eſt, Aſiam & Europam tantummodo: Africam vero cenſent Europæ finibus deputandam. Et reve-

revera hoc ita eſſe, evidenti documento monſtratur: quia non ſolum venenorum male altrix terra partem habet ſpatii, verumetiam eſt & cæli adverſo ſydere plus deſtituta. Nam qui illam partem tertiam vocaverunt, non ut æqualem inclytis præcellentibuſque poſuerunt: ſed ſitu peſſimo, languidam ardoribus ſuis, in extremo poſitam, ab optimis ſecarunt: non diviſionis merito, ſed ſic ut inciſa ſuis fluctibus invenitur. Itaque Iulius Cæſar, biſſextilis rationis inventor, divinis humaniſque rebus ſingulariter inſtructus, cum conſulatus ſui faſces erigeret, ex ſenatuſconſulto cenſuit omnem orbem jam Romani nominis admetiri per prudentiſſimos viros, & omni philoſophiæ munere decoratos. Ergo à Iulio Cæſare & M. Antonio coss. orbis terrarum metiri cœpit, id eſt, à conſulatu ſupraſcripti uſque ad conſulatum Auguſti tertium & Craſſi, annis XXI. menſibus V. diebus IX. Zonodoxo omnis oriens dimenſus eſt, ſicut inferius demonſtratur. A conſulatu item Iulii Cæſaris & M. Antonii uſque in conſulatum Auguſti decimum, annis XXIX. menſibus VII. diebus X. à Theodoto ſeptentrionalis pars dimenſa eſt, ut evidenter oſtenditur. A conſulatu ſimiliter Iulii Cæſaris uſque in conſulatum Saturni & Cin-

& Cinnæ à Polyclito meridiana pars dimenſa eſt, annis XXXII, menſe I. diebus X. ſicut definita monſtratur. Ac ſic omnis orbis terræ intra annos XXXII, à dimenſoribus peragratus eſt, & de omni ejus continentia perlatum eſt ad Senatum.

## IN ÆTHICI COSMOGRAPHIAM SCHOLIA,

### Iosia Simlero auctore.

a *Nam plurimi qui res divinas*] Opinio eorum, qui negant Africam tertiam partem eſſe orbis terrarum, elegantur verſibus expoſita eſt à Lucano libro IX.

*Tertia pars rerum Libyæ, ſi credere famæ*
*Cuncta velis: at ſi ventos cælumque ſequaris,*
*Pars erit Europa. nec enim plus littora Nili,*
*Quam Scythicus Tanais, primis à Gadibus abſunt,* &c.

Saluſtius, In diviſione (inquit) orbis terræ plerique in parte tertia Africam poſuère: pauci tantummodo Aſiam & Europam eſſe, ſed Africam in Europa. & hanc orbis terræ in duas partes diviſionem M. Terentius Varro in I. De re ruſtica libri cap. 2. ad Fratoſthenem refert.

*Omnis terræ orbis habet*

| | |
|---|---|
| Maria XXX. | Oppida CCCLXX. |
| Inſulas LXXII. | Flumina LVII. |
| Montes XL. | Gentes, quæ numerantur CXXV. |
| Provincias LXXVIII | |

*Ex his Oceani orientalis pars habet.*

Maria IIX.
Inſulas IX.
Montes VII.
Provincias X.
Oppida LXV.
Flumina XXII.
Gentes LI.

*Ita Oceanus orientalis hæc habet Maria:*

Mare Caſpium *a*,
Mare Perſicum,
Mare Tyberiadis,
Mare Aſphaltones,
Mare Rubrum *b*,
Mare Arabicum: quem ſinum Arabicum dicunt.
Mare Carpathium,
Mare Myrtoum *c*.

ORIENTALIS OCEANI Deſcriptio.

a *Mare Caſpium*, ſive Hyrcanum, quidam putarunt eſſe ſinum Oceani ſeptentrionalis: ſed Herodotus & Ptolemæus pedibus circumiri poſſe ajunt: quibus recentiores hiſtorici & geographi aſſentiuntur.

b *Mare Rubrum*, & *Arabicum ſinum*] Quidam ajunt unum mare eſſe: ſed Æthicus hæc diſtinguit, quod etiam alios geographos feciſſe Euſtathius in Comment. in Dionyſium aſſerit. Eſt autem Arabicus ſinus pars Rubri maris, ſicut & Perſicus ſinus, ut ex Plinio, Strabone, Herodoto, Mela, docet Vadianus, in Explanatione aliquot locorum ex ſuis commentariis in Melam. Ipſe etiam Æthicus hoc modo Rubrum mare accipit poſtea, in Aſiæ deſcriptione.

c *Mare Myrtoum*] In exemplari manuſcripto legi-

legitur Mare mortuum: ſed cum antea nominarit Mare Aſphaltenes, qui eſt lacus Aſphaltites, ſeu Mare mortuum, mutavi in Myrtoum. Infra in Achaiæ deſcriptione idem mendũ fuit, Achaiam ab ortu habere mare Myrtoum, ubi etiam Mortuum legitur in M. C. Cum autem Myrtoum mare Græciæ ab ortu ponatur, recte hic inter orientalia maria nominatur. Refert Plinius Cymbros mare congelatum nominare Mortuum mare, & Dionyſius idem affirmat: ſed hoc nihil ad maria orientis,

*Oceani orientalis famoſæ inſulæ ſunt,*

| | |
|---|---|
| Hippopodes *a*, | Rhodos, |
| Taprobana, | Cythera, |
| Sylephantinæ, | Creta, |
| Theros, | Carpathus. |
| Cypros, | |

a *Hippopodes*] Plinius lib. 4. cap. 13. Hippopodes inſulas, in quibus equinis pedibus homines naſcantur, in ſeptentrionali Oceano ponit. Quærendum an hæ ſint aliæ à Plinianis.

*Oceani orientalis famoſi montes ſunt,*

| | |
|---|---|
| Caucaſus, | Bonian *b*, |
| Armenius *a*, | Libanus, |
| Caumeſtes, | Caſſius. |
| Sina, | |

a *Armenius*] Dionyſius Periegetes meminit Armenii montis, è quo Phaſis fluvius oritur. Euſtathius interpres refert montem hunc in initio Armeniæ eſſe, ut Ethnicorum ſcriptor exiſtimet, alios

alios dicere Armenium Tauri partem, pertingentem in Armeniam uſque, quæ ab hoc monte nomen acceperit. Ammianus libro XXII. meminit Armenii montis è quo Thermodoon fluit.

b *Bodian*] Forte Vindius, mons Indiæ.

*Oceani orientalis famoſæ provinciæ ſunt*,

Perſis,
India,
Iſauria,
Adonis *a*,
Phœnice,
Meſopotamia Syriç,
Palæſtina,
Commagena,
Syria Apamæa,
Media Syria.

a *Adonis*] Non dubito nomen hoc vitioſum eſſe, neque uſquam invenio provinciam hujus nominis. forte pro Eden poſuit: quo nomine orientalem regionem, in qua fuit Paradiſus Domini, ſacræ literæ nominant. Atque huic noſtræ ſententiæ aſtipulatur quod poſtea ſcribit, Armodium fluvium luſtrare regionem Adonis & Meſopotamiam. nam Eden non longe abſuiſſe à Meſopotamia, oſtendit Moſes, qui ex Eden fluere ſcribit Euphratem & Tigrim, flumina Meſopotamiam ambientia.

*Oceani orientalis famoſa oppida ſunt*,

Byzantium,
Babylonia,
Hieruſalem,
Antiochia,
Nicæa,
Theſſalonica,
Teriades,
Sigoton *a*,
Palibotra,
Alexandropolis,
Adlenitæ *b*,
Colche *c*,

Pata-

Digitized by Google

Patale *d*,
Patalate *e*,
Tharſis,
Talloni *f*,
Copretes *g*,
Carmeniæ *h*,
Oſtraciæ *i*,
Ætergitæ *k*,
Falſagadæ *l*,
Ariduli,
Tharchi *m*,
Scivethei,
Cumi *n*,
Damphe *o*,
Salphamie *p*,
Chaldæa,
Eudæmona *q*,
Nabathei,
Sabæi,
Mache *r*,
Perſipolis,
Seres magnum,
Aniſauge *ſ*,
Suſiani,
Perſis *t*,
Filinei *v*,
Adiabæ *x*,
Charta *y*,
Niſibi,
Arvæi,
Alexandria,
Commagena,
Palmira,
Damaſcus,
Iordanis,
Heliopolis,
Apamea,
Daphen *z*,
Laodichia,
Biblos,
Biritos,
Mopſi *a**,
Nampamon,
Niveten,
Onarmarites,
Sabaſtes,
Amphimoli *b**,
Pyrrhenum *c**,
Eleuſinum *d**,
Coptis,
Mitylenæ,
Lampſacum,
Lignido *e**,
Corinthus.

a *Sigoton* ] Nomen hoc urbi tribuit, & flumini quoque, quod tamen Gangem eſſe inquit. Eſt autem

Digitized by Google

autem in India urbs quoque Ganges, idem cum flumine nomen habens, Arriano auctore.

b *Adlenite*] Forte. Adulis, ſeu Aduliton Plinio: unde ſinus Adulicus Ptolemæo.

c *Colche*] An Colchi, emporium Indiæ intra Gangem, hodie Cochinum? an Coche? quæ & Seleucia, Ammiano XXIV. quam puto Colchos nominari a Procopio lib. 1.

d *Patale*] Pattala oppidum inſulæ Pattalenes, quam Indus facit, celeberrimum emporium.

e *Patalate*] An, ſicut Plinius ſcribit, Indum duas inſulas facere, Praſianen & Patalen, duo quoque illic ſunt oppida, Patale & Patalate? An Avalite legendum? An potius Attalia, celebris Pamphyliæ urbs, cum Tharſis ſubjiciatur?

f *Talloni*] Forte Thali Plinio, qui ab oriente Caſpii maris fauces attingunt.

g *Copretes*] Coprates amnis eſt Mediæ, à quo forte urbs nomen accepit. Tropatene & Atropatene, ſatrapia Mediæ.

h *Carmeniæ*] Carmania metropolis regionis Carmaniæ. Ammianus XXIII.

i *Oſtraciæ*] Forte Oſtracine.

k *Ætergite*] An Evergetæ?

l *Falſagadæ*] Forte Paſargadæ.

m *Tharchi*] F. Turci, quos ad Mæotim Plinius ponit citra Ariumphæos.

n *Cumi*] An Cumæ Gedroſiæ? an Cumæ Phœnicæ, cujus meminit lib. Notitiarum? an Cumi populi Æthiopiæ, Plinio lib. 6? an Cumania ad Caucaſum?

o *Damphe* & *Salphamie*] Hæc duo nomina, ut multa alia, in hoc auctore mihi ignota ſunt: ſi tamen conjecturis locus eſt, forte pro Damphe Pamphilia ponetur,

Digitized by Google

tur, niſi oppida hîc enumerarentur: urbs Theſſaliæ, cujus Cæſar meminit.

p *Salphamie*] An Selgenſes?

q *Eudæmona*] Eudæmon vicus maritimus Arabiæ Eudæmonos, quondam urbs, 1200 ſtadis ab Oceli diſtat. Arrianus in Periplo maris Rubri. Meminit etiam Mela urbis Arabiæ in Arabia.

r *Mache*] Macæ, populi Arabiæ felicis, Mela teſte. Mace item promontorium oppoſitum promontorio Carmaniæ Harmozonta: Mela, Plinius, Ptol. Et Mathæ gens Indiæ, apud quos Erineſes oritur. Arrianus in Indiæ deſcriptione.

ſ *Aniſauge*] Auge urbs ad oſtia Tigridis, ab Æthico poſtea nominabitur.

t *Perſis*] Supra nominavit Perſepolim. itaque hîc aliam metropolimPerſidis intelligendam puto.

v *Filinei*] Lego Elymæi.

x *Adiabæ*] Lego Adiabene, quem Ammianus à Diavas & Adiavas fluminibus dictam ſcribit.

y *Charta*] Carræ Meſopotamiæ, quæ etiam in lib. Notic. Charta nominatur.

z *Daphen*] Daphne: puto autem ſignificari Antiochiam Epidaphnen.

a* *Mopſi*] Mopſucrene, Mopſueſtia.

b* *Amphimoli*] An Amphimalum Cretæ oppidum, an Amphipolis ad Euphratem, ante Thapſacus dicta? (Plin. lib. 5. cap. 24.) an Anchialos?

c* *Pyrrhenum* &

d* *Eleuſinum*] Non dubito hæc nomina mendoſe ſcripta. quid ſi legamus, Parætonium? quod alibi Partheno nominat & Peluſium: præſertim cum Coptos ſequatur.

e* *Lignido*] Lychnidus.

*Oceani*

*Oceani orientalis flumina ſunt* ,

| | |
|---|---|
| Theriodes , | Suſa , |
| Exos , | Chryſorhoas , |
| Figoton , | Tigris , |
| Ganges , | Alibotra , |
| Cameſtes , | Odiopagitæ , |
| Fluvius Sigota , | Auxius , |
| Hydaſpes , | Pactolus , |
| Euphrates , | Chryſos , |
| Armodius , | Eleuther , |
| Carmanta , | Adonis , |
| Cortachia , | Iordanis. |

Hæc ſunt flumina Oceani orientalis,quæ ſuperius continentur. Tamen ne diligens eorum ortus, curſus merſuſq; requirat lector ſtudioſus , etiam illud quam potero breviter demonſtrabo,rurſuſq; ad initium fluminum ſupraſcriptorum revertens,ita :

Fluvius *a* THERIODES naſcitur ex tribus locis in campis Scythicis,& unus effectus circuit millia DCCCCXLII.& ingreditur in mare Caſpium.

Fluvius EXOS naſcitur de monte Cameſte : in quinque alveos dividitur , & tranſeunt omnes per montem Caucaſum, qui locus appellatur *b*Seleantes.fundunt ſe in flumen magnum , qui appellatur Ganges.Hic eos excipiens currit millia DCXXVI mergitur in mare Oceani orientalis , ſub inſula quæ appellatur Solis.

Fluvius FIGOTON naſcitur de monte

Caucaſo, & geminatur, & facit coronam, & montem occupat ſupraſcriptum, & occurrit ei ex una parte ejus montis fluvius Neſteſanes, & ad illa quinque flumina, quæ dicta ſunt ſuperius, fluvius Seliantes per ea torrens tranſit: ita ut nec illorum aqua nec iſtius ſupervenientis miſceri videantur: & omnes iter ſuum agentes, revertuntur ad eandem coronam, unde ſparſi dividebantur, & iterum ad unum revertuntur: & ante eos exit fluvius Ganges, cui adjungitur alius cum capitibus quinque quæ reliquerat.

Fluvius SIGOTA ex alia parte montis Caucaſi naſcitur. Hic etiam ſe ad unum jungens, effectus unus de octo. Occurrit ei Ganges, qui & Padus dicitur: itemque duo alii occurrunt anonymi: & effecti decem, tranſeunt ad oppida Palatæ & Palalitæ, & poſt omnes decem unum faciunt fluvium. Vnde conſtat Gangem decem fluminibus adimpleri, qui in ſuperioribus partibus Sigota vocatur, quoniam de una nympha meant. Currit undecies quadringenta quinquaginta tria millia, ſexcentos trieras, unum paſſum: egeritur in mare Oceani orientalis ad inſulam Sylephantinam.

Fluvius c HYDASPES naſcitur in campis Indorum tribus crinibus. Hic ſe cominus

minus adunans,unus efficitur,& inundans omnem regionem Indorum, currit millia DCCCXIIII. & immergit ſe Oceano orientali.

Fluvius *d* EVPHRATES naſcitur in campis Indiæ , & diſcurrens per eandem provinciam, currit millia DCXII. & infundit ſe mari Oceano orientali ſub inſula *e* Theron.

Fluvius ARMODIVS naſcitur in Æthiopia : inluſtrans regionem Adonis & Meſopotamiam , currit millia DCCXXIV. & accipitur ſinu Perſico.

Fluvius CARMANTA naſcitur in campis Commagenæ: currit millia DCLXXIII idem etiam in ſinum Perſicum excipitur.

Fluvius CORTACHIA provinciæ Mediæ naſcitur in campis Arabicis : currit millia DCCCCXVIII. & ingreditur ſinum Perſicum.

Fluvius *f* SVSA in Media provincia naſcitur bicornius : efficitur unus : currit millia DIV. deſcendit in ſinum Perſicum.

Fluvius CHRYSORHOAS naſcitnr in campis Aſſyriis de monte Caucaſo : vicinatur & ei Tigris fluvius.

Fluvius *g* TIGRIS,etiam ipſe de monte Caucaſo quaſi viſitur natus : cum æſtivis temporibus ſub humo eum deſuper Æthiopiam currere ex viriditate ſuperni ceſpi-

tis prodatur : fluvius ſubditus latenter erumpit, & ob hoc ortus ejus non comprehenditur, quoniam de obſcuritate promitur. nam ambo includunt *h* Cordubennam oppidum, & ad unum redacti, magnam faciunt coronam, ut etiam alia oppida includant, & Theſiphon & Seleuciam, currentes millia DCCCLXXXII. immerguntur ad Auge oppidum, quod eſt in ſinu Perſico.

Fluvius *i* ALLBOTRA naſcitur ex monte Lyſæo : currit millia DCCXVI. immergitur in orientalem Oceanum.

Flumina tria ODIOPAGITÆ dicta ex campis Indiæ naſcuntur : currunt millia CCII. & feſtinantes recipiuntur ab Oceano orientali.

Fluvius *k* AVXIVS naſcitur de monte Armeno : tranſiens per montem Caucaſum ad Meſopotamiam pergit : in ea vero provincia alius ei adjungitur fluvius.

PACTOLVS, qui dicitur ex ipſo monte Caucaſo naſci : & effecti unum, per Parthos tranſeuntes eorum curſus congregant aquas. Ibi flumen Euphrates nomen accepit, & exinde ſe diffundens currit millia DCCCLXXII. & mergitur in ſinum Perſicum.

Fluvius CHRYSOS naſcitur in campis Syriæ, peragrans omnes ejus civitates, currit

currit millia DCCCXXX. vergit ſe in Ægæum mare juxta Cyprum inſulam.

Fluvius ELEVTHER naſcitur in campis Syriæ: currit millia DCXXX. recondit ſe in Ægæo mari ſub inſula Cypro.

Fluvius ADONIS naſcitur prope Tyberiadem: currit millia DCCCLXIII. & late diffuſus in mare Adriaticum excipitur contra inſulam Cretam.

Fluvius IORDANIS naſcitur ſub Libano monte: circumpergit ad lacum Tyberiadem: de quo exiens ſuo curſu occurrit ad Scythopolim, quam ſecans mediam, & ab ea exiens, effunditur Mari mortuo.

a *Theriodes*] Hunc arbitror eſſe Rha fluvium.

b *Seleantes*] Forte eſt Silia Straboni, fluvius in montibus Indiæ, in quo nihil innatat.

c *Hydaſpes*, &c. *tribus crinibus*] Malim Crunibus legere: ſed cum poſtea de Danubio loquens, dicat, ex ipſo ſeptem crines fluminum procedere, nihil mutare volui.

d *Euphrates*] Euphratem in India naſci, & per eam provinciam currere ſcribit. quod non video quomodo defendi poſſit. Porro inſula, quam

e *Theron* nominat, aliis Teredon dicitur.

f *Suſa*] Intelligo fluvium, juxta quem eſt Suſa urbs: hoc eſt Eulæum: quem bicornem dicit, quoniam duos habet fontes: unum in Suſiana, alterum in Media, Zagro monte, qui infra Suſa in unum confluunt.



Digitized by Google

g *Tigris*] Tigrim in voragines incidere,& longo ſpatio ſubter terram deſerri, ac juxta Chalonitim rurſus exoriri, Strabo prodidit. Idem refert opiniones quorundam, qui exiſtimant fluvios Cœloſyriæ ex lacubus Euphratis & Tigridis oriri, & longe ſubter terram fluere. Attamen quo modo per Æthiopiam currat Tigris, non video, niſi Æthiopum nomine Arabes intelligamus, qui etjam in S. literis Chus, hoc eſt Æthiopes, nonnunquam vocantur.

Porro *Chryſorhoas*] Cujus hîc meminit, alius eſt, à Chryſorhoa cujus Ptolemæus meminit, qui Damaſcum præterfluit, quem noſter Chryſon nominat.

h *Cordubenna*] Oppidum haud dubie ſitum fuit in Corduenna provincia Tranſtigritana,cujus Ammianus meminit. Forte Cordyene, quamvis hæc ſit cis Tigrim.

i *Alibotra*] Forte is fluvius, qui juxta Palibothra urbem Indo miſcetur. Lyſæum montem arbitror hunc eſſe quem Plutarchus De fluminibus Lilæum vocat, Indo flumini adjacentem.

k *Auxius*] Euphratem initio Auxium vocari ait. Plinius ſcribit Euphratem Pixiratem primo nominari, deinde Omirram, ubi Taurum interrumpit, ubi perfregit Euphratem. Quod autem Euphratem per Parthos fluere ſcribit,non de Parthia proprie dicta ſed de Parthico regno accipiendum eſt.

*Oceanus Orientalis habet gentes,*

| | |
|---|---|
| Perſas, | Anthropophagos, |
| Græcos, | Iſauros, |
| Scythas, | Beſſos, |

Sara-

Digitized by Google

Saracenos,
Indos,
Iſquiteos,
Cummos,
Suroitanos,
Dervicas *a*,
Paſſitas *b*,
Paroſmos,
Anaitacas *c*,
Gelonos,
Caraſmos *d*,
Maſſagetos,
Paroparſoſianos *e*,
Dacrianos *f*,
Draumedas,
Spircentes,
Vamuotos,
Arogotos *g*,
Acianos *h*,
Orocenos *i*,
Anidroſos *k*,
Arabos *l*,
Sitticenos *m*,
Armodias,
Hictiopagos,
Parthos,
Idumæos,
Hieormices,
Cattigaucos *n*,
Ceriſſos *o*,
Vſippos,
Quados,
Vaccæos *p*,
Vardæos,
Friſiones,
Cannifates,
Allobroges,
Alaudes,
Ruthrenos,
Theothonos,
Cimbros,
Antequinos *q*,
Cœnomannos,
Odicenſes,
Velhados.

a *Dervicas*] Derbices prope Hyrcanos ad Oxum fluvium ſiti fuêre. Plinius, Ptolemæus, Strabo. Dionyſius Dercebios vocat.

b *Paßitas*] Forte Paſicas, ad Oxios montes, Ptol.

c *Anaitacas*] F. Anariacos, prope Hyrcanos Plinio & Solino. Straboni, Andriacæ, vel Araciatici.

d *Caraſmos* ] Choraſmii prope Sogdianam, Dionyſ. Plin.

e *Paroparſoſianos* ] In manuſcripto exemplari hæc vox, ut mendoſa, notata eſt adjectis punctis, quæ indicare videntur primas quatuor literas redundare. Forte Paropamiſadæ. Vel Soſiani poſiti ſunt pro Sogdiani, quale mendum etiam eſt apud Melam: Gandari, (inquit) Paricani, Bactri & Suſiani, Pharmacotrophi. Enumerat eo loco mediterraneas gentes: at Suſiani ad ſinum Perſicum porriguntur. deinde quid Suſiani hîc ponuntur inter Bactros & Pharmacotrophos, gentem Scythicam, cum tam longe à Scythis diſtent? omnino itaque apud Melam legendum eſt Sogdiani: hîc autem dubito utrum Paropamiſadas, an Sogdianos ponam.

f *Dacrianos* ] Lego Bactrianos.

g *Arogotos* ] Forte Arachoſios: quorum urbs Arachotus.

h *Acianos* ] F. Arianos.

i *Orocenos* ] F. Oſroënos.

k *Anidroſos* ] F. Gedroſi, qui recte etiam Anydroſi dici poſſunt, quoniam aquarum penuria laborant.

l *Arabos* ] An Arabes? an Arbies? ad Arbim fluvium, qui Arabius, & populi Arabes ab Arriano nominantur.

m *Sitticenos* ] Sittacene, Aſſyriæ regio, quæ etiam Apolloniatis dicitur, & Arbelitis & Palæſtine: Ptol. Strabo, Plinius.

n *Cattigaucos* ] An Cattos & Cauchos? Sed quid hi ponuntur inter gentes orientalis Oceani? Idem de quibuſdam aliis gentibus, quæ ſequuntur, quæri poteſt. An Catacetos, apud Plin. an Cattigara?

o *Ceriſ-*

o *Ceriſſos* ] An Cyrreſtas, an Coraxios?

p *Vaccaos* &

*Vardaos* ] Vaccæi & Varduli populi ſunt Hiſpaniæ: ſed hi in occidente, nihil ad orientalem Oceanum pertinent. Vardæi Liburnorum gens ſunt: Vadæi à Plinio in Arabia felice ponuntur.

q *Antequinos* ] In M. C. ad marginem annotatum fuit, vel Aquitani: ſed non video quomodo Aquitani populis Oceani orientalis attribui poſſint: niſi forte quia Hiſpani ad orientē poſiti ſunt.

## OCCIDENTALIS OCEANI SITUS.

*Oceani occidentalis continentia habet*

| | |
|---|---|
| Maria XI. | Oppida CXXVIII. |
| Inſulas XVI. | Flumina XIII. |
| Montes XVI. | Gentes XLIV. |
| Provincias XXXVI. | |

*Ita Oceani occidentalis maria ſunt,*

| | |
|---|---|
| Mare Tyrrhenum, | Mare Orcadum, |
| Mare Adriaticum, | Mare Gaditanum. |

*Item huc pertinent maria,*

| | |
|---|---|
| Ionicum & Ægeum, | Mare Britanni *b*, |
| Mare Lautades *a*, | Mare Columnas, |
| Mare Tillæ, | Herculis fretum. |

a *Mare Lautades* ] Arbitror Leucadium mare ſignificari, quod ab occaſu Epirum alluit.

b *Mare Britanni* ] In M. C. mare Tritani, vel Britanni.

*Oceani occidentalis ſamoſæ inſulæ ſunt*,

Hyberus *a*,
Mevania,
Britannia,
Heboſo *b*,
Balearis minor,
Corſica,
Orcades,
Illyricum *b*,
Noricum,
Ingeonici *d*,
Hiſtrici *e*,
Matronæ *f*,
Fiotiæ *g*,
Martianæ,
Iuliæ *k*,
Smingaulc.

a *Hyberus*] Forte Hybernia.

b *Heboſo*] Ebuſus.

c *Illyricum* & *Noricum*] Quomodo inter inſulas numerentur non video. Malim pro Illyrico Ilvam ponere, & pro Norico Oricum: quod quondam inſula fuit, poſtea continenti junctum eſt, ut Plinius refert lib. 2. niſi Illyrici nomine inſulas ſinus Adriatici intelligere maluerimus. nam Plinius ſcribit, Illyrici oram mille amplius inſulis frequentari, lib. 4. cap. 26, & Norici nomine inſulas Norici non quidem maritimas, ſed Danubii fluminis.

d *Ingeonici*] Forte Ionici, vel Ionicæ, inſulæ Ionum.

e *Hiſtrici*] Forte Iſtriam intelligit, quæ peninſula eſt, aut inſulas juxta Iſtrorum agrum, quarum Plinius in fine 3. libri meminit: aut inſulam Iſtrum, cujus meminit Stephanus, quæ ſita eſt juxta Triopium Cnidiæ.

f *Matronæ*] An forte Mona?

g *Fiotiæ*] Vel Fionæ.

h *Iuliæ*] Forte Gades intelligit, ubi urbs Iulia Gaditana. vel Co inſulam, in qua Iulis, patria Simonidis & Bacchylidis poëtarum.

Ocea-

Digitized by Google

*Oceanus occidentalis habet ſamoſos montes,*

Trienum *a*,
Alpes plurimas,
Apenninum,
Balearem,
Emum,
Rhodopem,
Albanum,
Pyrenæum,
Marſos,
Taburnum,
Cyminum,
Soractina *b*,
Olympum,
Ocranum,
Tarinum *b*,
Ficla.

a *Trienum*] An Tridentum, ſeu Alpes Tridentinæ?

b *Soractina*] Vel Soractum. hoc enim nomen in margine M. c. ponitur.

c *Tarinum*] Intelligo Taurinum, ſeu Alpes Taurinorum.

*Oceanus occidentalis habet provincias,*

Italiam,
Hiſpaniam,
Bethicam,
Luſitaniam,
Galliciam,
Aquitaniam,
Britanniam,
Germaniam,
Galliam Belgicam,
Galliam brachatam,
Galliam comatam,
Galliam togatam,
Galliã Ciſalpinam,
Galliã Trãſalpinam,
Pannoniam,
Rhetiam,
Ciatres *b*,
Hetruriam,
Vmbriam,
Picenum,
Liburniam,
Dalmatiam,



Digitized by Google

Illyricum,
Noricum,
Venetias,
Æmileam,
Semigallias *c*,
Sabinas,
Samnium,
Campaniam,
Brutios,
Lucaniam,
Apuliam,
Calabriam,
Hadriæ.

a *Galliam Ciſalpinam* ] Ad marginem M. c. notatum erat Tranſcampanam, vel potius Tranſpadanam Galliam hoc loco inſerendam eſſe: eſt autem hæc pars Ciſalpinæ.

b *Ciatres* ] Quænam hæc ſit provincia, ignoro: ac dubito an pro Rhætia hoc nomen poſitum ſit.

c *Semigallias* ] Senogallia.

*Oceanus occidentalis habet famoſa oppida*,

Ravennam,
Aquileiam,
Mediolanum,
Arelatum.
Ticinum,
Ariminum,
Calpos *a*,
Calpis,
Cordubam,
Betones,
Toletum,
Bracaram,
Lucuſam,
Auguſtam,
Vacam,
Celtiberiam,
Cæſarea-Auguſtam,
Tarraconam,
Hiſpalin,
Cæſareacum,
Ambianis,
Tungri,
Agrippinam,
Triverim,
Sirmium,
Senones,
Auguſtodunum,

Augu-

Auguſta Nemetum,
AuguſtaTaurinorū,
Lugdunum,
Magonciacum,
Viennam,
Maſſiliam,
Altinum,
Veronam,
Taurinum *b*,
Vincentiam,
Doronam,
Henemonam,
Cremonam,
Pataviam,
Brixiam,
Dertonam,
Concordiam,
Mantuam,
Vercellis,
Laude,
Mutinam,
Faventiam,
Iader,
Salone,
Bregantium,
Laiſer,
Viminatium,
Peice *c*,
Singidunum,
Nirſiam *d*,
Siſciam,
Alincum,
Brigentionem,
Argentorato,
Carnunto,
Sabariam,
Pœtavionem,
Bonameto,
Argentariam,
Sauromacum,
Nemauſum,
Dorocordoros,
Amambriam,
Sanctones,
Lingones,
Menapum,
Betos,
Nepe,
Sutrium,
Bleram,
Forum Veaſſi *e*,
Forum Sempronii,
Forum populi *f*,
Forum Cornelii,
Forum Flaminii,
Forum novum,
Forum ſubverte,
Spolitium,
Harniam,
Interamnam,

Bulſi-

Bulſinis,
Aretium,
Penetreg,
Cumulo-mutuſco,
Aquino,
Abellino,
Teleſe,
Albano,
Aritiam,
Coræ,
Bellitras,
Terracinam,
Antium,
Hoſtiam,
Fundis,
Formias,
Venturnas,
Capuam,
Neapolim,
Ardeam,
Cumas,
Acerras,
Nolam,
Caudi,
Beneventum,
Ecas *h*,
Erdonam,
Aufidenam,
Sulmonam,
Venafri,
Luceriam,
Nuceriam,
Arpos,
Corfinios,
Lupias,
Tarentum,
Odrunto,
Canuſium,
Marcellianum *i*,
Salernum.

a *Calpos* &

*Calpis*] Calpe mons, & in ejus radicibus urbs Calpe vetuſta, & haud abjecta, Hiſpanorum quondam navale. Strabo lib. 3.

b *Taurinum*] Supra nominavit Auguſtam Taurinorum, quæ etiam Taurinum nominatur. itaque hoc loco intelligendum puto Taurinum Pannoniæ, quod Aurinum etiam ab Antonino nominatur.

c *Peice*] Peuce: & ita legitur in Danubii deſcriptione.

d *Nir-*

d *Nirſiam*] Nurſiam.

e *Forum Veaßi*] F. Forum Caſſi.

f *Forum populi*] In quinque proximis urbium nominibus in noſtro exemplari legitur Foro, ut Foro populi, Foro Cornelii : ſed ex Cuiacii exemplari adnotatum erat Forum populi, &c. idque ſequuti ſumus.

g *Penetre*] Ita in noſtro exemplari legitur: ſed alia manu annotatum erat Peneſtre, Præneſte.

h *Ecas*] Antonino Eſcas : hinc Æcani Plinio dicti.

i *Mercellianum*] Vel Macellianum.

*Oceani occidentalis flumina ſunt,*

| | |
|---|---|
| Betis, | Geon, |
| Tagus, | Bicornius, |
| Minius, | Danubius, |
| Hyberus, | Draus, |
| Araris, | Suanus, |
| Rhodanus, | Trimon, |
| Garumna, | Tyberis. |

Hæc ſunt flumina Oceani occidentalis famoſa. Nam ſi ejus flumina omnia requirantur, nec charta nec manus ſufficeret. Tamen ne nominatorum fluminum etiam in hac parte ortus, curſus, occaſuſque requirat diligentia ſolers lectoris, etiam in hoc ſatisfacere procurabo, pauliſper ad eorum initium recurrens, ſingula ſuo ordine monſtraturus, ita :

Fluvius BETIS naſcitur in campis Hiſpaniæ :

ſpaniæ: currit millia CCCII. occidit in Oceano occidentali.

Fluvius MINIVS naſcitur prope Pyrenæum: in rotunditatem vertitur, ut Brigantium oppidum maritimum includat: currit millia CCCX. & ſic in Oceano occidentali recipitur.

Fluvius HYBERVS naſcitur ſub radicibus montis Pyrenæi: currit millia CCIV. infundit ſe occidentali Oceano.

Fluvius *a* ARARIS naſcitur à Pœtavione veniens, relicta cauda ortus ſui: ſtatim ei fluvius

RHODANVS occurrit, & ſimul unum faciunt: in mare ingrediuntur egreſſi Arelatum. Sed hunc, quem fluvium Bicornium diximus, ante conjunctionem Rhodani in ſupernis aliud nomen accepit præter Bicornium. nam in provincia Germania fluvius Rhenus dicitur, alibi, ut diximus, Bicornius, alibi fluvius Araris appellatur. Ita ergo hic fluvius tribus nominibus nuncupatur, cum ſit unus & dimidius. quod Araris, ut ſupra diximus, ducit à mari Pœtavionenſi uſque ad mare Tyrrhenum contra inſulas Baleares: ejus autem medietas habet aculeum pertortuoſum Lugduno, ubi naſcitur. Vbi autem inruit, utrum in Oceanum occidentis, an in mare Tyrrhenum, in præſen-

præſente poteſt videri, quia ab aqua ad aquam videtur currere. Pergit millia DCCCLII.

Fluvius *b* RHODANVS naſcitur in medio campo Galliarum, & occurrit ei Bicornius ſupra dictus, curſu merſuque quo diximus.

Fluvius GARVMNA naſcitur in campis Aquitaniæ: currit millia CCVII. influit Oceano occidentali.

Fluvius *c* GEON naſcitur in Galliarum campis. influit Oceano occidentali: currit millia CCCCII.

Fluvius qui BICORNIVS dicitur, naſcitur in campis Germaniæ: inundans eandem regionem à Petabio: currit millia CCCCII.

Fluvius DANVBIVS naſcitur ex Alpibus: procedens geminatur, & effecti duo. 1. Danubius &

DRAVS, includunt intra ſe Pannoniarum plurimas civitates, id eſt, Acintum, Præcetionem, Carnuntum & Severiam: & redeunt in unum qui fuerant duo: & per non parvum adunati; currunt per longam rotunditatem. quæ rotunditas etiam oppidum Peuce includit, & ex ipſo fluminali circulo ſeptem crines fluminum procedunt infundentes ſe

in

ſe in Pontum. Ergo conſtat Danubium exeuntem de Alpibus in proximo Draum cedere, ſed unus diffunditur per crines ſupraſcriptos: currit millia DC.

Fluvius *d* SVANVS naſcitur in Norico de monte Alpion, currens in campis in modicam rotunditatem: concludit ſe in modum viſionis amigdalæ, & iterum circumactus per Sirmium oppidum & Singidunum coloniam, jungit ſe Danubio ad locum Murſæ oppidi: & omnes ſimul in Pontum ingrediuntur, & vocatur fluvius Iſter. Apparet autem Danubiũ & Draum & Margum ſimul in Pontum emergere: currunt undecies nongenta octoginta millia.

Fluvius *e* TRIMON naſcitur in campis Dardaniæ: currit millia DCCCCVII. influit in Ægæum mare.

Fluviorum rex pulcher TIBERIS, cui primatum æternæ urbis Romæ ſingularis tribuit magnitudo, naſcitur ex monte Apennino: currit millia CCCC. per Vrbem ſacram geminatur, & facit inſulam regioni quartædecimæ, ubi duo pontes appellantur. Poſt iterum ubi unus effectus per pontem Lepidi, qui nunc abuſive à plebe Lapideus dicitur, juxta forum boarium, quem Cacum dicunt, tranſiens, adunatur, gratiſſimo ſono depictus verticibus ſuorum

rum turbinum, & maritimas naves ſuſcipiens, & mediterraneas adducens, de Etruria, vel Sabinis, ingreſſus per divi Apoſtoli Petri portam, intra Oſtienſem portam, quæ eſt divi Pauli Apoſtoli, & viam portuenſem, quæ eſt ſancti Fœlicis martyris, urbem egreditur, quâ naves de portu urbis ad dominam totius mundi Romam aſcendunt. Hîc iterum circa ſextum Philippi, quod Prædium miſſale appellatur, geminatur, & in duobus ex uno effectus, inſulam facit inter portam Vrbis & Oſtiam civitatem: ubi populus Romanus cum Vrbis præfecto, vel conſule, *f* Caſtorum celebrandorum cauſa egreditur ſolennitate jucunda. Inſula vero quam facit intra Vrbis portum & Oſtiam civitatem, tantæ viriditatis amœnitatiſque eſt, ut neque æſtivis menſibus, neque hyemalibus paſturæ admirabiles herbas dehabeat: ita autem vernali tempore roſa, vel cæteris floribus adimpletur, ut præ nimietate ſui odoris & floris inſula ipſa Libanus almæ Veneris nuncupetur.

a *Araris naſcitur à Pœtavione,* &c.] Quæ de Arari ſcribit, ingenue fateor me non aſſequi, neque ſcire de quo Pœtavione loquatur. Quod vero Ararim, Rhodanum & Rhenum quaſi confundit, manifeſtus error eſt. In Helvetiis maximus fluvius Arula Rhenum ingreditur. hinc forte error ortus

Digitized by Google

ortus eſt, quod hunc forte aliqui etiam Ararim nominarunt.

b *Rhodanus* ] Hujus quoque ortus male deſcribitur. non enim in Galliarum campis, ſed ex ſummis Alpibus apud Leopontios Viberos oritur.

c *Geon* ] Forte Ligeris erit, aut Sequana,

d *Suanus* ] Hic Plinio & Straboni Saus vel Savus nominatur.

e *Trimon* ] Strimon.

f *Caſtorum celebrandorum* ] In altero exemplari legitur Caſtrorum, ſed malo Caſtorum. videtur autem feſtum indicare Majumæ, de quo Suidas, Majumas, inquit, feſtum fuit Romæ Majo menſe, quo principes civitatis Oſtiæ, quæ maritima urbs eſt, delitiis vacantes alii alios in marinas aquas conjiciebant.

*Oceanus occidentalis habet gentes*,

Gothos,
Thuringos,
Herulos,
Sarmatas,
Marcomannos,
Longobardos,
Suevos,
Alanos,
Francos,
Alamannos,
Tolofantes,
Gentes *a* IX. Populum Narbonẽſem, qui ſunt gentes IX.

Milita marino *b*,
Ritianum,
Morinos,
Amſibarios,
Langiones,
Burgundiones,
Gippidas *c*,
Armolaos,
Manianos.
Quadivaſtos,
Necapidulos,
Hettios,
Gypæos,
Hunos,

Satu-

Saturianos,
Françiſcanos *d*,
Rugos,
Haſmos, vel Hamos:
Varros,
Tungros,
Baſternas,
Carpicotos,
Senatum populumq;
Romanū, gentemque togatam.

a *Gentes* IX. *populum*, &c.] Populi inter Ligerim & Garumnam, qui Aquitaniæ ab Auguſto attributi ſunt, Plinio teſte: poſtea peculiaris provincia facta eſt Novempopulana, ſive Narbonenſis tertia. Libellus Provinciarum Galliæ, & Notic. lib.

b *Milita marino*, *Ritianum*] Videtur omnino nomen hoc mendoſum eſſe: ſed quid ſubſtituam, dubito. an Limes Armoricanus? an Armoritianos, quorum Iornandes meminit?

c *Gippidas*] Gepidæ aliis dicuntur.

d *Franciſcanos*] Arbitror Franciſcanos à Francis denominatos eſſe ſic etiam in libro Noticiarum in Dacia Ripenſi nominantur Daciſci, nomine haud dubiè à Dacis deducto.

## OCEANI SEPTENTRIONALIS SITUS.

*Oceanus ſeptentrionalis habet*

Maria IX.
Inſulas XXIV.
Montes XI.
Provincias XII.
Oppida L.
Flumina XIX.
Gentes XXIX.

*Oceani*

*Oceani ſeptentrionalis maria ſunt hæc,*

Hirtilum *a*,
Pontum,
Mare Mæotis,
Boſphorus,
Mare Phores *b*,
Cymericum,
Mare Thracium,
Propontidis,
Boſphoron.

*Scholia in ſitum Oceani ſeptentrionalis.*

a *Hirtilum* mare] Lego Myrtilum: quod & Myrtoum à Myrtilo dictum. nam poſt mentionem facit Cycladum, quæ jacent in Myrtoo mari, ut etiam Antoninus docet.

b *Mare Phores*] Mare Pharium, cujus Dionyſius meminit, ac poſt Creticum mare inquit ſequi duo maria, Pharium & Sidonium: ubi Euſtathius interpres annotat, Pharium mare veteres Parthenium ſinum vocaſſe: & quemadmodum Sidonium & Iſſicum mare à Sidone & Iſſo civitatibus nomina acceperunt, ſic etiam Pharium dici ab Alexandrina Pharo.

*Oceanus ſeptentrionalis habet famoſas inſulas,*

Cyclades *a*, & cum his alias 11.
Ebogea, vel Eubogea,
Delos,
Ippopodes,
Rhodos,
Cypros *b*,
Item Cypros, vel Paphos,
Paphies.

a *Cyclades*, &c.] Cycladum nomina cum ab aliis auctoribus peti poſſunt, tum ab Antonino noſtro,

Digitized by Google

noſtro, qui Cyclades aliaſque inſulas quarum hîc ſit mentio, enumerat. Quod autem *b Cyprum* bis ponit, & Paphum atque Paphies, non videtur mendo carere. Antoninus, Inſula, inquit, Cyprus, ſive Paphos, Veneri conſecrata. Quid ſi altero loco pro Cypro Scyros legatur? pro Paphies, Paros, marmore candidiſſimo, quod Parium dicitur, celebris?

*Oceanus ſeptentrionalis famoſos montes habet,*

Hyperboreum,
Ryphæum,
Hipanim,
Caucaſum,
Hemum,
Taurum,
Germania minor *a*,
Euodum *b*,
Æthnam,
Cavinaſtes *c*,
Gratus *d*.

a *Germania minor*] In margine adnotatum eſt in M. C. Armenia minor: & hæc lectio placet. etſi enim Germania ſeptentrionalis provincia eſt, tamen nullus (quod ſciam) mons hoc nomen habet: at Armenia minor etiam hîc inter provincias Oceani ſeptentrionalis numeratur, & mons Armonius, ſeu Armenius, idem nomen habet cum provincia, qui ſupra inter orientis montes nominatus eſt.

b *Euodum*] Forte legendum Emodum.

c *Cavinaſtes*] Inter orientis montes Caumeſtes nominatus fuit.

d *Gratus*] Lego Cragus, quod nomen eſt monti in Lycia. quam partem Tauri facit Pomponius & Plinius: meminêre hujus etiam Horatius & Ovidius.

*Ocea-*

Digitized by Google

*Oceanus ſeptentrionalis habet provincias*,

Macedoniam,
Achaiam,
Aſiam,
Lyciam,
Galatiam,
Paphlagoniam,
Bithyniam,
Lydiam,
Pamphyliam,
Cappadociam,
Thracias,
Armeniā minorem.

*Oceanus ſeptentrionalis habet famoſa oppida* L.

Heracliam,
Serdiceam,
Peliam *a*,
Theſſalonicam,
Birithos,
Chalcedonam,
Nicomediam,
Hamiſos,
Commanos,
Tharſos,
Pompeiopolim,
Olympos,
Cybariam *b*,
Araxatam *c*,
Ticinum *d*,
Nuceriam,
Sindi *e*,
Tauriam,
Sinde,
Alexandricindus *f*,
Æternaſos *g*,
Milidos,
Epheſos,
Cerciram *h*,
Cœleſyrie *i*, vel Cœliaſæ,
Sextos *k*,
Quidicos,
Ilium,
Troiam,
Helide,
Troas,
Anterenon, vel Anteronon,
Nichiā, vel Nicheā,
Tariſſam *l*,
Focis,
Cirram,
Deleis,
Botroton,

Acro-

Acroceraunium,
Dyrrachium,
Athenæ,
Brithothæ,
Iſcion,
Arce,
Theceas *m*,
Maleon,
Candiacam,
Philopolis,
Chryſopolis,
Eliopolis *n*.

a *Peliam*] Forte Pellam.

b *Cybariam*] Malim Cybiram, oppidum Lycaoniæ, vel ex unius Ciceronis ſcriptis ſatis notũ.

c *Araxatam*] Stephanus meminit Araxæ urbis Lyciæ: item Artaxata Armeniæ à Strabone, Stephano & aliis, celebratur: eamque ut celebriorem hic commemorari puto.

d *Ticinum* &

*Nuceriam*] Sunt hæ civitates Italiæ ſatis notæ: ſed cum Italiam non numeret inter provincias ſeptentrionalis Oceani, non video cur hîc commemorentur: itaque locum mendoſum puto. Pro Nuceria malim Ancyram ſubſtituere.

e *Sindi* &

*Sinde*] Meminit Ptolemæus Sindæ oppida in India: ſed id nihil ad hunc locum: item Sindæ oppida Sarmatiæ Aſiaticæ, quod Plinius Sindicam vocat: à quo Sindicus ſeu Sindiacus portus Ptolemæo & Straboni: cujus forte hic meminit. Eſt etiam ſatis nota Synnada, Aſiæ minoris urbs, in qua conventus habebatur à proconſulibus: de hac an loquatur auctor noſter, dubito. Meminit etiam Plinius Sindæ, oppidi Lycaoniæ, in confinio Galatiæ & Cappadociæ, & Side, oppidi Pamphyliȩ.

f *Alexandricindus*] De hoc quoque nomine dubito num forte duo nomina in unum confuſa ſint, & ex Cnido Cindus facta.



Digitized by Google

g *Æternaſos* ] Forte Halicarnaſſus.

h *Cerciram* ] Si liceret, pro Cercira libenter nomen aliquod oppidi in Aſia minore ſubſtituerem, vel Thyatira, vel Coricum Ciliciæ, &c.

i *Cœleſyriæ, vel Cœliaſæ* ] Quid ſi Clazomene legamus, aut Lampſacum ? niſi quis malit Zeliam ad Helleſpontum legere, aut Celænæ, vel Coloſſæ, quæ ſunt Phrygiæ oppida à Plinio commemorata.

k *Sextos, Quidicos* ] Forte Seſtus & Cyzicus.

l *Tariſſam* ] Lege Lariſſam.

m *Thecas* ] Forte Thebas : vel Lechæum, præſertim cum ſequatur Maleon. Plinius Peloponneſi latitudinem metitur à promontorio Maleæ ad oppidum Lechæum Corinthiaci ſinus.

n *Eliopolis* ] Forte Juliopolis : quæ urbs Bithyniæ, ut & Chryſopolis, à Plinio commemoratur. Heliopolis enim ( ſive Ægyptiam intelligas, ſive Syriacam, juxta quam Orontes oritur ) ad hanc enumerationem non pertinet. Neque Solos Ciliciæ hîc ſignificari puto, patriam Chryſippi: quam Heliopolim quoque vocat Solinus.

*Oceanus ſeptentrionalis habet flumina,*

| | |
|---|---|
| Tanaim, | Percium, |
| Boryſthenem, | Acheloum, |
| Mæotidem, | Alpheum, |
| Nain, | Eurotas, |
| Theſimon, | Rudacum, |
| Faſſin, | Hermunam, |
| Choreſtem, | Meandrum, |
| Timnim, | Surum, |
| Gaddum, | Haſdrubelam. |
| Peramos, | |

Hæc

Digitized by Google

Hæc ſunt flumina Oceani ſeptentrionalis: tamen ne quis etiam in his ortus, curſus, occaſuſque requirat, pauliſper ad eorum regreſſus exordium, dicere non morabor.

Fluvius *a* TANAIS naſcitur de monte Hyperboreo, quâ ſunt Riphæi in monte Surdo: fluit in paludibus Mæotidis: currit millia DCLIV.

Fluvius BORYSTHENES naſcitur de monte Hyperboreo: influit in Pontum; currit millia CCX.

Fluvius MÆOTIS naſcitur de monte Spano: influit in mare Mæotis: currit millia CCIV.

Fluvius NAIS naſcitur de monte Tauro: influit in mare Ponticum: currit millia CCV, vel CCCV.

Fluvius THESIMON naſcitur de monte Caucaſo, & egeritur in mare Ponticum: currit millia CCX.

Fluvius FASSIS naſcitur in campis ſub monte Caucaſo: egeritur in mare Ponticum: curcit millia CCCV.

Fluvius CHORETES naſcitur de monte Tauro: fluit in mare Tyrrhenum, ubi eſt inſula Rhodos: currit millia DCCCXV.

Fluvius TIMNIS naſcitur de monte Tauro: fluit in mare Tyrrhenum ad Cycladas: currit millia CCCCXXII.

Flivius GADDVS naſcitur de monte Tauro : influit in mare Cycladum : currit millia ccxxx.

Fluvius *b* SPIRAMOS naſcitur de monre Tauro:influit in mare Adriaticum contra inſulã Cyprum: currit millia cccxxII.

Fluvius *c* PERCIVS naſcitur de monte Ida Macedoniæ provinciæ : influit in mare Ægæum : currit millia DCII.

Fluvius ACHELOVS naſcitur in campis Epiri : influit in mare Ionicum : currit millia DCCXC.

Fluvius ALPHEVS naſcitur in campis Achaiæ : influit in mare Tyrrhenum:currit millia ccccLXX.

Fluvius EVROTAS naſcitur in campis Phrygiæ : influit in mare Helleſpontum : currit millia cccc.

Fluvius RVDACVS naſcitur in campis Syriæ: influit in mare Helleſpontum:currit millia cccc.

Fluvius HERMVNAS naſcitur in campis Aſiæ ; influit in mare Cycladum: currit millia DIX.

Fluvius MEANDRVS naſcitur in campis Aſiaticis, bicornius : currit, quaſi ſint duo redigentes ſe in unum : influit in mare Cycladum : currit millia DCCCCXCVII.

Fluvius SVRVS naſcitur in campis Pamphyliæ :

phyliæ: per anfractus tortuoſos influit in mare inſulæ Rhodos : currit millia ccccxxII.

Fluvius ASDRVBELA naſcitur de monte Boduo : influit in mare Caſpium, irrumpens montem Caucaſum : currit millia cccxvI.

a *Tanais, &c. quâ ſunt Riphæi in monte Surdo*] Locus videtur mendoſus : neque montis Surdi ullus, quod ſciam, meminit. malim legere, quâ ſunt Riphæi montis ardua. ita enim poſtea de ortu Tanais loquitur in deſcribendis Europæ limitibus.

b *Fluvius Spiramos*, &

c *Percius*] Alii ſcriptores Piramum & Sperchium vocant. Itaque librarii culpa videtur S litera permutata ab uno ad alterum nomen: Cæterum Sperchium in monte Pelio oriri, & in Maliacum ſinum effluere Strabo tradit.

*Occeanus ſeptentrionalis habet gentes,*

| | |
|---|---|
| Scythas, | Theſmonos, |
| Narbonas *a*, | Roddacos, |
| Staaſtenes, | Xantibbos, |
| Madeos *b*, | Symoes, |
| Sauromatas *c*, | Leucofirimanes, |
| Ecatas *d*, | Fosfulgoritas *f*, |
| Eunicos, | Scytheicumos, |
| Colchos, | Dervicas *g*, |
| Phaſias, | Raſicas *h*, |
| Barbaros albos *e*, | Seres, |
| Ignobiles, | Terimodes, |

Anartices, Sogatonos,
Coraſmias, Bactrianos,
Maſſagetas, Tauromedas.
Baroponiſſos,

a *Narbonas* ] A Plinio Napæi inter gentes circa Mæotim habitantes enumerantur.

b *Madeos* ] An Mardi? an Mædi Dardanis & Triballis vicini ſupra Macedoniam?

c *Sauromatas* ] Horum nomen notum. alii tamen ſunt à Sarmatis, Plinio auctore.

d *Ecatos*

*Eunicos* ] Nomina ſunt mihi incognita. Ad nomen quidem prius alludunt Acte vel Actea, quod olim fuit nomen Atticæ: & Ecatea inſula, quæ poſt Eubœa dicta eſt. ſed neque nomina vetera & inuſitata Æthicum proferre voluiſſe crediderim, neque in medio barbarorum Græcos ponere. Pro Eunicis malim Heniochos ponere, qui inter Acheos & Colchos ponuntur à Dionyſio & Strabone.

e *Barbaros albos* ] Quærendum an hic intelligendi ſint qui ad Boryſthenis oſtia Leucem inſulam inhabitant: an Leucoſyri, qui Cappadoces nuncupati ſunt: an Hunni Euthalitæ, qui Hunni albi vocantur: de quibus Procopius lib. 1. belli Perſici.

f *Fosfulgoritas* ] Boſphorani noti ſunt, qnorum etiam meminit Cicero Pro lege Manilia. Dicuntur etiam Boſphoritæ, & Boſphorii & Boſphoriani. Meminit autem Euſtathius in Dionyſium: & Stephanus, Phoſphorii loci prope Byzantium, qui nomen accepit à face quam Hecate è foſſa oſtendit, cum Philippus cuniculo acto Byzantium capere conaretur.

g *Dervi-*

Digitized by Google

g *Dervicas* ] Stephanus Delbicas nominat, gentem vicinam Hyrcanis: & ait à Cteſia Derbios & Terbiſſos nominari. Hi ſunt, ut arbitror, quos Dionyſius Dercebios vocat. hos ſupra numeravit inter gentes orientalis Oceani.

h *Raſicas* ] Forte Lazicas. meminit Lazorum Plinius. Lazices & Lazorum frequens mentio eſt apud Procopium & Byzantinæ hiſtoriæ auctores.

## OCEANI MERIDIANI CONTINENTIA.

*Oceanus meridianus habet*

Maria II.
Inſulas XVII.
Montes VI.
Provincias XII.
Oppida LXIV.
Flumina II.
Gentes Mazices multas.

*Occanus meredianus habet maria,*

Mare Carpathium & Tyrrhenum.

*Oceani meridiani inſulæ ſunt,*

Sicilia,
Pontia,
Carpathos,
Pantatoria *a*,
Sardinia,
Corſica,
Galata,
Capraria *b*,
Fortunatæ *c*,
Egilio,
Coſroſa *d*,
Inara *e*,
Syrtis major,
Loci Capri *f*,
Syrtis minor,
Catabathmon *g*,
Girbe *h*.

Anartices, Sogatonos,
Coraſmias, Bactrianos,
Maſſagetas, Tauromedas.
Baroponiſſos,

a *Narbonas* ] A Plinio Napæi inter gentes circa Mæotim habitantes enumerantur.

b *Madeos* ] An Mardi? an Mædi Dardanis & Triballis vicini ſupra Macedoniam?

c *Sauromatas* ] Horum nomen notum. alii tamen ſunt à Sarmatis, Plinio auctore.

d *Ecatos*

*Eunicos* ] Nomina ſunt mihi incognita. Ad nomen quidem prius alludunt Acte vel Actea, quod olim fuit nomen Atticæ: & Ecatea inſula, quæ poſt Eubœa dicta eſt. ſed neque nomina vetera & inuſitata Æthicum proferre voluiſſe crediderim, neque in medio barbarorum Græcos ponere. Pro Eunicis malim Heniochos ponere, qui inter Achęos & Colchos ponuntur à Dionyſio & Strabone.

e *Barbaros albos* ] Quærendum an hic intelligendi ſint qui ad Boryſthenis oſtia Leucem inſulam inhabitant: an Leucoſyri, qui Cappadoces nuncupati ſunt: an Hunni Euthalitæ, qui Hunni albi vocantur: de quibus Procopius lib. 1. belli Perſici.

f *Fosfulgoritas* ] Boſphorani noti ſunt, qnorum etiam meminit Cicero Pro lege Manilia. Dicuntur etiam Boſphoritæ, & Boſphorii & Boſphoriani. Meminit autem Euſtathius in Dionyſium: & Stephanus, Phoſphorii loci prope Byzantium, qui nomen accepit à face quam Hecate è foſſa oſtendit, cum Philippus cuniculo acto Byzantium capere conaretur.

g *Dervi-*

Digitized by Google

g *Dervicas* ] Stephanus Delbicas nominat, gentem vicinam Hyrcanis: & ait à Cteſia Derbios & Terbiſſos nominari. Hi ſunt, ut arbitror, quos Dionyſius Dercebios vocat. hos ſupra numeravit inter gentes orientalis Oceani.

h *Raſicas* ] Forte Lazicas. meminit Lazorum Plinius. Lazices & Lazorum frequens mentio eſt apud Procopium & Byzantinæ hiſtoriæ auctores.

## OCEANI MERIDIANI CONTINENTIA.

*Oceanus meridianus habet*

| | |
|---|---|
| Maria II. | Oppida LXIV. |
| Inſulas XVII. | Flumina II. |
| Montes VI. | Gentes Mazices multas. |
| Provincias XII. | |

*Oceanus meredianus habet maria,*

Mare Carpathium & Tyrrhenum.

*Oceani meridiani inſulæ ſunt,*

Sicilia,
Pontia,
Carpathos,
Pantatoria *a*,
Sardinia,
Corſica,
Galata,
Capraria *b*,
Fortunatæ *c*,
Egilio,
Coſroſa *d*,
Inara *e*,
Syrtis major,
Loci Capri *f*,
Syrtis minor,
Catabathmon *g*,
Girbe *h*.

# SCHOLIA IN SITUM
## *Oceani meridiani.*

a *Pantatoria*] Plinius Pandatariam nominat: Ptolemæus Pandatoriam: Antoninus Pandaterirам. eſt autem in Puteolano ſinu, nunc Palmaria.

b *Capraria*] Unam è Fortunatis inſulis Caprariam nominari Plinius ſcribit, ſed hujus non fit mentio hoc loco, cum inſulæ tantum Tyrrheni & Carpathii maris nominentur. Alia eſt Capraria, vicina Corſicæ, cujus idem meminit, quam Græci Ægylon dixêre: cujus hîc mentionem fieri puto. Ægylos autem alia eſt ab Egilio.

c *Fortunatæ*] Quam inſulam hîc Fortunatam nominet incertum eſt: ſed Fortunatas inſulas Oceani Atlantici non ſignificari hoc loco certum eſt.

d *Coſroſa*] In margine M. c. Coſſora: Plinio, ut arbitror, Coſyra, Straboni Corſura, inter Siciliam & Africam, ſicut & Galata, quæ Ptolemæo Calathe dicitur.

e *Inara*] Ænariam, ut arbitror, intelligit, Homero Inarimen dictam, Græcis Pithecuſam, à figlinis doliariorum, non à ſimiarum multitudine, ut aliqui exiſtimavêre: Plin. lib. 3. cap. 6.

f *Loci Capri*] Capreæ vel ex vita Tiberii Cæſaris notæ ſunt: verum aliam inſulam ſignificari puto, quando inter duas Syrtes ponitur. &, ſi licet conjecturas afferre, libenter Lotophagitis legerem, quæ Meninx etiam dicitur, ſita inter Syrtes, cujus meminit Plinius lib. 5. cap. 6.

g *Catabathmon*] Catabathmos finis eſt Cyrenaicæ, oppidum & vallis repente convexa. Cur autem Catabathmon inter inſulas numeret, neſcio, niſi

Digitized by Google

ſcio, niſi forte propter difficilem propter arenas acceſſum: qua re inſulæ ſimilis eſt.

h *Girbe*] Hanc puto eſſe quæ Gerbi hodie dicitur: quam quidam Lotophagitem, alii Cercicam eſſe volunt.

*Oceani meridiani montes ſunt,*

Pyramides,
Peronicæ,
Pãteus, vel Panceus,
Perratus *a*,
Atlas,
Corveſſa, vel Corvena.

a *Perratus*] Lego Ferratus. meminit autem Ferrati montis Mauritaniæ Ammianus lib. 19. huic contiguum fuiſſe ſcribit oppidum Tubuſuptum.

*Oceanus meridianus habet provincias,*

Ægyptum,
Æthiopiam,
Africam,
Getuliam,
Leugi,
Numidiam,
Libyam,
Pentapolim,
Tripolim,
Mauritaniã Cæſareã,
Mauritaniã Sitiſensẽ.

Provincias Oceani meridiani duodecim eſſe ſcribit noſter Æthicus, ſed tantum XI. enumerat. videtur autem in hac enumeratione omiſſa eſſe Byzacena provincia, quæ ſuum conſularem habuit, & cujus poſtea meminit in deſribendo ſitu Africæ & populis ejus.



Digitized by Google

*Oceanus meridianus habet oppida*,

Arabiam *a*,
Nitiobres *b*,
Foſſam Traiani,
Thebeas *c*,
Thebais,
Beronicen,
Ammon,
Tholomaidis,
Cyrenæ,
Fileno,
Naretæ,
OEa,
Rabratam, vel Sabratam,
Leptis magnam,
Thacapas,
Diſdum *d*,
Thenis,
Tapſos,
Leptis minorem,
Hadrumetum,
Neapolin,
Clypeis,
Carthaginem,
Vticam,
Hippone Zarito,
Tharbacam,
Ippone regio,
Ruſiccade,
Calli,
Saldis,
Quinquegentiani,
Ruſuccura,
Tipaſa,
Cæſarea,
Chartennas,
Portus magnus,
Experides *e*,
Ballos *f*,
Laribus,
Siccenſ.
Obla *g*,
Suſulis,
Aſſuris,
Zama regia,
Sufibus,
Ruffetula,
Cilio,
Theleptis,
Capſæ,
Admedera,
Theſueſtis,
Madauros,
Tuburficunu, vel Tuburſicumi,
Midorum,

Ca-

Calaman, Sitifi,
Conſtantinam, Magri,
Mileu, Tavi, vel Zabi,
Tamugade, Tabuſutia,
Lambeſæ, Bioa *h*.

a *Arabia*] Mela meminit Arabiæ urbis, in Arabia: & ſupra nominavit Eudæmona inter urbes Orientis.

b *Nitiobres*] Quinam iſti ſint, ignoro, an Nitriotæ, an Nitibrum, oppidum Garamantum, Plinio.

c *Thebeas*,

*Thebais*] Thebais nominatur ſumma pars Ægypti contermina Æthiopiæ: peculiaris provincia ducem habuit, ſub cujus diſpoſitione inter alios milites fuit Leg. III. Diocletiana Thebis, ut Notic. liber tradit. Sunt autem Thebæ Ægyptiacæ veteribus celebratæ: itaque prius nomen ad Thebarum urbem refero, poſterius ad provinciam.

d *Diſdum*] Forte Tiſdrum ſeu Tuſdrum.

e *Experides*] L. Heſperides.

f *Ballos*] Forte eſt Antonino Bulla regia, vel vallis.

g Obla] Fortè Coba municipium.

h *Bioa*] Aliis Bida.

*Oceanus meridianus habet flumina duo,*

Nilum & Bagradam.

Horum NILVS, qui & Geon appellatur, de ſecretioribus promit: ſed in exordio in Æthiopia videtur, & facit lacum magnum, qui currit in circulo, inſtagnans

millia CLIIII, & exiens de eo lacu, pervenit ad cataractas veteriores: conficit millia CCCCLIIII.

Fluvius BAGRADA cum proviciæ Africæ nobiliſque & unicus ſit, cur à majoribus inter fluvios non nominatus ſit, ignoramus.

*Oceanus meredianus habet innumerabiles gentes,*

quæ nec colligi numero, nec exiſtimari aut comprehendi præ interjacentibus eremis poſſunt.

## ALIA TOTIVS ORBIS DESCRIPTIO.

HANC quadripartitam totius terræ continentiam hi qui dimenſi ſunt, longe majores noſtri, tripartitam reputari definierunt, inveſtigantes univerſum orbem Oceani maris limbo circundatum: eaſque tres partes, Aſiam, Europam & Africam, reputaverunt. Quanvis non defuerunt qui duas partes (ſicut diximus) perhiberent, Aſiam & Europam. Africam vero in Europam adjiciendam definierunt: quia & ſpatio latitudinis caret, & cœli male ſubjacet climati, laborans aëribus ſuis, venenis fuciſque repleta immanium & incognitarum humano generi innumerabilium beſtiarum. Sed ad propoſitum remeantes,

meantes, abſque ullorum præjudicio, qui hoc omne totum duas partes eſſe voluerunt, tripartitam diviſionem dicere incipiam.

ASIA tribus partibus Oceano circumcincta, per totam tranverſi plagam orientis extenditur. Hæc occaſum verſus à dextra ſui, ſub axe ſeptentrionis incipientem contingit Europam: a ſiniſtra autem Africam dimittit: ſub Ægypto & Syria, mare noſtrum, quod Magnum generaliter dicimus, habet.

EVROPÆ incipit initium ſub plaga ſeptentrionali a fluvio Tanai, quà Riphæi montis ardua Sarmatico adverſa Oceano Tanaim fluvium fundunt: qui præteriens aras ac terminos Alexandri Magni Macedonis in *a* Rhobaſcorum finibus ſitas, Mæotidas auget paludes, quarum immenſa inundatio juxta Theodoſiam urbem Euxinum Pontum late ingreditur. Hinc juxta Conſtantinopolim longe mittuntur anguſtiæ, donec eas mare hoc quod dicimus noſtrum, accipiat: cui Europæ in Hiſpania occidentalis Oceanus terminus eſt apud Gades iuſulam, ubi Herculis viſuntur columnæ, & Tyrrheni maris faucibus Oceani æſtus immittitur.

AFRICÆ principiũ eſt à finibus Ægypti urbiſ-

urbiſque Alexandriæ, ubi Partheno civitas ſita eſt, ſuper hoc. mare magnum, quod omnes plagas terraſque medias interluit. Vnde per loca quæ Catabathmon vocant, jam procul à caſtris Alexandri Magni, & ſuper c lacum Galearum, deinde juxta ſuperiores fines Avaſitarum miſſa in tranſverſum per Æthiopiæ deſerta meridianum contingit Oceanum. Terminus Africæ eſt qui & Europæ: id eſt, fauces Gaditani freti. Vltimus autem finis ejus eſt mons Atlas, & inſulæ quas Fortunatas vocant.

Breviter trium inter ſe partium diviſiones diximus: ſed ne quid ad pleniſſimam inſtructionem deſit, ipſarum quoque partium regiones, ſitus & provinciarum terminos demonſtrabo, ut abſque faſtidio univerſa lector agnoſcat, vel numerum gentium commanentium.

## SCHOLIA IN ALIAM TOTIUS ORBIS DESCRIPTIONEM.

Sequens orbis deſcriptio extat etiam apud Oroſium lib. 1. cap. 2. An autem Oroſius hæc ab Æthico ſumpſerit, an hic ab illo, affirmare non poſſum: mihi tamen veriſimile ſit, Æthicum altero antiquiorem eſſe, ideoque hæc Æthici eſſe. Exordium etiam hujus deſcriptionis non totum legitur in Oroſio.

a *Rhobaſcorum*] In Oroſio legitur Roxolanorum. Meminit autem Ptolemæus Rhoboſcorum, quos

quos ponit juxta orientaliores Rha fluvii fontes.

*b Partheno*] In Oroſio legitur Paratonium: ſed ego nihil muto. video enim mare Ægyptiacum, Parthenium etiam nominari ab Ammiano Marcellino lib. 22. & ab Euſtathio in commentariis Dionyſianis. Et noſter poſtea Libyam inquit incipere à Parthenio civitate, ubi iterum in Oroſio Paratonii nomen ponitur.

c *Lacum Galearum*] Hic lacus in Oroſio nominatur Caleartium, & in margine duæ aliæ lectiones adnotatæ ſunt, Alearſum, vel Chalearſum.

## ASIÆ PROVINCIÆ SITVS CVM LIMITIBVS ET POPVLIS SVIS.

ASIA à media fronte in oriente habet in Oceano Eoo oſtia fluminis Gangis: à ſiniſtra, promontorium *a* Calidardam: cui ſubjacet ad Eurum inſula Taprobane, ex quo Oceanus Indicus vocitari incipit. dextra habet *b* Imai montis jugum, ubi Caucaſus deficit ad promontorium Samara, quod Aquiloni ſubjacet, ad oſtia fluminis *c* Octacordis, ex quo Oceanus Sericus appellatur. In his finibus India provincia eſt, quæ habet ab occidente flumen Indum, quod Rubro mari accipitur: à ſeptentrione montem Caucaſum. Reliqua ejus, ut dixi, Eoo & Indico Oceano terminantur. Hæc habet gentes numero XLIV. abſque inſula Taprobane, quæ habet decem civitates, abſque reli-

quis

quis civitatibus quæ in aliis habitabilibus inſulis illic ſunt.

A flumine Indo *d*, qui eſt ab oriente, uſque ad flumen Tigrim & Caucaſum, regiones ſunt, Aracoſia, Syria & Media, ſitu terrarum montuoſo & aſpero. Hæc à ſeptentrione habet Caucaſum, à meridie, Mare rubrum & ſinum Perſicum. In medio autem ſui habet flumina principalia, Hydaſpem & Carbim: in his habitant gentes XXXII. Sed generaliter Parthia dicitur, quanvis univerſæ ſcripturæ ſæpe Mediam vocant.

A fluvio Tigris uſque ad flumen Euphraten Meſopotamia eſt, incipiens à ſeptentrione inter montem Taurum & Caucaſum, cui à meridie ſuccedit Babylonia: deinde Chaldæa: noviſſimè Arabia eudæmon, quæ inter ſinum Perſicum & ſinum Arabicum anguſto terræ tractu orientem verſus extenditur. *e* In his ſunt gentes XXXIII.

Item à flumine *f* Euphrate, quod eſt ab oriente uſque ad mare noſtrum, quod eſt ab occaſu, deinde à ſeptentrione & Euphrate, id eſt, à civitate Adcuſa, quæ in confinio Cappadociæ ſita eſt, haud procul à loco ubi Euphrates naſcitur, uſque ad Ægyptum & extremum ſinum Arabicum, qui eſt à meridie, longo anguſtoque ſulco

ſulco ſaxis inſuliſque creberrimo, à mari Rubro, id eſt ab Oceano, occaſum verſus extenditur. Syria generaliter nominatur, habens maximas provincias, Commagenam, Phœniciam & Palæſtinam, abſque Saracenis & Nabatæis, quorum gentes ſunt numero XII.

In capite Syriæ Cappadocia eſt, quæ habet ab oriente Armeniam, *g* ab Aquilone Themiſcyrios campos & mare Cimmericum: ab occaſu Aſiam, à meridie Taurum montem, cui ſubjacet Cilicia & Iſauria uſque ad Cilicum ſinum, qui ſpectat contra inſulam Cyprum.

Aſia regio *h*, vel (ut proprie dicam) Aſia minor, abſque orientali parte uſque ad Cappadociam Syriamque protenditur undique circumdata eſt mari: à ſeptentrione Ponto Euxino, ab occaſu Propontide & Helleſponto, à meridie mari noſtro, ubi eſt mons Olympus.

Ægyptus inferior eſt, quæ habet ab oriente Syriam Palæſtinam, ab occaſu Libyam, à ſeptentrione mare Tyrrhenum, à meridie montem qui appellatur Climax, & Ægyptum ſuperiorem, fluviumque Nilum, qui de littore incipientis maris Rubri videtur emergere in loco qui dicitur Moſſylon emporium: deinde diu ad occaſum profluens facit inſulam nomine Merhoën

Merhoën in medio ſui: noviſſimè à ſeptentrione inflexus, tempeſtivis auctus incrementis plana Ægypti rigat. Hunc aliqui actores haud procul ab Atlante monte fontem habere dicunt, & continuò terræ immergi: inde interjecto brevi ſpatio latiſſimo lacu exundans, *i* atque hinc in Oceanum orientem verſus per Æthiopica deſerta prolabitur. Rurſus inflexus à ſiniſtra ad Ægyptum deſcendit. Quod quidem verum eſt eſſe hujuſmodi fluvium maniſeſtum & magnum, qui tali ortu talique curſu ſit ut Nilos intelligatur. nam & monſtra & cætera ſimilia gignit, qui utique prope fontem barbaris Dara nominatur: *k* Nuchul cæteri accalæ vocant. Sed hinc in regione gentium, quæ Libya Ægyptia vocatur, haud procul ab illo fluvio quem à littore maris Rubri porumpere diximus, immenſo lacu acceptus abſumitur. niſi forte in ejus meatu occulto, in alveo ejus qui ab oriente deſcendit, eructat.

Ægyptus ſuperior in orientem per longum extenditur, cui eſt à ſeptentrione ſinus Arabicus, à meridie Oceanus. nam ab occaſu ex inferiore Ægypto incipit, ab oriente, Rubro mari terminatur, ubi morantur diverſarum nationum gentes numero XXIIII. Et quia à meridiana parte univerſam Aſiam deſcripſimus, ſupereſt

ut ab

Digitized by Google

ut ab oriente & ſeptentrione partes quæ reſtant expediantur.

Mons CAVCASVS inter Colchos, qui ſunt ſuper Cimmericum mare, & inter Albanos, qui ſunt ad mare Caſpium, primum attollitur. cujus quidem uſque in ultimum orientem unum videtur jugum, ſed multa ſunt nomina: & multi hoc jugum Tauri montem credi volunt, quia revera Parchoatras mons Armeniæ intra Taurum & Caucaſum medius continuare Taurum cum Caucaſo exiſtimatur. Sed hoc non ita eſſe diſſcernit fluvius Euphrates, qui à radice Parchoatræ montis effuſus in meridiem tendens, ipſum ad ſiniſtram, Taurum excludit ad dexteram. Itaque ipſe Caucaſus inter Colchos & Albanos, ubi & portas habet, mons Caucaſus dicitur: à portis Caſpiis uſque ad fontem Tigridis fluminis, inter Armeniam & Iberiam, montes Acroceraunii dicuntur: à fonte Tigridis uſque ad Chartas civitatem inter Maſſagetas & Parthos, mons Ariobarzanes: à Carris civitate uſque ad oppidum Catippi, inter Hyrcanos & Bactrianos mons *l* Menalius, ubi amomum naſcitur: in quo proximum jugum mons Partao dicitur. Ab oppido Catippi uſque ad vicum Saphrim inter *m* Dapſaſſa Cauracas & Parthenaſis mons Oſchobaris:

ubi

ubi Ganges fluvius oritur, quem & Padum dicunt. A fonte fluminis Gangis uſque ad fontes fluminis Ottorogorræ, qui ſunt à ſeptentrione, ubi ſunt montana Paropamiſſadæ, mons Taurus: à fontibus Ottorogorræ uſque ad civitatem Ottorogorram inter Hunnos & Scythas & Gandaridas mons Caucaſus. Vltimus autem inter Eoas & Paſiadras mons Imaus, ubi flumen Chryſorrhoas & promontorium Samara orientali excipiuntur Oceano. Igitur à monte Imao, h. e. ab imo Caucaſo, & dextra orientis parte, qua Oceanus Sericus tenditur, uſque ad promontorium Boreum & flumen Boreum, & inde tenus Scythico mari, quod eſt à ſeptentrione uſque ad mare Caſpium, quod eſt ab occaſu, & uſque ad extentum Caucaſi jugum, quod eſt à meridie, Hyrcanorum & Scytharum gentes ſunt XLII, propter terrarum infœcundam diffuſionem late oberrantes.

Mare Caſpium ſub Aquilonis plaga ab Oceano oritur, cujus utraque circa Oceanum littora & loca deſerta incultaque habentur. inde meridiem verſus per longas anguſtias tenditur, donec per magna ſpatia dilatatum, Caucaſi montis radicibus terminetur. Itaque à mari Caſpio, quod eſt ad orientem, per oram Oceani ſeptentriona-

trionalis, uſque ad Tanaim fluvium, & Mæotidas paludes, quæ ſunt ad occaſum, per littus Cimmerici maris, quod eſt ab Aphrico uſque ad caput & portas Caucaſi, quæ ſunt ad meridiem, gentes ſunt XXXIIII. Sed generaliter regio proxima, Albania ulterior, ſub mari & monte Caſpio, Amazonum nuncupatur.

## *Scholia in Aſiæ ſitum.*

a *Calidardam*] In Oroſio Caligardama & Calligicum legitur: Ptolemæo videtur Corii nominatii, Plinio Colaicum.

b *Imai montis*] In Oroſio Emodi montes nominantur, ubi Caucaſus deficit, attamen apud eundem poſtea ſcribitur, Imaum vocari, ubi promontorium Samara orientali excipitur Oceano.

c *Octocordis*] Hunc fluvium Oroſius Ottorogorram nominat, quod montis nomen eſt Ptolemæo: ab eo autem inter præcipua flumina Sericæ nominatur Oechardes.

d *A flumine Indo, &c.*] Proximam Indiæ facit Parthiam: huic attribuit Arachoſiam, Syriam & Mediam. In Oroſio additur Perſis, & Aſſyria rectius loco Syriæ ponitur. In Iſidoro (qui non pauca ex Æthico deſcirpſit) ſic legitur, Parthia ab Indiæ finibus uſq; ad Meſopotamiam generaliter nominatur. propter invictam enim virtutem Parthorum, & Aſſyriæ & reliquæ proximæ regiones ejus nomen traxerunt. ſunt in ea, Aracuſia, Parthia, Aſſyria, Media & Perſida: quæ regiones ſibi invicem conjunctæ, initium ab Indo flumine ſumunt, Tigri clauduntur, locis montuoſis & aſpe-

Digitized by Google

& aſperioribus ſitæ, habentes fluvios Idaſpem & Arbem.

e *In his ſunt gentes* XXXIII] In Oroſio duntaxat XXVIII gentes numerantur.

f *Item à flumine Euphrate, &c.*] Syriæ finis eſt à ſeptentrione Cappadocia & Armenia: itaque malim legere in Æthico, A ſeptentrione ab Armenia, id eſt, à civitate Adcuſa, &c. ſed cum aliter habeat manuſcriptus codex, nihil mutare volui. In Oroſio ſic legitur, Deinde à ſeptentrione, id eſt, à civitate Daſcuta, vel Dazuſa, quæ in confinio Cappadociæ & Armeniæ ſita eſt.

Ac paulo poſt, *Longo anguſtoque ſulco, ſaxis inſuliſque creberrimo, à mari Rubro, id eſt ab Oceano*: & hîc in M. C. alia lectio adnotata eſt, Longo anguſtoque ſulco ſaxis incluſus uſque ad Rubrum mare ab Oceano occaſum verſus, &c. Cæterum utraque lectio ad ſinum Arabicum refertur. quod ſi pauca immutentur, ad regionis deſcriptionem hæc referri poſſint, nempe, Longo anguſtoque ſulco ſaxis incluſa à mari Rubro, id eſt, ab Oceano, ad occaſum verſus extenditur. Sic Iſidorus, Situs ejus (loquitur autem de Syria) porrectus in immenſam longitudinem, in lato anguſtior.

g *Ab aquilone Themiſcirios campos*] In M. C. Ethemiſcirios legitur: in Iſidoro, qui hæc ad verbum tranſcripſit, & Hemiſciorios, vel Cemeſcerios habetur.

h *Aſia regia, &c. abſque orientali parte, &c.*] Legendum, Ab orientali parte: vel, Abſque orient. parte, qua uſq; ad, &c. atque ſic in Oroſio legitur.

i *Atque in Oceanum orientem verſus, &c.*] Alii hîc legunt, Oceano tenus orientem verſus

k *Nuchul cæteri accolæ*] In noſtro codice legebatur, Nilum vocant: ſed ex Mela & Oroſio Nu-

chul

chul repoſui, qui Nilum ab accolis ita vocari tradunt.

l *Menalius*] In Oroſio, Memarmali.

m *Dapſaſſa*] In Oroſio, Dahas ac Auracas & Parthyenas.

Quæ proximè ſequuntur uſque ad Europæ deſcriptionem, ex Oroſio addidimus.

## EVROPÆ SITVS CVM LIMITIBVS SUIS ET POVULUS.

EXpliciti ſunt, quanquam breviſſime, fines Aſiæ: nunc EVROPAM, in quantum conditioni humanæ conceditur, indicabo: in qua nobis Italia reputatur. Incipit à montibus Riphæis, â flumine Tanai Mæotiiſque paludibus quæ ſunt ad orientem, per littus ſeptentrionalis Oceani, uſque in Galliam Belgicam, & flumen Rhenum quod eſt,ab occaſu: deinde uſque ad Danubium, quem & Iſtrum vovocant, qui eſt à meridie, & ad orientem directus,Ponto ſuſcipitur. Hinc ab orientem Alania eſt, in medio Dacia, ubi eſt Gothia: deinde Germania, ubi plurimam partem Suevi tenent: quorum omnium gentes ſunt LIIII. Nunc quicquid a barbarico Danubius uſque ad mare noſtrum interrumpit, expediam.

*a* MOESIA ab oriente habet oſtia fluminis Danubii: ab euro Thraciam, à meridie

ridie Macedoniam, ab Africo Dalmatiam, ab occaſu Iſtriam, à circio Pannoniam, à ſeptentrione Danubium.

*b* THRACIA habet ab oriente Propontidis ſinum, & civitatem Conſtantini, quæ Byzantium prius dicta eſt: à ſeptentrionen Dalmatiam habet & ſinum Euxini Ponti: ab occaſu Africo Macedoniam, à meridie Ægæum mare.

MACEDONIA habet ab oriente Ægæum mare, à borea Thraciam, ab euro Eubœam & Macedonicum ſinum, à meridie Achaiam & Ægæum mare: à favonio montes Acroceraunios, in anguſtiis Adriatici ſinus, qui montes ſunt contra Apuliam atque Brunduſium: habet ab occaſu Dalmatiam, à circio Dardaniam, à ſeptentrione Mœſiam.

*c* ACHAIA undique propemodum cincta eſt mari. nam ab oriente habet Myrtoum mare, ab euro mare Creticum, à meridie Ionium, ab Africo & occaſu habet Cœphaliam & Caſſiopiam inſulas; â ſeptentrione ſinum Corinthum: ab aquilone anguſtum terræ dorſum, quod quidem Macedoniæ conjungitur, vel potius Atticæ, qui locus Iſthmos vocatur, ubi eſt Corinthus: hîc eſt in Attico ad boream non longe civitas Athenæ.

DALMATIA habet ab oriente Macedoniam,

doniam, ab aquilone Dardaniam, à ſeptentrione Mœſiam, ab occaſu Iſtriam & ſinum Liburnicum, & inſulas Liburnicas, à meridie Adriaticum ſinum.

PANNONIA NORICVS & RHÆTIA habent ab oriente Mœſiam, à meridie Iſtriam, ab Africo *d* Alpes Penninas, ab occaſu Galliam Belgicam, à circio fontem Danubii, & limitem qui Gallias & Germaniam à Danubio dirimit: à ſeptentrione habet Danubium & Germaniam.

ITALIÆ venerabilis & ſingularis ſitus à circio in eurum tenditur: habet ab Africo Tyrrhenum mare, à borea Adriaticum mare, in ſinu cujus continenti terræ contigua eſt, ubi Alpium obicibus cingitur, quæ à Gallico mari ſuper Liguſticum ſinum exſurgunt: hinc incipiunt Narbonenſium fines: deinde Galliam Rhætiamque ſecludunt, *e* in ſinum Liburnicum.

GALLIA Belgica habet ab oriente limitem fluminis Rheni & Germaniam: ab euro Alpes Penninas, à meridie provinciam Narbonenſem, ab occaſu provinciam Lugdunenſem, à circio Oceanum Britannicum, à ſeptentrione Britanniam inſulam.

Gallia Lugdunenſis ducta per longum eſt, & per anguſtum inflexa: Aquitani-



Digitized by Google

cam provinciam ſemicingit: quæ ab oriente habet Belgicam, à meridie partem provinciæ Narbonenſis, qua Arelas civitas ſita eſt, ubi mari Gallico Rhodanus flumen accipitur.

Narbonenſis provincia, pars Galliarum, habet ab oriente alpes Cottias: ab occidente Hiſpaniam, à circio Aquitaniam, à ſeptentrione Lugdunenſem, ab Aquilone Galliam Belgicam, à meridie mare Gallicum, quod eſt inter Sardiniam & inſulas Balearias. Huic ſunt in fronte, qua Rhodanus fluvius in mare exit, inſulæ Sthœchades.

Aquitania provincia obliquo curſu Ligeris fluminis, qui ex plurima parte terminus ejus eſt, in orbem agitur. Hæc à circio Oceanum habet, qui Aquitanicus ſinus dicitur: ab occaſu, Hiſpanias: à ſeptentrione & oriente, Lugdunenſem, ab euro & meridie Narbonenſem provinciam contingit.

HISPANIA univerſa terrarum ſitu trigona, & circumfuſione Oceani Tyrrhenique pelagi pene inſula efficitur. Hujus angulus prior ſpectat orientem, à dextris Aquitanicam provinciam, a ſiniſtris Balearico mari Narbonenſiũ finibus coatratus ingreditur. Secundus angulus intendit, ubi Brigantia civitas ſita eſt Galliciæ, ac al-

ac altiſſimum fanum : & inter pauca memorandi operis ad ſpeculam Britanniæ erigitur. Tertius angulus ejus eſt, quo Gades inſulæ in Africam intentæ, Atlantem montem interjecto ſinu Oceani proſpiciunt. Hiſpania citerior ab oriente incipit ex Pyrenæis ſaltibus : à parte ſeptentrionali uſque ad Cantabros Aſtureſque, atque per Vaccæos & Oretanos, quos ab occaſu habet, poſita in noſtri maris littore Charthago determinat. Hiſpania ulterior habet ab oriente Vaccæos, Celtiberos & Oretanos : à ſeptentrione Oceanum, ab occaſu Oceanum, à meridie Gaditanum Oceani fretum, unde mare quod Tyrrhenum vocatur, ſemittitur.

Et quoniam Oceanus habet inſulas Britanniam & Hyberniam, quæ in averſa parte Galliarum ad proſpectum Hiſpaniæ ſitæ ſunt, breviter explicabuntur.

BRITANNIA Oceani inſula per longum in boream extenditur. Habet à meridie Gallias: cujus proximum littus tranſmeantibus civitas aperit, quæ dicitur Rutubi portus : unde haud procul à Morinis in auſtro poſitos Menapos Batavoſque proſpectant. Hæc inſula habet in longo millia paſſuum DCCC, in lato millia CC.

A tergo, unde Oceano infinito patet,

ORCADES inſulas habet, quarum viginti deſertæ ſunt, XIV. coluntur.

Inſula TILÆ, quæ per infinitum à cæteris patet longius ſecreta, in medio Oceani ſita, vix paucis nota habetur.

HYBERNIA inſula in Britanniam & Hiſpaniam longiore ab Africo in boream ſpatio porrigitur: cujus partes priores intentæ Cantabrico Oceano Brigantiam Galliciæ civitatem ab Africo ſibi in circium occurrentem, ſpatioſo intervallo procul ſpectant: ab eo præcipue promontorio ubi Sacanæ fluminis oſtium eſt, ubi Velabri Lucenique conſiſtunt. Hæc priori Britanniæ ſpatio terrarum anguſtior, cæli ſoliſque temperie magis utilis, à Scotorum gentibus colitur.

Huic etiam MEVANIA inſula proxima eſt, & ipſa ſpatio non parva, ſolo commoda, æque à Scotorum gentibus habitatur. In his ſunt fines totius Europæ, in quibus totius regina mundi cæleſtis habetur Italia, ſingulari virtute, fertilitate, potentia, toto mundo ſacrata.

## SCHOLIA IN EUROPÆ SITUM.

a *Mœſia ab oriente*] Locus hic mihi ſuſpectus eſt, & inter Mœſiæ & Thraciæ deſcriptionem aliquid interponendum puto. neque forte mendo caret, quod Danubium ab oriente & Septentrione limitem Mœſiæ facit. Apponam autem hic Iſidori

dori verba, ex quibus forte Æthici locus reſtitui poteſt. Hæc autem ab oriente oſtiis Danubii jungitur: ab euro verò, Thracia: à meridie, Macedonia: ab occaſu, Iſtriæ copulatur. poſt Mœſiam autem Pannonia eſt: inde Noricus ager, frigidus & parcius fructuoſus, poſt quem Rhæticus frugibus ferax, qui excipit Galliam Belgicam.

b *Thracia*, &c.] Deſcriptio Thraciæ cum Macedonia confunditur in M. C. nos locum hunc ex Oroſio reſtituimus.

c *Achaia*, &c,] Achaiæ terminum ab oriente ponit Mortuum mare, ita enim in M. C. legitur: nos Myrtoum repoſuimus, quod & Myrteum nuncupatur. Porro Cæphaliam & Caſſiopiam inſulas puto eſſe Cæphalæniam & Caſſiopem, ut Oroſius vocat. Iſidorus, qui pene iiſdem verbis Achaiam deſcribit: tantum nominat Caſſiopas inſulas: quæ autem hæ ſint, mihi incertum eſt: an Corcyre, in qua Caſſiope oppidum?

d *Alpes Apenninas*] Eodem fere modo Iſidorus ponit Pannoniæ limitem, ab Africo Alpes Apenninas, ab occaſu Galliam Belgicam, à ſeptentrione Danubii fontem, vel limitem, qui Germaniam Galliamque ſecernit. quos limites noſter à Circio ponit, à ſeptentrione Danubium & Germaniam.

e *In ſinum Liburnicum*] Oroſius, Donec in ſinu Liburnico deſigantur.

f *Emittitur*] Oroſius, Imittitur.

## AFRICÆ SITVS CVM SVIS LIMITIBUS ET POPULIS.

AFRICAM, quam in tertia orbis parte majores noſtri & ejus adſentato-



Digitized by Google

res accipiendam aliquanti protulerunt, non ſpatio menſuræ, ſed circumcluſionum ratione, ſicut ſuo mari, quod ab occaſu ex Oceano exoritur, in meridiem magis vergens prœfocatur: inde Africæ limes coartatam & anguſtiorem claudit eremum. Hinc etiam aliqui, quanvis eam longitudinem habere exiſtiment, tamen multo anguſtiorem intellexerunt, ut inverecundum dicerent tantæ anguſtiæ provinciam tertiam dici partem: ſed in Europa eam judicaverunt reputandam. hoc eſt, ut non eam ſimilem duabus dicerent, ſed de duabus uni ſubjectam, quæ ardore venenoque deformis, plus habet eremi quam montes. Africam per omnia ſitu & populis minorem eſſe certiſſimum eſt, quia & natura ſui minus habet ſpatii, & cœli inclementia plus deſerti. cujus deſcriptio per provincias & gentes hæc eſt.

Libya Cyrenaica poſt Ægyptum in parte Africæ prima eſt. Hæc incipit à civitate Parthenio & Catabathmo: inde ſecundo mari uſque ad aras Philenorum extenditur, & uſque ad Oceanum meridianum: quæ habet gentes Libyorum, Æthiopum & Garamantum. ubi eſt ab oriente Ægyptus: a ſeptentrione, mare Libycum: ab occaſu, Syrtes majores & Troglodytæ, quæ habent econtra inſulam Caly-

Digitized by Google

Calypſo, à meridie, Æthiopicum Oceanum.

TRIPOLIS provincia, quæ eſt & Subventana, vel regio Arzugum, ubi Leptis magna civitas eſt, qua Arzuges per Africæ limitem generaliter vocantur, habet ab oriente aras Philenorum inter Syrtes majores & Troglodytas: à ſeptentrione, mare Siculum, vel potius Adriaticum, & Syrtes minores: ab occaſu, Byzantium, uſque ad lacum Salinarum : à meridie, barbaros, Getulos, Natauros & Garamantas uſque ad Oceanum Æthiopicum pertingentes.

*a* ZEVGES prius non unius loci cognomentum, ſed totius provinciæ fuit, velut in hodiernum ita à prudentibus accipitur. *b* Byzantium eſt ubi ejus metropolis civitas Hadrumetus ſita eſt : Zeugis eſt ubi Carthago civitas conſtituta eſt.

